RECENTISSIMÆ
AD
R.P. Felicis Poteſtatis Moralem Theologiam
ADDITIONES,

Quibus illa novis APPENDICIBUS, ac ſelectis DISSERTATIONIBUS illuſtratur.

Auctore R. P. D. CAJETANO MARIA DE PETIO
E Clericis Regularibus.


Ad usū Adm. R. P. Angeli a Grumo [illegible]

Pertinet ad Conventum S. M. [illegible] S. Animi.



NEAPOLI MDCCXLII.
Ex Typographia Joannis de Simone.

SUPERIORUM AUCTORITATE.



AD LECTOREM.

VEtuſtioribus, immo & recentibus Moralibus addere, grata res eſt eruditis: ſic Anacleto Reiffenſtuel Keslingerus; Sporero Kilianus Kazenberger; Hermanno Buſembaum Claudius La Croix; Pontaſio Auguſtinus de Lamet, & Germanus Fromageau; aliiſque alii ſupplementa dedere latiſſima. Suum quoque habuit Felix Poteſtas adnotatorem; nos addimus utriſque, ſic ut quæ videbatur Felicis Poteſtatis docta quidem, ſed ſimplex, & nuda moralis; ſi noſtrum hoc illi ſupplementum addas, tibi erit toto Cœlo diverſa. Siquidem innumeræ ſunt, quæ ipſi novis his Appendicibus reſolutiones adduntur; plura, ac notabilia, quæ omiſſa erant, dubia, ſupplemus; quæ diminutè vel obſcurè ſolùm tradita, extendimus, elucidamus; ſolidèque firmamus, quæ infirmis erant rationibus innixa: cumque multæ ſint in opere illo reſolutiones, quæ in adverſum doctos habent oppoſitores; fuſiore calamo in explicandis illis, ac probandis immorabimur: peculiaribus Diſſertationibus vindicantur, quæ difficiliora ſunt, magiſque neceſſaria ſcitu. Jacobus Sambovius (vulgò de Sainte Beuve)

Claudius de Vert, Toutèe, Le Brun, Jueninus, Arnaldus, Pascalius, Nicolas, Dupinius, Pontasius, Morinus, aliique nonnulli recentes Galli, passim data occasione castigantur. Quæ Bajanorum, Jansenistarum, Quesnellianorum sunt errata, cavillationes, damnationes, ea seriò discussa videbis. De Sinensium Ritibus; de Religiosorum spoliis; de dispensatis ad carnes; de confugientibus ad Ecclesias; de libris prohibitis; de Confessariis sollicitantibus; ac de Jansenianis, recentissimas hic habes Romanorum Pontificum Bullas: uti & quinquaginta rationes, ac dilemmata decem; quibus facilè ad Christi fidem, divina auxiliante gratia, converti possunt Hæretici: Non mireris ad invicem inconnexas has esse Appendices; cum & tales sint materiæ, quibus adduntur; quibusve solis debent illæ correspondere. Quæ scripsimus, quam necessaria sint, ac Theologo scitu digna, legendo videbis. Vale.

FACULTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

HOc Opus cui titulus: *Recentissimæ ad* R. P. *Felicis Potestatis Moralem Theologiam Additiones, quibus illa novis Appendicibus, ac selectis Dissertationibus illustratur, &c.* a R.P. D.Cajetano Maria de Petio nostræ Congregationis Sacræ Theologiæ, & Juris Canonici Professore, cum juxta assertionem Patrum, quibus id commisimus, fuerit approbatum, ut typis mandetur, quod ad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præsentes litteras manu propria subscripsimus. Romæ in Ædibus nostris S. Silvestri Montis Quirinalis Kalendis Octobris Anno 1742.

D. FRANCISCUS-ANTONIUS CAVALCANTI
Præpositus Generalis Clericorum Regularium.

D. Dominicus Maria Proto C. R. à Secretis.

EMINENTISS. SIGNORE.

GIovanni de Simone pubblico Stampatore in questa Città supplicando espone a V. Em., qualmente desidera dare alle stampe un libro intitolato: *Recentissimæ ad R.P. Felicis Potestatis Moralem Theologiam Additiones, quibus illa novis Appendicibus, ac selectis Dissertationibus illustratur &c.*, composto dal P.D.Gaetano Maria del Pezzo Teatino, e perche li necessita la licenza di V.Em. Pertanto la supplica commetterne la revisione, affinche, precedente la licenza di V.Em. possa stamparsi, e l' averà a grazia ut Deus &c.

Admodum Reverendus Dominus D. Cajetanus Mari in Universitate Regia Neap. Primus Antecessor revideat, & in scriptis referat. Datum Neapoli hac die 2.*Octob.*1741.

D. CARMINUS CIOFFI EPISC. ANTINOP. VIC.GEN.
Can. Julius Tornus Dep.

EMINENTISSIME PRINCEPS

TE jubente librum censui, cui titulus: *Recentissimæ ad R.P. Felicis Potestatis Moralem Theologiam Additiones, quibus illa novis Appendicibus, ac selectis Dissertationibus illustratur &c.*, auctore Ad.R.P. D. Cajetano Maria de Petio, cujus præclaram, pluribusque spectatam ingenii vim multiplici, ac varia ecclesiasticarum, sacrarumque rerum scientia exornatam, ut aliàs alibi, sic & in præsenti opere meritò suspexerim. Nihil est, quod indè sibi timeat fides, aut boni mores; fovet potiùs utraque: quapropter typis credi posse existimo. Neap. XI. Dec. MDCCXLI.

E. T.

Addictiss. & Obsequentiss. Servus
Cajetanus Mari.

Attenta relatione Domini Revisoris: Imprimatur: *Datum Neap. XVIII. Calendas Februarii* MDCCXLII.

Can. Julius Tornus Dep.

S. R. M.

SIGNORE

S. R. M.

GIovanni de Simone pubblico Stampatore in questa Città supplicando espone alla M. S., qualmente desidera dare alle stampe un libro intitolato: *Recentissimæ ad R. P. Felicis Potestatis Moralem Theologiam Additiones, quibus illa novis Appendicibus, ac selectis Dissertationibus illustratur*, pertanto supplica la M. S. a volerne commettere la revisione a chi meglio le parerà, e l'averà, ut Deus &c.

Reverendus D. Cajetanus Mari publicus S. Theologiæ Professor videat, & in scriptis referat. Neap. die 11. *Junii* 1742.

G. Galianus Archiep. Thessal. Capel. major.

S. R. M.

QUas S.M. fidei meæ censendas credidit *Recentissimas ad Felicis Potestatis Moralem Theologiam Additiones &c.*, auctore Ad.R.P. D.Cajetano Maria de Petio, cum seriò, sedulòque expenderim, præ se se nihil ferre cognovi Regia jura infringens, moresque civiles: quin & novis Appendicibus, selectisque Dissertationibus, seù doctrina, & sententiis, seù eruditione & elegantia commendatissimis, quam modò indicavimus Moralem ita instruit, exornat, ac munit, ut è re literaria fore existimem, typis ocyùs mandari. Neap. 4. Aug. 1742.

S. R. M.

Obsequentissimus, & Addictiss. Famulus
Cajetanus Mari.

Die 20. *mensis Septembris* 1742. *Neap. &c.*

Viso rescripto Sacræ Regiæ Maiestatis sub die 13. *currentis mensis & anni, ac approbatione facta per Rev. D. Cajetanum Mari de Commissione Rev. Regii Capellani majoris prævio ordine præfatæ Regiæ Majestatis.*

Regalis Cameræ S.Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, ac approbatione dicti Revisoris; verùm in publicatione servetur Regia Pragmatica. Hoc suum &c.

MAGIOCCO. DANZA. CASTAGNOLA. FRAGGIANNI.

Illustris Marchio de Ipolito Præses S.R.C. tempore subscriptionis impeditus.

Citus.

AP-

APPENDICES,

AC

DISSERTATIONES,

Quæ in hoc ſunt Volumine contentæ.

Arti-

AP-


ADNOTATIONES

APPENDIX I.

INTER NOVAS

POST NUM. 73.

An concurrente opinione probabiliore, ac tutiore, sequi liceat minus probabilem, minusque tutam, cum de sola honestate agitur actionis.



NEGANT viri doctissimi, inter quos Antonius Scriptor nuperrimus, Thirsus Gonzalez, Estrix, Gisbertus, Erenthreick, Simonnet, Henno, Gonet, Natalis, Contensonius, Aguirre, Volpelier, Sinnichius, Vendrochius, seu Nicolas, Juenin, Baronus, Comitolus, Philaletus, seu Blancus, Camargo, Elizalde, seu Celladeus; Muniessa, Taberna, Daniel, aliique apud ipsos; qui & *Probabilioristæ*, seu *Antiprobabilistæ* dicuntur. Affirmantibus e contra viris etiam doctissimis, Illustrissimis Verde, Abelly, & Caramuele, Bosco, Sporer, Reiffenstuel, Giribaldo, Salmanticensibus, ac pluribus citatis Sabino Bononiense *tract.*2.; sic etiam Scotistæ ferè omnes; Communissima Thomistarum (paucis Recentioribus exceptis) apud Danielem *Epist.*2. *&* 3. ad Natalem, & Dechamps in quæstione facti *cap.*5.; item Casnedi per plura volumina; Nicolaus, ac Tirillus etiam ipsi per integra volumina; Bardi, Cardenas, Apologia Fabri, Platellius; La-Croix per plures quæstiones; Epistolæ recentissimæ sub nomine P. Segneri; ducentos pro hac sententia adducit Auctores Tirillus *q.*22. aliosque plures habes apud La Croix, Dechamps, & Platellium: qui omnes *Probabilistæ* vocantur.

Prioris sententiæ Patroni, ut certissima quædam Axiomata decem propositiones opponunt. Prima est, *Nemo potest sequi opinionem faventem libertati adversus legem, quando judicat esse falsam, & legi divinæ contrariam, retento illo judicio*: II., *Nemo potest sequi opinionem stantem pro libertate adversus legem, quando omnibus hinc inde consideratis habet evidenter majus fundamentum auctoritatis, & rationis ad judicandum esse falsam, quam ad judicandum esse veram; quia nimirum videt pro contraria sententia stare plures Auctores, & validiora fundamenta rationis*: III., *Nemo potest sequi sententiam faventem libertati adversus legem, quando omnibus hinc inde consideratis, habet absolutè, & simpliciter majus fundamen-*

 damen-

damentum ad judicandum esse falsam, quam ad judicandum esse veram: IV., *Per nullam reflexionem potest excusari a culpa formali, qui sequitur opinionem faventem libertati, quando omnibus hinc inde consideratis habet majus fundamentum ad judicandum esse falsam, quam ad judicandum esse veram:* V., *Nemo potest sequi sententiam faventem libertati adversus legem, quando omnibus consideratis non habet majus fundamentum ad judicandum esse veram, quàm ad judicandum esse falsam; eo quod agnoscit paria fundamenta rationis, & auctoritatis pro utraque parte: quia tunc necessariò manet anceps, ac dubius, ita ut nequeat determinare quænam ex illis sit vera: in dubio autem tutior pars est eligenda:* VI., *Ut quis possit sequi sententiam faventem libertati adversus legem, non sufficit quod ista sit probabilior, seu verisimilior operanti cum excessu exiguo, & dubio; quia parum pro nihilo reputatur; sed requiritur, quod sit manifestè verisimilior operanti cum excessu notorio; & idcircò ab ipso judicetur vera judicio firmo:* VII. *Modus dirigendi conscientias, & resolvendi casus per probabilitatem opinionum faventium libertati, præscindendo ab earum veritate, seu ita ut operans non transeat ad ferendum judicium de earum veritate, est contra doctrinam, quam constanter semper tenuit D. Thomas, cum omnibus antiquis Thomistis, & Theologis; utpotè qui ad usum licitum opinionis minus tutæ indispensabiliter requirit, ut operans sibi firmiter persuadeat, illam esse veram, ac divinæ legi conformem; oppositam verò etsi sit tutior, esse falsam, & imponere onus quod Deus non imposuit:* VIII., *In sententia Doctorum asserentium posse intellectum ex imperio voluntatis judicare esse veram sententiam faventem libertati adversus legem, quamvis habeat æquale, vel majus fundamentum ad judicandum esse falsam; non sufficit judicium illud ad securitatem conscientiæ, quia illud non est firmum, sed titubans, & necessario conjungitur cum prudentissima formidine de malitia actionis: Unde operari cum illo judicio, virtualiter foret operari in dubio:* IX., *Ut judicium opinativum conceptum ab operante de honestate objecti sit sufficiens ad securitatem conscientiæ, omnino necessarium est, ut formetur ob momentum auctoritatis, & rationis, manifestè præponderans fundamento sententiæ contrariæ; ac ut formetur sine passione, ac præcipitatione:* X., *Nostra sententia duplici nititur principio, & utroque nobis certo; primo quod nemo possit sequi sententiam faventem suæ libertati adversus legem, quin sibi persuadeat, judicio saltem opinativo prudenter concepto, illam esse veram, & legi æternæ conformem;* II. *quod nemo possit hanc persuasionem induere, quin inveniat majus fundamentum pro hac parte, quam pro contraria.*

Quæ dicuntur Axiomata, seu propositiones illas æquivocationibus plenas esse, Probabilistæ respondent: sit in prima ex allatis propositionibus exemplum; *Nemo potest sequi opinionem faventem libertati adversus legem, quando judicat esse falsam, & legi divinæ contrariam, retento illo judicio:* in illis verbis *adversus legem*, quæ tanquam Monstrum Simplicioribus opponuntur, prima est æquivocatio; Cum nullus unquam dixerit, contra legem esse libertati favendum: an licitum sit pingere in die festo, disputant Theologi, pluribus affirmantibus, negantibus aliis; sed licitum esse pingere in die festo contra legem pingere prohibentem, nullus unquam dicere somnia-

ſomniavit; ſed potius negant talem eſſe legem: Item ly *adverſus legem*, vel intelligendum de lege, de cujus certi ſumus exiſtentia, vel de dubia ac incerta lege; primum nullus unquam dixit; cum nec probabiliorem tunc quis ſequi poſſet oppoſitam; ſiquidem contra certitudinem nulla probabilis eſt opinio: ſi ſecundum, nulla eſt obligatio legis; non enim hæc obligat, niſi certa ſit, ac manifeſta; *erit autem lex manifeſta* ait S. Iſidorus *diſt. 4. Can. erit autem*; & Lactantius *lib. 3. Inſtitut. cap. 27. Stultiſſimi eſt hominis præceptis eorum velle parere, quæ utrum vera, vel falſa ſint dubitatur*; aliàs adverſus hanc legem nec probabiliorem ſequi poſſemus. Aliam eſſe dicunt in verbis illis æquivocationem, *quando judicat eſſe falſam &c.*; Siquidem multiplex poteſt eſſe judicium, vel certum, ac infallibile, vel opinativum, fallibile, ac incertum: Si primum, nullam nec probabiliorem adverſus illam certitudinem quis ſequi poteſt; ſi ſecundum, tunc ut judicium opinativum probabilius, ſic & minus probabile, dummodo revera probabile ſit, & gravi fundamento innixum, ſequi valemus; ſiquidem utrumque incertum eſt, ac fallibile judicium; gravibus rationibus, & auctoritatibus utrumque firmatum.

Hinc ad primam, ſi de lege indubitata, ac de judicio certo loquatur, admittunt; ſecus autem ſi dubia ſit lex, ac judicium opinativum, adeoque incertum, ac fallibile: ſicque ad ſecundam, tertiam, quartam, & quintam; in qua cum dicitur, *quia tunc neceſſariò manet anceps, ac dubius, ita ut nequeat determinare quænam ex illis ſit vera*; Si de determinatione loquatur facienda per judicium certum, ac infallibile, verum eſt; ſecus autem ſi per judicium facienda eſſet opinativum, ac fallibile; aliàs nec probabiliorem contra minus probabilem tutiorem nobis ſequi liceret; cum ſemper incertum eſſet, ac fallibile judicium: Item eſto nulla ſit certitudo in determinando de illarum propoſitionum veritate, *& quænam ex illis ſit vera*; in determinando tamen de illarum propoſitionum probabilitate, ſumma eſt certitudo; pingere opus non eſſe ſervile, dubium eſt, plerique negant; ſed nullus inficiatur, ſaltem hoc eſſe probabile. *In dubio tutior pars eſt eligenda*, ſi dubium ſit practicum, & de probabilitate propoſitionis agatur; ſecus autem ſi ſpeculativum ſit, ac de ſola propoſitionis veritate quæratur. Ad favendum libertati adverſus legem, majorem veriſimilitudinem *cum exceſſu notorio* ſexta propoſitio requirit; *& idcirco judicetur vera judicio firmo*: at malè, cum ad certum de veritate propoſitionis judicium, nec major illa veriſimilitudo ſufficiat; quæ fundare non poſſet, niſi judicium opinativum, fallibile, & incertum: quod ſi hoc judicium ſufficiat incertum; etiam minus probabile ſatis erit. Conſcientias dirigere, non reſpiciendo ad opinionis veritatem, abſurdiſſimum eſſe, ſeptima propoſitio contendit; ſed quis unquam hoc Probabiliſta negavit? Semper ferendum eſt de veritate judicium, vel certum, ac infallibile, ut ſunt quæ ſcriptura, Traditio, conſenſus SS. Patrum, vel Eccleſia decidit; vel ſaltem opinativum, ſeu prudens, quod eſto fallibile ſit, ac incertum; grave tamen judicium eſt, gravibus rationibus, ac Doctorum auctoritatibus innixum, quod probos, doctoſque viros movere valet ad operandum; ſicque movet non qua incertum, ac fallibile (hoc enim potius ab aſſentiendo retrahit) ſed qua

 pru-

prudens, & grave motivum communissimo Doctorum sensu comprobatum. Idem est ad octavam, in qua cum dicitur, *non posse intellectum ex voluntatis imperio judicare veram esse sententiam &c.*, verum est de judicio certo, ac infallibili, secus autem de judicio prudenti, ac opinativo, quod fallibile sit, ac incertum; hinc & formidinem de opposito non excludit opinio (sive probabilior sit, sive minus probabilis) de veritate propositionis, quæ manet incerta; excludit verò, cum de probabilitate propositionis agitur; Siquidem hæc, nisi certo sit, ac indubitatè probabilis, minimè satis erit. Sic ad nonam, quæ ad conscientiæ securitatem assensum opinativum ex manifestè præponderanti motivo, sine fundamento requirit; cum etiam ex motivo certò probabili, ac prudenti in tuto posita sit conscientia: motivum manifestè præponderans meliorem, ac prudentiorem reddit electionem; at minimè oppositam sententiam ut malam, ac imprudentem excludit: nuptiis melior est cœlibatus; Castam ducentes vitam, nubentibus longè prudentiùs agunt: quid inde imprudens est, ac malum ducere uxorem? *Qui matrimonio jungit virginem suam, benè facit; qui non jungit, melius facit*; ait Apostolus prima *ad Corint.* 7. Ex quibus & decimam propositionem abbundè solves; non enim, ut visum est, desinit esse opinio verè, ac solidè probabilis, si cum opposita probabiliore, ac tutiore concurrat. Tutum esse quoque, ac certum conscientiæ dictamen taliter operantis, sic ostendunt: Quod prudenter judico mihi hic, & nunc licere, certum est mihi hic, & nunc licitum esse; non enim actus prudentiæ potest esse peccatum; Sed prudenter judico, mihi hic, & nunc die festo licitum esse pingere; hoc enim judico ex gravi motivo omnium sensu comprobato, ideoque dicitur grave, quia prudentem meretur assensum: Certum itaque mihi hic, & nunc die festo licitum esse pingere. Addunt: in illis, quæ solam respiciunt actionis honestatem, hæc argumenta valere; secus in aliis, ut cum de valore agitur Sacramentorum, vel de damno tertii vitando; tunc enim nec manifestè longè probabiliorem licitum est sequi, minus probabili tutiore omissa.

APPENDIX II.

INTER NOVAS *Post num.* 677.

De Confugientibus ad Ecclesias.

CONstitutionem Gregorii XIV. confirmat, explicat, ampliat in sua Bulla Benedictus XIII. data anno 1725. sexto idus Junii incipiente, *Ex quo Divina disponente Clementia &c.* per hæc verba. *Hinc igitur est, quòd Nos, omnino expedire arbitrantes, ut ejusmodi controversiis finis aliquando imponatur, eorundemque Prædecessorum pio, atque salubri proposito inhærentes, Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuò valitura Constitutione,*

tutione, in primis providam memorati Gregorii Prædecessoris Constitutionem cum omnibus, & singulis, in ea contentis, atque dispositis, amplissimè confirmamus, approbamus, & innovamus, &, quatenus opus sit, criminum in illa exceptorum reis, & delinquentibus, Immunitatem Ecclesiasticam suffragari nequaquam debere iterum, ac de novo decernimus, & declaramus. Præterea non absque gravi animi Nostri dolore animadvertentes, ob auctam, atque in dies invalescentem perversorum hominum malitiam, sæpe, ac sæpiùs nonnulla alia gravia crimina perpetrari, quæ non minùs, quàm illa in Gregoriana Constitutione, ut præfertur, excepta, publicam quietem perturbant, proinde ad delinquentium audaciam, ac ejusmodi delictorum frequentiam, quantum fieri poterit, coercendam, pro Apostolici muneris Nostri debito, ea, quæ inferiùs explicabuntur, statuenda censuimus.

Cum itaque prædicta Gregoriana Constitutione cautum sit, ut publicis latronibus, viarumque grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, Immunitas Ecclesiastica minimè suffragetur; non levis autem inter Doctores emerserit controversia, an quis ex unico actu publicus latro, & grassator dici possit, vel plures id actus requirantur: Nos, ejusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantùm grassationem in via publica, aut vicinali admissam, sufficere ad hoc, ut quis publicus latro, & grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio sequuta fuerit, tenore præsentium definimus, & declaramus.

Insuper ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, & pro exclusis, atque repulsis haberi volumus, nedum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Ecclesiis, earumve Cœmeteriis committere audent, quemadmodum in Gregoriana Constitutione sancitum est; verum etiam eos, qui stantes in Ecclesia, vel Cœmeterio, interficiunt stantes extra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant: necnon eos, qui stantes extra Ecclesiam, aut Cœmeterium, occidunt stantes intra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut iis membrum mutilant: ac eos tandem, qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt: Declarantes in quatuor præmissis casibus ejusmodi Reos, non illius tantùm Ecclesiæ, quam violarunt, sed cujuscumque etiam alterius Ecclesiæ Immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere.

Ad hæc in crimine Assassinii non modo mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana Constitutione apertè excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum præmium, aut mercedem sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo Assassinium re ipsa patratum fuerit, ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuò haberi volumus, & mandamus.

Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejusdem Immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo præmeditato, ac deliberato: Falsificantes Literas Apostolicas: Ministros Montis Pietatis, vel alterius

rius

rius publici Telonii, aut Banci pro depositis Principis, privatarumque personarum destinati, furtum, aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit: Conflantes, adulterantes, vel tondentes quascumque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotiescumque in loco, aut Provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, & commercium: vel ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, & erogare præsumentes, ut fraudis conscii, atque participes censeri possint: Illos demum, qui sub nomine Curiæ sese introducunt in alienas domos, animo ibidem perpetrandi rapinas, easque re ipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earundem ædium, vel etiam extranei, quem ibi fortè reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.

Cæterum, cum diuturna experientia compertum fuerit, Curias Ecclesiasticas in casibus, qui hactenus evenerunt, difficulter probare, & consequenter declarare potuisse delictum, pro quo quis ad Ecclesiam confugerat, fuisse comprehensum in numero exceptorum, propter variam earundem Curiarum praxim, & varias pariter opiniones Doctorum, qui antedicti Gregorii Prædecessoris mentem, quoad normam, ab ipso præscriptam recipiendi probationes, & procedendi ad declarationem criminum exceptorum, interpretari voluerunt: statuimus, præcipimus, & mandamus, nullam in hoc de cætero haberi rationem cujuscumque interpretationis ejusdem Gregorianæ Constitutionis, quæ à quocumque Doctore prodierit, neque praxis à quibuslibet Curiis, aut Tribunalibus invectæ, imò nec quarumcumque declarationum, quæ ab hujus Almæ Urbis nostræ Tribunalibus, sive etiam à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium, Immunitati Ecclesiasticæ præpositorum, emanaverint, quatenus præsenti Nostræ Constitutioni adversentur, sed in occurrentibus casibus normam hic à Nobis præscribendam inviolabiliter ab omnibus observari volumus, & sancimus.

Quotiescumque igitur Curia Ecclesiastica à Curia sæculari fuerit requisita, ut Laicum aliquem delinquentem è loco immuni extrahi, ac illi consignari faciat, eaque super delicti excepti qualitate, ac personæ reitate subministrata, vel acquisita sint indicia, quæ ad capturam decernendam sufficere videantur, tunc Curia Ecclesiastica ad ejusdem Delinquentis extractionem ab Ecclesia, aliisve locis immunibus, ope, ac medio suorum Exequutorum, implorato etiam, quatenus opus sit, brachii sæcularis auxilio, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ, ab Episcopo deputandæ procedere teneatur: extractumque ad suos carceres asportari, ac ibi sub tuta custodia detineri curet, & faciat. Ubi verò ex processu informativo desuper conficiendo, constet de crimine excepto, ac insuper adversus eundem Extractum talia resultent indicia, ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit (quæ quidem indicia juxta regulas juris vocantur ultra torturam) eo tandem casu præfatum Extractum Ministris, & Officialibus Curiæ Sæcularis tradere, & consignare possit, ac debeat, exacta tamen, receptaque priùs ab ipsis obligatione, in forma juris valida, restituendi Extractum Ecclesiæ, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Nobis, ac pro tempore existenti Romano Ponti-

fici

fici reservatæ; quatenus idem Extractus indicia, contra ipsum, acquisita in suis defensionibus purget, ac diluat. Quòd si ea minime purgaverit, & verè delinquens repertus fuerit, Curiæ sæculari in ipsum tali casu, ut juris esse censuerit, agere, atque procedere liceat &c.

APPENDIX III.

INTER NOVAS *Post num.* 1298.

Fructuum Beneficiorum quinam sint Domini:

QUatruplicia sunt Clericorum bona; *Patrimonialia*, quæ Clerici ex hæreditate, donatione, vel simili titulo, ante, vel post Clericatum habent: *Quasi Patrimonialia*, seu *Industrialia*, quæ Clerici ex industria, vel labore aliquo spirituali, & functionibus Ecclesiasticis (ut Missis votivis, concionibus &c.) sibi acquirunt: *Parsimonialia*, quæ Clerici ex Redditibus merè Ecclesiasticis ad congruam substentationem sibi competentibus, parcius ac honestè possent, vivendo, sibi subtrahendo servant: & *merè Ecclesiastica*, quæ intuitu, seu ratione Ecclesiæ, seu beneficii alicujus E.G. Episcopatus, Canonicatus, Parochiæ, aut alterius Beneficii titulo, possident; tales sunt beneficiorum redditus. Clerici perfectum habent dominium, plenamque facultatem disponendi bonorum, tum *Patrimonialium*, tum *quasi Patrimonialium*, seu *industrialium*, tum *parsimonialium*; tum *bonorum Ecclesiasticorum*, quæ sunt necessaria ad honestam illorum sustentationem Reiff. *tit. de Peculio Clericorum a num.* 13., *eoque teste*, Communissima Theologorum sententia: ac pluries decisum videtur in *tit. de Testamentis*.

De bonis *merè Ecclesiasticis*, quoad fructus superfluos, seu qui ad honestam Beneficiarii sustentationem non sunt necessarii; Unum certum est, disputatur alterum; primum est, ex illis subveniendum esse pauperibus; unde *patrimonium egenorum* dicuntur à Patribus, & Conciliis; nec de illis testari posse Beneficiarios, pluries in Sacris Canonibus decisum est. Alterum, an Beneficiarii quoad illos fructus verum habeant dominium. Negant pluribus citatis Reiff. *tit. de Peculio Clericorum à n.* 30., Veranus, & Krimer, *eod.*, Henno *disp.* 3. de Justitia, & Jure *q.* 4., Thomas Hurtado, Moneta, Navarrus, & alii; sed verius, & probabilius affirmant innumeris congestis Gonzalez, & Fagnanus *in cap. fin. tit.*, ubi passim Canonistæ, Wiestner *a num.* 24., Pirhing *num.* 5., Huth *qu.* 2. pluribus etiam relatis, Platellius *part.* 3. *a num.* 845., Bardi in Selectis *lib.* 3. *qu.* 10. *sect.* 2. Catalanus *cap.* 22. *de Beneficiis num.* 5., & 10., & passim Theologi cum de Justitia, & Jure, Sporerus *cap.* 1. *a num.* 104., Salmanticenses *cap.* 2. *a num.* 152., Giribaldus *cap.* 3. *dub.* 4., Sabinus *a num.* 33., Lugo *disp.* 4., eoque teste communis: Reiffenstuel sibi contrarius, *dist.* 4. *a num.* 29.: Item Adrianus, Soto, Covarruvias, Aragonius, Valentia, Azorius, Molina, Lessius, Gordonus,

Bar-

Barbosa, Garzia, Sanchez, Suarez, Vasquez, Molfesius, Bonacina, Castropalaus, Malderus, Wigers, Sylvius, Haunoldus, Busembaum, & omnium latissimè noster Andreas Lanfranchi in opusculo hac de re Edito in tredecim Capitulá distributo, in quo plenè materia utrinque discussa, pro nostra, communique sententia pugnat.

Beneficiarii hoc dominium clarè insinuant cap. unicum, *de Præbendis in 6.* & Concilium Tridentinum *sess.22. de Reformat. cap.3.*, *sess.23. cap.1.*, *& sess.24. cap.12. de reformat.* ubi de Beneficiariis indebitè absentibus dicitur: *Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ, ac residentiæ fecit suos: quod si iterum eadem usus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus quos eodem anno lucratus fuerit.* Quos ergo Beneficiarius fructus percipit, ac lucratur ratione Beneficii, suos facit, eorumque dominium acquirit: Certum est autem, fructus etiam superfluos, percipi à Beneficiato ratione Beneficii, ac Præbendæ. Item Sacri Canones omnium Ecclesiasticorum redditiuum quartam assignant Episcopo portionem; eamque, dicunt, *esse Pontificis, esse Episcopi*; ut constat ex *cap. 26., & seqq., 12. qu. 2.*: Cum ergo illa pars tota dicatur Episcopi, etiam quoad fructus superfluos, illius erit. Sed Bullam accipe Julii III. Romani Pontificis in primo tomo Bullarii, incipientem *Cum sicut nobis*, editam anno 1550., ac durante Concilio Tridentino publicatam; in qua dicitur. *Pecunias, & res alias, occasione Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum provenientes, postquam ad manus Beneficiatorum pervenerunt, & cum aliis ipsorum Beneficiorum fructibus commixti &c., non ulterius in Ecclesiasticis, sed potiùs in ipsorum Beneficiatorum propriis, & ab eis acquisitis bonis judicari &c.*: Certum est autem, fructus etiam superfluos ad manus Beneficiatorum pervenire, & cum aliis fructibus esse permixtos.

Quos ergo Beneficiarius fructus percipit, ac lucratur ratione Beneficii, suos facit, ac *proprios*, & *de propriis bonis*: illorumque dominium acquirit: Cum idem sit in jure, *facere suum*, ac illius obtinere dominium; ut constat ex illis verbis in cap. unico *de Præbendis in 6. Distributionum perceptarum dominium non recipiat, nec faciat esse suas*. Nec respondeas Beneficiarium facere *fructus suos*, sed relatè ad fructus propriæ sustentationi necessarios: Nam contra, suos facit sibi assignatos fructus, adeoque & superfluos; Siquidem Sacri Canones inter fructus Beneficiario assignatos, non distinguunt inter necessarios fructus, ac superfluos; non ergo nos distinguere debemus: secundo, cum quartam assignant Episcopo portionem de bonis Ecclesiasticis, totam illam partem dicunt esse ipsius Episcopi, ergo etiam relatè ad fructus superfluos, si aliqui haberentur: Tertio quia in hoc puncto Sacri Canones de fructibus Præbendæ, ut de distributionibus quotidianis discurrunt; ut in citato cap. unico visum est: Certum est autem in distributionibus inter superfluum, ac necessarium non esse distinguendum: Quarto quia per ly *suos* in Sacris Canonibus expressum, privantur Beneficiarii absentes omnibus functionibus Ecclesiasticis, etiam superfluis: ergo per ly *suos*, qui sunt præsentes fiunt omnium fructuum Domini, etiam relatè ad superfluos: Quinto quia si per ly *suos* soli fructus necessarii essent intelligendi, non verò su-

rò ſuperflui, Beneficiarii abſentes ſolos fructus neceſſarios, quos nempè ſolos fecerunt *ſuos*, amitterent; ſecus autem ſuperfluos fructus perceptos: Tandem quia Sacri Canones præcipuè Concilium Tridentinum, Beneficiarios deficientes paſsim ad reſtitutionem obligant: Cum ergo ob fructus malè expenſos, nunquam illos reſtituere jubeant; ſignum eſt, Beneficiarios, ut illorum fructuum Dominos, ſaltem validè etſi malè de illis diſpoſuiſſe: ſicque verè illos feciſſe ſuos ac proprios, atque de propriis bonis.

Confirmatur, quæ Clericus acquirit ratione laboris, & ſpiritualis Miniſterii independenter à Beneficio, puta Miſſas canendo, concionando, confeſsiones excipiendo, & ſimilibus, ſunt ſub dominio Clerici, etiam relatè ad ſuperfluum; ut certum eſt apud omnes. Ergo qui fructus Eccleſiaſtici acquiruntur à Clerico ratione Beneficii, ſunt ſub ejus dominio, etiam relatè ad fructus ſuperfluos; cum in utroque caſu *dignus ſit Operarius mercede ſua*: & etiam Beneficiarius ratione ſpiritualis Miniſterii acquirat; *propter officium enim ſpirituale datur Beneficium*: Nec dicas, verum hoc eſſe relatè ad fructus neceſſarios, ſecus quoad ſuperfluos: Contra eſt primo, quia adducta paritas clarè probat oppoſitum; ſecundo quia ſi eſt Dominus relatè ad fructus ſuſtentationi neceſſarios, etiam Dominus eſt relatè ad fructus ſuperfluos; cum Beneficiarius redditus omnes Eccleſiaſticos, tam neceſſarios, quam ſuperfluos promiſcuè, ac indiſtinctè exigat, ac recipiat.

Item Beneficiarius eſto Dominus non ſit Beneficii, verus tamen eſt uſufructuarius; quid enim eſt Beneficium, niſi *Jus ſpirituale percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis propter ſpirituale aliquod officium?* Cum ergo uſufructuarius dominium habeat omnium fructuum, ſive neceſſarii ſint, ſive ſuperflui, etiam Beneficiarius: Item poteſt Beneficiarius vendere per triennium exempli gr. fructus omnes Beneficii; cum ergo emens dominium tunc reciperet omnium fructuum, etiam relatè ad ſuperfluos, ſignum eſt, Beneficiarium dominium habuiſſe, ac dediſſe omnium fructuum Beneficii, etiam relatè ad ſuperfluos: cum promiſcuè omnes fructus vendantur, ac omnes emantur, inter neceſſarios, ac ſuperfluos minimè diſtinguendo.

Nec dicas, Beneficium non quidem in recipiente, ſed in ſe, eſſe jus percipiendi fructus: Contra, quid, ſi quis diceret, Miniſterium Clericale, non in recipiente, ſed in ſe eſſe jus percipiendi fructus? Beneficium ratione ſui eſt jus percipiendi fructus, qui ergo Beneficium recipit, ut eſt Beneficiarius, jus recipit percipiendi fructus, ut patet; aliàs Beneficium reciperet ſine Beneficio. Item ſi Beneficiarii dominium non haberent omnium fructuum, etiam relatè ad ſuperfluos, invalidè de illis diſponerent; ac tenerentur ad reſtitutionem, quot ergo donationes, quot contractus reſcindi deberent? hoc autem cum communi omnium perſuaſione pugnat; cum nunquam hoc fuerit auditum, numquam prætextu aliquo ab oppoſitoribus intentatum.

Doctrina hæc eſt Angelici Doctoris 2. 2. *qu.* 185. *artic.* 7., ubi diſtinguens bona Eccleſiaſtica aſſignata Epiſcopo, à cæteris quæ ſunt pauperibus, aliiſque addicta, dicit: *Si ergo diſtincta ſint dona, quæ debent in uſum Epiſcopi cedere ab his, quæ ſunt pauperibus, & Miniſtris, & cultui Eccleſiæ eroganda, aut etiam in uſum Miniſtrorum aut in Cultum divinum expendenda;*

B *non*

non est dubium, quin mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur. De his autem quæ sunt specialiter suo usui deputata videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis. Dixerat autem paulò ante, *Nam propriorum bonorum verum dominium habent*: quid clarius? non enim distinguit Angelicus Doctor inter necessaria, & superflua, sed inter assignata Episcopo, & cæteris addicta, de illis dicit *eadem est ratio, quæ est de propriis bonis*: de aliis verò *quod restitutionis obligationem inducant*: & priùs dixerat: *Ecclesiasticorum bonorum sunt Dispensatores, vel Procuratores*. Clarissimè tradit hoc ipsum quodlibeto 6. *artic.12. ad 3.*, *Aliter ergo dicendum est de illis Ecclesiasticis bonis, quæ principaliter sunt attributa necessitatibus pauperum, & consequenter necessitatibus Ministrorum, qualia sunt bona Hospitalium, & aliorum hujusmodi, & aliter de illis bonis, quæ sunt principaliter attributa usibus Ministrorum, ut sunt Præbendæ, & alia hujusmodi. Nam in prioribus bonis peccatum committitur, non ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos usus assumit, quod est alterius; & ideò tenetur ad restitutionem, tanquam defraudator rei alienæ in sua distributione; de aliis verò bonis non committitur peccatum, nisi per abusum, sicut & de patrimonialibus dictum.* Nostram sententiam totam hic habes expressam.

Nec dicas, Bona Ecclesiastica à Conciliis, & Patribus dicuntur *Res Dei, & Ecclesiæ, patrimonium Christi Crucifixi, & pauperum*, uti videre est apud Gratianum 12. *qu.*1.; adeoque sub Beneficiarii dominio nequeunt esse. Contra, totum, præter illationem, admitto; sic enim Ecclesiastica bona dicuntur, non quidem excluso, sed incluso Beneficiatorum dominio, quoad sibi redditus assignatos; nimis probat argumentum, cum omnia Ecclesiastica bona, etiam quæ ad congruam sustentationem necessaria sunt, dicantur *Res Dei, & Ecclesiæ, patrimonium Christi Crucifixi &c.*: Sic ergo dicuntur Bona Ecclesiastica etiam superflua: quia dantur in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, ad Dei cultum, & Jesu Christi honorem, ac obsequium; & quia sunt de illis, ex pluribus quidem titulis, pauperes alendi.

Dices, contra justitiam facit, qui de re, quam possidet, disponit contra conditionem, quam Donator apposuit: Cum ergo redditus Ecclesiastici Ecclesiæ, & Beneficiariis sint cum hac conditione donati, ut superflua in pios usus, ac pro alendis pauperibus expendantur; ad hoc ex justitia teneri debent Beneficiati. Contra, cum ex Fundatorum instrumentis colligatur oppositum, siquidem de hujusmodi conditione onerosa, & pacto in illis nulla fit mentio. Potest quidem præsumi intentionem hanc esse Fundatorum, eosque id sperare; sed ad obligandum ex justitia hoc minimè conducit; Sic universim Testator præsumitur suam velle conservari hæreditatem, ac dissipari nolle; Si tamen etiam in turpes usus dissipetur, non ideò Hæres contra justitiam peccat, vel restituere debet hæreditatem; quia præsumpta hæc voluntas in pactum deducta non fuit; ut cum Lessio, & Giribaldo fatentur Teologi. Fundatorum voluntas ex justitia implenda est, si fuerit in pactum deducta; secus autem si, (ut in casu nostro) solum præsumpta fuit: Item verum hoc est de voluntate motiva, secus autem de voluntate impulsiva, ex omnium sensu.

Nec dicas, Concilia, & Patres in allatis Sacris Canonibus 12. *qu.*1. dicunt,

runt, Clericos Beneficiarios, non Dominos esse, sed *Dispensatores bonorum Ecclesiæ*; quod etiam videre est in *cap.* 4., *&* 5. *de Peculio Clericorum*; *& cap.* 2. *de donationibus* dicitur, *quilibet Prælatus Ecclesiarum sit Procurator, non Dominus*. Contra, non quidem de bonis Ecclesiasticis Beneficiario, seu Prælato jam assignatis hoc intelligendum; sed de aliis Ecclesiæ bonis, quorum Prælatus simplicem habet administrationem; talia sunt bona Ecclesiarum immobilia, Prædia, Domus &c.; Vel mobilia pretiosa; vel etiam fructus illi, qui ex Fundatorum mente, ac dispositione sunt ad certos usus destinati, ex. gr. pro Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium fabrica, & conservatione; pro certa, ac determinata eleemosina pauperibus facienda &c.: Idque verum est, tum jure antiquo, tum jure novo spectatis: Sicque D. Thomas intelligit quodlibeto 6. *art.* 12. *ad* 3., *&* 2. 2. *qu.* 185. *art.* 7., ut visum est.

Dices, claras esse Patrum auctoritates in oppositum, ut ostendunt Navarrus, Reiffestuel, Henno: sic ait S.Bernardus *Epist.* 40. *quidquid præter necessarium victum, & simplicem vestitum retines, tuum non est, rapina est*; & *Epist.*42. *Clamant nudi clamant famelici, necessitatibus nostris detrahitur, quidquid vanitatibus vestris accedit*; Sic cæteri Patres: Contra, non quidem excluso, sed incluso Beneficiatorum dominio, quoad Ecclesiastica illa bona, sunt hæc intelligenda: At nimis probare argumentum Illustrissimus Lanfrancus ostendit; cum Patres de sæcularibus avaris pari modo loquantur; sic S. Augustinus in *psalm.*147. ad illa verba, *confortavit seras &c.* ait, *superflua diviti, necessaria sunt pauperi; aliena retinet qui ista tenet*; Sic etiam S. Basilius in oratione ad illud Lucæ 12. *destruam horrea mea*; S. Chrisostomus *homil.* 34. ad Populum Antiochenum; S. Ambrosius *serm.*18., aliique passim, uti videre est apud Sporerum *tract.*3. in præcepta Decalogi *cap.*6.*num.*62. Sabinum *tract.*19.*num.*16., Valentiam, aliosque; Sic enim loquuntur Patres, esto certum sit, Sæculares suorum dominium habere bonorum: dicendum ergo cum S. Thoma 2.2.*q.*185. *art.*7.*ad* 1., Patres sic loqui ad insinuandam obligationem pauperibus subveniendi, non quidem ex Justitia, sed ex charitate, quam habent Ecclesiarum Prælati: Siquidem verba illa Patrum non esse toto rigore intelligenda, satis dicta probant.

Nec dicas, certum est, Beneficiarios magis, quam sæculares teneri ad subveniendum pauperibus: Cum ergo sæculares saltem ex charitate teneantur, etiam ex justitia tenentur Beneficiarii: qui cum de bonis Ecclesiasticis superfluis etiam invalidè testentur, signum est illorum nullum habere dominium. Contra, magis quàm sæculares tenentur ad eleemosinam Beneficiati, quia nedum ex charitate tenentur, sed etiam ex virtute obedientiæ, cum innumera sint de hoc Ecclesiæ præcepta, præsertim ex Tridentino *sess.* 25. *cap.* 1. *de reformat.*, & ex virtute Religionis, cum Beneficiorum bona sint res Deo dicatæ: Beneficiariis enim vetat Tridentinum *loco cit.*, *ne res Ecclesiasticas quæ Dei sunt, consangnineis donent*: magis ergo tenentur, quam sæculares. De bonis superfluis testari non possunt Beneficiarii, non quidem ex defectu dominii, sed ex optima juris dispositione, tum in *cap.*3., *& fin. de peculio Clericorum* tum ex *cap.* 1. 7. *&* 12. *de Testamentis*; ut videlicet promptiores sint Beneficiarii ad eleemosinas in vita elargiendas. Cæterum

impuberes, nempè masculi ante annum 14.. & fœminæ ante 12., testari non possunt; ut certum est ex *leg.4.Cod.Qui testamentum facere &c.*, *& leg.5.ff.eodem*;& tamen suorum bonorum dominium habere in dubium est apud omnes: immò nec de Tutoris auctoritate, & consensu illos testari posse, ex Juribus clarum est; & latè cum aliis probat Reiffenstuel *titulo de testamentis*, *num.*294.: Nulla igitur illatio ab impotentia testandi ad carentiam dominii.

Dices, Beneficiarii ante bonorum Ecclesiæ divisionem, non erant illorum Domini, ut omnes fatentur: ergo neque post: cum bona illa, per factam divisionem non mutarunt naturam, sed tantum administrationis modum: alias facta hæc divisio fuisset cum magno Ecclesiarum præjudicio. Contra, nec Beneficiarii dominium haberent relatè ad congruam necessariam sustentationem, si valeret objectum: Dicendum ergo bona illa non mutasse naturam; cum semper fuerint in sustentationem data Ministrorum Ecclesiæ, ad Dei cultum, & Jesu Christi honorem, ac obsequium; ad quod per accidens se habet communitas bonorum, atque divisio: Utilis fuit Ecclesiæ hujusmodi divisio bonorum, tum ad pacem servandam, tum ad lites, ac rixas in bonorum distributione vitandas inter Ecclesiæ Ministros: Nec refert, quod ante bonorum divisionem expensæ ad usus profanos factæ, essent nullæ, & non sine onere restitutionis; secus hodie; & consequenter facta esset hujusmodi divisio cum Ecclesiæ detrimento; non, inquam, refert; cum hoc idem de non superfluis dici posset: omitto nunc expensas illas fuisse nullas, & quidem ex defectu dominii; secus hodie; quid inde? satis Ecclesiarum indemnitati provisum est; cum hujusmodi expensæ etiam hodie graviter sint prohibitæ, si in profanos usus fiant: & simul Ministrorum Ecclesiæ paci, ac unitati sit plenè consultum.

Nec dicas passim in Beneficiorum erectione, & Ecclesiasticorum bonorum divisione, nihil pauperibus videtur assignatum; ergo saltem tunc Beneficiarii tenentur ex Justitia pauperibus subvenire: Siquidem pro tali casu non censetur facta divisio bonorum. Contra, in falso supposito laborat objectum, cum neque in primitiva Ecclesia, quando facta non erat divisio bonorum, erat pauperibus ex Justitia subveniendum, sed ex misericordia, & charitate; facta verò divisione, & quarta parte pauperibus assignata, hæc illis ex Justitia debetur, cum jam portio facta sit pauperum; tales sunt redditus Conservatoriis puellarum, Hospitalibus, aliisque piis locis addicti, ut ex Divo Thoma visum est. Quod verò nec ante bonorum Ecclesiæ divisionem, erant ex illis alimenta pauperibus ex Justitia debita, sed ex charitate solum; ex eo clarum est, quod decimarum dominium (in quibus fundata sunt beneficia) in primitiva Ecclesia erat apud Clerum, non apud pauperes; Siquidem debebantur illæ à populo ex Justitia, ad eos pro dignitate alendos à quibus spiritualiter pascebantur; ut latè Lanfrancus ostendit *cap.7.*, *&* 12., & Soto contra Molinam. Secus dicendum esset, si redditibus Episcopo assignatis nullæ portiones essent Ministris Ecclesiæ, & pro Ecclesiæ fabrica addictæ; tunc enim, iis exceptis redditibus, qui Episcopi sustentationi sunt necessarii, alii debentur, & quidem ex Justitia pro Ecclesiæ fabrica, & pro alendis Ministris Ecclesiæ; ut adducta ratio probat.

Collige ex dictis, Beneficiarium relatè ad bona, sive Patrimonialia, sivè

sivè quasi Patrimonialia, seu Industrialia, sive Parsimonialia, nedum perfectum habere dominium, sed etiam de illis ad omnem usum honestum, etiam profanum, ad libitum disponere posse. Ad hæc bona etiam distributiones quotidianæ, quæ Clericis dantur interessentibus Choro, reducuntur; ut contra Navarrum, & Sanchez, benè probant Giribaldi *cap.3.num.30.*, Lugo, & Bonacina; cum dentur hujusmodi distributiones, ut stipendium laboris. Item etiam relatè ad fructus superfluos beneficiorum, perfectum dominium habent Beneficiati; sed omnes illos in opera pia, præsertim erga pauperes expendere tenentur: Sæculares divites de superfluis pauperes alere debent; sed in Beneficiariis longè major est obligatio, & quidem ex pluribus titulis pauperibus subveniendi: Nec dicas, Episcopum etiam ex justitia hoc debere; cum ex officio ad hoc teneatur. Contra, summa est Episcoporum obligatio pauperibus subveniendi; sed non ex officio, quasi ex pacto implicito, vel explicito ad hoc teneantur.

Item Beneficiarium nullum habere dominium relatè ad bona immobilia Ecclesiarum, ut sunt prædia, domus, & similia; uti nec relatè ad mobilia pretiosa, ut sunt gemmæ, vasa aurea, argentea, nobiles apparatus; Sic contra Sarmiento, Vasquez, Gonzalez, aliosque, communissimè docent Bardi *cit.qu.*10.*sect.*3., Giribaldus *cit. cap.*3.*num.*32., Platellius & passim alii: Nam quæ hucusque solvimus objecta, ad minus hoc probant: hinc de illis bonis ad libitum disponere non potest Beneficiarius; nec illa validè alienare potest sine debitis sollemnitatibus; ut constat ex toto *tit. de rebus Ecclesiæ non alienandis*, & in Extravag. *Ambitiosæ*, eodem; Tale dominium esse specialiter apud Christum ait Reiff. *tit.de Peculio Clericorum n.*47., esse apud Ecclesiam spectatam in capite, & in membris; sive apud cætum Ecclesiasticorum ut bona Monasterii sunt apud communitatem Religiosorum; probabilius tenent alii cum Giribaldo, & Lessio. Siquidem illa bona sic fuisse videntur ante illorum divisionem.

Hinc & quorundam Recentiorum reprimenda libertas, qui communem Theologorum cum D.Thoma sententiam, excessivo zelo, vel potiùs pejori audacia, etiam censuris afficere non verentur; quasi essent Angelico Doctore ipsi Doctiores, & communi Sapientum ipsi præferendi.

APPENDIX IV.

INTER NOVAS *Post num.* 1864.

De Religiosorum Spoliis qui ad Episcopatum sunt promoti.

CONstitutiones Alexandri IV., & Clementis IV. confirmat, explicat, ampliat in sua Bulla Benedictus XIII. data anno 1724. quarto nonas Martii incipiente: *Postulat humilitati nostræ &c.* per hæc verba: *Dudum siquidem fel. rec. Alexander Papa IV. Prædecessor noster, cum expositum illi fuisset aliquando contingere, ut Fratres Ordinis Minorum Conventualium S.Francisci ad Episcopalem, & alias superiores, seu inferiores Dignitates promoti*

moti secum asportare, propriisque usibus applicare præsumerent Libros, & alia, quæ tempore suæ promotionis haberent, tametsi non ad eos, quibus nihil proprium habere licet, sed ad Ordinem pertinerent; ad ejusmodi abusum submovendum, & consulendum præfati Ordinis indemnitati, quasdam suas desuper promulgavit Literas Apostolicas tenoris sequentis, videlicet -- ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei. Generali, & Provincialibus Minoris Ordinis Fratrum Minorum. Ex parte vestra Nobis fuit intimatum, quòd, cum contingat interdum ad Episcopalem, & alias superiores, seu inferiores Dignitates, aliquos de Fratribus vestri Ordinis promoveri, ipsi libros, & alia, quæ tempore suæ promotionis habent, licet non ad eos, cum proprium eis habere non liceat, sed ad Ordinem pertineant memoratum, propriis usibus applicare præsumunt in suarum perniciem animarum: Quare suppliciter postulastis à Nobis, ut providere super hoc salubriter curaremus. Nos igitur eorundem Fratrum saluti, & indemnitati vestri Ordinis paterna volentes solicitudine providere, ut libros, & alia, quæ ipsos promotionis suæ tempore habuisse, seu habere constiterit, Tibi, Fili generalis Minister, vel tuis provincialibus Ministris, submota qualibet dilatione, resignent, ipsis Fratribus jam promotis in virtute obedientiæ, illis autem, quos promoveri contigerit, ne resignare differant, authoritate præsentium duximus injungendum, nisi forsan Vos ipsorum usus eis ad tempus concesseritis de gratia speciali. Datum Laterani Anno Incarnationis Dominicæ 1255. Nonis Decembris, Pontificatus Nostri Anno primo.

Deindè, cum memoratus abusus in Ordinem quoque Fratrum Prædicatorum irrepsisset, recol. mem. Clemens Papa IV. Prædecessor itidem noster pro suo Pastorali zelo eum extirpandum curavit per suas consimiles Literas Apostolicas, quarum tenor hic subjicietur -- CLEMENS Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Magistro, & universis Prioribus, & Fratribus Ordinis Prædicatorum salutem, & Apostolicam benedictionem. Providentia laudabilis, & salubris in cunctis vestris haberi debet operibus, ut exinde claritatem nominis in conspectu Dei, & hominum habeatis. Cum itaque (sicut asseritis) contingat interdum, quòd illi ex Vobis, qui de Ordine vestro ad Archiepiscopatus, & alias Prælaturas Ecclesiasticas assumuntur, non considerantes quòd ex professione in ipso emissa Ordine nihil habent proprium, quod sibi specialiter valeant retinere, libros, & alia, quæ apud eos hujusmodi tempore promotionis habent, usibus propriis applicare, secumque portare præsumant in propriæ salutis dispendium, & dicti Ordinis ad hujusmodi volentes salubriter refragari, universis Fratribus dicti Ordinis ad hujusmodi Archiepiscopatus, Episcopatus, & Prælaturas de cætero assumendis, authoritate præsentium districtius inhibemus, ne Consecrationis munus quoquomodo recipiant, antequam libros, & bona contingentia Ordinem memoratum, quæ apud eos tempore suæ promotionis habere contigerit, Prioribus, & Conventibus, de quibus assumpti fuerunt, cum integritate resignent, nisi forsan iidem Priores, de consensu ipsorum Conventuum, usum illorum ad certum tempus eis duxerint concedendum: alioquin eo ipso ab executione Pontificalis Ministerii noverint se suspensos. Inter hujusmodi autem libros non intelligimus comprehendi quaternulos, & alias

char-

chartulas, vel membranas, in quibus dicti Fratres sibi certa notabilia cum aliquibus privatis sermonibus collegerunt. Nulli ergo &c. Datum Viterbii Anno Incarnationis Dominicæ 1268. quinto Idus Junii, Pontificatus Nostri Anno quarto.

Quamvis autem præinsertarum Apostolicarum Literarum tenorem à memoratis Regularibus, pro quibus emanarunt, religiosè hactenus observatum fuisse, & adhuc observari minimè vereamur: Nihilominus nonnullis justis, & gravibus adducti rationibus, ad obstruendum fraudibus, quæ forsan in posterum committi possent, quemcumque aditum, easdem Alexandri, & Clementis Prædecessorum Literas cum omnibus & singulis in eis contentis confirmandas, & innovandas esse duximus; prout Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione illas, & in eis contenta quæcumque (iis tantùm exceptis, quæ eidem nostræ Constitutioni adversantur, ut infra) amplissimè confirmamus, approbamus, ac innovamus, & quatenus opus sit, adversus quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quoquomodo prætendi posset, restituimus, pristinum in statum reponimus, ac plenariè reintegramus.

Præterea, etsi satis constet saluberrimam prædictarum Literarum dispositionem non ad eos dumtaxat, de quibus loquitur, sed ad universos etiam alios Regulares Ordines pertinere, cum ratio Voti solemnis paupertatis, cui illa unicè innititur, vigeat, locumque habeat generatim absque ulla prorsus differentia in Ordinibus, quorum Professores eodem paupertatis Voto æqualiter obstringuntur: adeoque sicut iidem Professores indiscriminatim nihil proprium possident, nec possidere possunt, & quidquid acquirunt, Monasterio, & Ordini acquirunt, ita sanè absque ullo discrimine, quando ad Prælaturas Ecclesiasticas assumuntur, bona, quæ ante earum assecutionem habebant, secum asportare, propriosque in usus convertere nequaquam possunt, sed Monasterio, & Ordini, cui acquisita sunt, ex integro relinquere, ac resignare tenentur; Nihilominus ad quamcumque ambiguitatem submovendam, ac penitus è medio tollendam, Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, memoratas Alexandri, & Clementis Prædecessorum Literas tenore præsentium expressè extendimus, ac ampliamus ad omnes etiam, & singulos alios Catholicæ Ecclesiæ Ordines, Congregationes, ac Instituta Regularia, Monastica, & alia quocumque nomine, & titulo nuncupata, nullo prorsus excepto, à quibus, & ab eorum Professoribus deinceps illas in omnibus, & singulis, quæ præsenti Constitutioni non adversantur, exactissimè observari volumus, præcipimus, & mandamus, perinde ac si ipsæmet Literæ à præfatis Prædecessoribus nostris pro singulis aliis Ordinibus, Congregationibus, ac Institutis prædictis, eorumque Professoribus quibuscumque editæ, & promulgatæ fuissent, & non alias, aliter, nec alio modo.

Cupientes insuper, ut omnis ansa, & occasio quibuscumque alienis, extraneis, aut subdolis prædictarum Literarum interpretationibus præcidatur, Ordinumque Regularium quorumcumque præfatorum indemnitati plenius etiam, atque uberius consultum sit: Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, omnibus, & singulis Regularibus Personis cujuscumque

que

que Ordinis, Congregationis, ac Instituti, ut præfertur, qui à Nobis, & à Romano Pontifice pro tempore existente ad Patriarchatus, Archiepiscopatus, vel quascumque alias Prælaturas, & Dignitates Ecclesiasticas in posterum assumentur, tenore præsentium strictissimè interdicimus, ac inhibemus, ne secum asportare, propriisque usibus applicare audeant libros, pecunias, credita, deposita, & bona mobilia, seu immobilia cujuscumque generis, & speciei, quæ eos tempore suæ promotionis penes se: vel alios habere contigerit, exceptis dumtaxat Scriptis, propriis Indumentis, & Breviario; *sed ea omnia, statim ac suæ promotioni consenserint, & antequam Consecrationis munus suscipiant, Superiori Locali, & Capitulo Cœnobii, Conventus, aut Domus, ubi degunt, integra, & intacta absque ulla prorsus diminutione, cum eorum Notula, seu Inventario bona fide confecto, resignare teneantur, ut illi postmodum Cœnobio, Conventui, vel Domui applicari possint, ac debeant, cui juxta Constitutiones, & consuetudines cujusque Ordinis, Congregationis, ac Instituti, applicanda esse constiterit. Quod si secus fecerint, & huic nostræ Ordinationi non obtemperare præsumpserint, contrafacientes, ultra pœnam Suspensionis ab exercitio Pontificalis Ministerii in præfatis Clementis IV. Literis constitutam, Suspensionis insuper à Divinis pœnam ipso facto incurrant, cujus relaxationem Nobis tantùm, & Romano Pontifici pro tempore existenti (sublata ceteris omnibus, etiam Pœnitentiariæ Apostolicæ Officio, & majori Pœnitentiario, eam, etiam ad tempus, relaxandi facultate) specialiter, & expressè reservamus, ac reservatam esse volumus, statuimus, & mandamus.*

Postremo, cum æquum, & salutare, imò etiam necessarium arbitremur, ut occurratur, ac opportunum adhibeatur remedium præjudiciis, & detrimentis, quæ hactenus illata fuisse novimus, ac etiam de cetero inferri posse animadvertimus Ordinibus Regularibus, Cœnobiis, Conventibus, ac Domibus prædictis ex facultate, quæ ab Alexandro Prædecessore Ministro Generali, & Provincialibus Ordinis Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, & à Clemente itidem Prædecessore Magistro Generali, ac Prioribus Ordinis Prædicatorum, ut præfertur, tributa fuit concedendi Promotis ad Episcopalem, & alias Ecclesiasticas Dignitates, usum ad tempus librorum, aliorumque bonorum, quæ tempore suæ promotionis habebant: Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, tenore præsentium nedum præfatis, sed etiam omnibus, & singulis aliis Superioribus quorumcumque aliorum Ordinum, Congregrtionum, ac Institutorum Regularium prædictorum, ad quæ prainsertas Alexandri, & Clementis Prædecessorum Literas, ut supra, extendimus, & ampliavimus, etiamsi Abbates, Magistri, Ministri, & Præpositi Provinciales, aut Generales fuerint, vel quacumque alia denominatione, ac titulo Ordinibus, Congregationibus, & Institutis antedictis præfuerint, nec non eorundem Cœnobiorum, Conventuum, Domorumque Superioribus Localibus, & Capitulis quibuscumque, prædictam facultatem concedendi ad tempus usum librorum, aliorumque mobilium præfatorum prorsus adimimus, auferimus, & abrogamus, ac pro adempta, sublata, & prorsus abrogata ab omnibus in posterum haberi volumus, statuimus, & declaramus, ita ut perpetuis futuris temporibus ejusmodi facultate uti amplius

plius non possint, nec debeant, perinde ac si ipsis à præfatis Prædecessoribus nostris nunquam tributa, & concessa fuisset, & non alias, aliter, nec alio modo: sub pœna, si secus fecerint, Suspensionis à Divinis eo ipso incurrenda, cujus relaxationem Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti, privativè quoad omnes alios, reservamus, & reservatam esse statuimus, præcipimus, ac mandamus &c.

APPENDIX V.

INTER NOVAS *Post num.* 2094.

An, & quæ defensio contra injustum pudicitiæ, vel temporalium bonorum invasorem licita sit aggressò.

AN fæmina teneatur potiùs permittere se occidi, quam aggressori permittere fornicationem, seu an posset non resistendo, quieta, & immobilis permanere, sicque turpem permittere congressum; quærunt Theologi: ac negativè respondet pluribus citatis Roncaglia *cap.*2. in sextum Decalogi præceptum *quæst.*3. & quidem meritò; cum sit omnibus certum, quocumque periculo mortis non obstante, fæminam in turpitudinem consentire non posse; neque ad turpem se præparare congressum; cum talis præparatio actio sit cooperativa, ac dispositiva ad peccatum: adeoque nec potest, quocunque periculo mortis non obstante, non resistendo, quieta, & immobilis permanere; non enim aliud ex parte fæminæ requiritur ad talem cooperationem, quàm ut quieta, ac immobilis patiatur: debet ergo fæmina, quocunque mortis periculo non obstante, irrequietis motibus resistere quantum potest aggressori, ac divinum semper auxilium invocare: sicque faciendo, Deo adjuvante, minimè peccabit. At non tenetur fæmina, ut resistat invasori, vel illum occidere, si posset, vel inclamare viciniam, si sine periculo ingentis infamiæ non posset; ut latè probat Cardinalis de Lugo *de Justitia, & Jure disp.*10. *sect.*10.; & quinquaginta Doctoribus citatis Vindex Tabernæ in Collectanea ad primam propositionem; La Croix *lib.*3. *part.*1. *num.*916.; S. Antoninus, Silvester, Sotus, Navarr., Gonet, & passim alii; siquidem non esset pro illis circumstantiis cooperatio silentium, vel invasoris non occisio; e contra revera esset, componere se ad copulam, vel illam quieto, & immoto corpore expectare; cum media hæc sint à natura ad hoc instituta: Nec obstat exemplum, quod adduci solet, Susannæ, quæ, ne opprimeretur à Senibus, clamavit: siquidem clamasse Susannam, verum est; *exclamavit voce magna Susanna*; *exclamaverunt autem & Senes adversus eam*, habetur Danielis *cap.* 13.; at clamasse, falsum est, ne opprimeretur à Senibus; cum hi non violentiam, sed falsam de commisso adulterio accusationem Susannæ minati fuerant, ibi, *quod si nolueris, dicemus contra te testimonium, quod fuerit tecum juvenis, & ob hanc causam emi-*

feris puellas à te: at omisso, Susannam, ob illatam sibi à Senibus violentiam, clamasse; quid inde? tantum illam inferes clamare potuisse, secus autem ex obligatione clamasse.

Licitum esse fæminæ iniquum hunc occidere invasorem, si alia non sit, via pudicitiam conservandi, Henno, Jueninus, aliique Recentiores immeritò negant: siquidem omnia jura sive naturale sit, sive positivum, sive divinum, sive humanum, sive sacrum, sive civile, vim vi repellere permittunt; *vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittunt*; ut ait tum Alexander III. *in cap.*3. *de sententia excommun.*, tum Innocentius III. *in cap.* 18. *de homicidio*: aggressor autem pudicitiæ vim intentat, nedum corpori, etiam castitati, quam corpore pretiosiorem esse, nemo dubitat: tum quia si licitum est ob necessariam membrorum defensionem invasorem occidere; cur & pro defensione castitatis minimè licebit? Sicque sentiunt Salmanticenses *tract.* 25. *cap.*1. *num.*72. Sanctus Antoninus, Navarr., Farinacius, Molina, Lugo, Lessius, Azorius, Tapia apud eosdem; Sporer in quintum Decalogi præceptum *cap.*2.*num.*165., eoque teste communissima Doctorum, ac sine controversia. Nec dicas, invasoris occisionem nunquam necessariam esse pro castitate servanda. Contra, verum est, si de animi, ac mentis castitate loquaris, *Qui sana mente putaverit* (ait S. Augustinus *lib.*1. *de Civitate cap.*18.) *se perdere pudicitiam, si fortè in apprehensa, & oppressa carne sua exerceatur, & expleatur libido non sua? Si enim hoc modo pudicitia perit, profectò pudicitia virtus animi non erit*: at secus dicendum, si de castitate corporis, ac de violenta carnis oppressione, hoc dicere velis; quam omni vi repellere, jura omnia permittunt. Nec refert, Evodio dicenti, *Non ergo lex intra est, quæ dat potestatem fæminæ, ut violenter sui stupratorem irruentem, aut illatum stuprum, si possit, interimat*, respondisse S. Augustinum *lib.*1. *de libero arbitrio cap.*5., *legem quidem non reprehendo, quia tales permittit occidi*; *sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio*. Cum de occisione hic loquatur Augustinus non quidem facta ad necessariam pudicitiæ defensionem; sed in vindictam, atque in aggressoris odium; siquidem de occisione loquitur stupratoris, quæ etiam relatè ad stuprum jam illatum facta est, ut Evodii verba notant; & contra illatum stuprum nulla defensio, sed sola vindicta datur; quam nulli privatæ personæ licitam esse, admittimus omnes; cum nec injustum vitæ invasorem in odium, ac vindictam occidere liceat; quo sensu ibidem ait S. Augustinus, *quo pacto istos defendam, qui interficiunt* (ne interficiantur) *non invenio*; & infra, *quomodo apud Deum sunt isti à peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* Dices, saltem non tenetur fæmina injustum pudicitiæ aggressorem occidere; adeoque nec potest; cum nulla esset necessitas hominem occidendi: Contra, nec vitæ aggressorem injustum ad necessariam sui defensionem occidere tenetur; immò & non occidere melius est; *de occidendis hominibus* (inquit Augustinus Epistola 154. ad Publicolam) *ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet consilium*; & tamen occidere posse, si cum moderamine fiat inculpatæ tutelæ, communissima est Doctorum sententia, teste Sporero *cit. cap.*2. *num.*135.; Reiffenstuel *tit. de homicidio num.*130., eoque teste, *Unanimis, & certa*; Henno *disp* 5. *quæst.*4.

quæst.4. in Decalogum art.3.concl.3. inquiens, *ita tenet cum Divis Thoma, Bonaventura, & Antonino, ferè universalis Theologorum torrens; unde hanc sententiam vocat communem, & certam Sylvius; communem, & receptam Wiggers; huic tanquam Div. Thomæ oraculo adhærent Estius, de Cocq, Boudart, Natalis Alexander &c., Contra duos, aut tres antiquos, & totidem Recentiores*. Idem ergo dicendum de pudicitiæ aggressoris occisione cum moderamine facta inculpatæ tutelæ; quæ utpotè necessaria ad illatam sibi vim reprimendam, permissa est, non præcepta.

Quæ temporalia bona levis sunt momenti, defensione occisiva defendi non possunt; ut constat ex propositione 31. inter damnatas ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. sic habente, *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*; ratione dictante potius leve incommodum sustinendum esse, quam gravissimum damnum, qualis est mors, inferre proximo: idemque dicendum de temporalibus bonis etiam magni momenti, si non sint actu possessa; constat ex propositionibus 32., & 33. inter damnatas ab Innocentio XI.; quarum prima sic habet, *non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus*; altera verò, *licitum est tam hæredi, quam legatario contra injustè impedientem, ne hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem*; alias innumeræ sequerentur sine ratione cædes hominum; cum faciles sint omnes in sperando, & plura quæ speramus possint non evenire; tum quia in his moraliter est impossibile, ad superiores nullum haberè posse recursum; quæ doctè satis ad has propositiones expendunt Milante, Lastra, Lumbier, Hozes, Theatrum Morale, Filgueira, Viva, Cardenas, aliique apud ipsos.

Quid ergo de bonis temporalibus dicendum, quæ actu possidemus, si magni sint momenti, seu quæ sine magno incommodo, ac detrimento amitti non possint; nec alio possint modo recuperari, vel defendi, quam injusti aggressoris occisione? sic defendi posse plures Antiqui negant; ac Recentiores etiam Sabinus, Henno, Jueninus, & passim Galliæ, ac Belgii moderni Scriptores. At communis Theologorum, præsertim qui post damnatas scripsere propositiones, sentit oppositum; Giribaldus *de homicidio nu.54.*, eoque teste *communis, & vera*; Roncaglia *cap. 3. quær.5.*, Salmanticenses *a num.77.*; Catalanus *quæst. 17. cap. 5.* apud quos Navarra, Rodriquez, Bannez, Valentia, Salonius, Sotus, Navarrus, Lessius, Turrianus, Molina, Cardinalis de Lugo; & ex Canonistis Julius Clarus, Lopez, Gomez, Covarruvias; Reiffenstuel *tit.de homicidio num.138.& 157.*; Wiestner *num.37.*; Krimer *a num.860.*; La Croix *cit.part.1. a num.808.*, qui & de *communissima* Theologorum sententia testatur; ac Theologis supra centum enumeratis, locis etiam, ac verbis adductis, Vindex Tabernæ in Collectanea ad propositionem octavam; inter quos S.Antoninus, Toletus, Aragonius, Azorius, Wiggers, Malderus, Barbosa, Mastrius, Bassæus, Sayrus, Bosco, Herinch, Sporer, & alii.

Quibus & libenter adhæremus ex inconcusso illo principio, *Quod vim vi*

repellere omnes leges, *omniaque jura permittunt*, ut ex Alexandro III., & Innocentio III. visum est: & quidem longè superioris ordinis est vita spiritualis proximi relatè ad propriam vitam corporalem, quàm relatè ad propria temporalia bona vita corporalis proximi; adeoque ut pro defensione vitæ temporalis injustum aggressorem occidere licet, etiam cum vitæ spiritualis, ac æternæ proximi detrimento; sic & illum occidere licebit pro temporalium defensione bonorum: proximo extremè indigenti, secus autem iniquissimè aggredienti, charitas etiam cum gravi nostro incommodo, ac detrimento subveniendum esse præcipit; proximus, non quidem in gravi malitia, sed in gravi necessitate constitutus, nostris est temporalibus bonis adjuvandus; sic enim proximum ut nos ipsos diligere debemus. Nec dicas extimabilior est fama divitiis, & tamen occisiva defensione defendi non potest; cujus oppositum Alexander VII. in propositione 17., & Innocentius XI. in 30. propositione damnarunt. Cum nulla sit illatio; siquidem occisiva defensio potest medium esse proportionatum, ac unicè aptum, ut ad propriam vitam, sic & ad propria bona salvanda: secus relatè ad famam, quæ non calumniatoris occisione, sed veritatis ostensione salvatur; alias cum ex passione facilis in hac re sit hallucinatio, magna daretur cædibus ansa; ut latè qui in damnatas scripsere propositiones, ostendunt.

Favet Scriptura, Exodi *cap.22.* habetur, *si effringens fur domum, seu suffodiens inventus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis; quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit:* non aliunde hoc additum de fure diurno; nisi quia orto sole, satis est facile vel inclamare viciniam, vel cognito fure, quæ sunt ablata furto recuperare: Nec dicas ab Augustino aliter additum illud explicari *qu.84.* in Exodum per hæc verba, *hoc enim est quod ait, si oriatur sol &c. quia poterat discernere, quod ad furandum, non ad occidendum venisset, & ideo non debet occidi*: si nempè solùm venerit ad furandum. Cum de fure ibi loquatur Augustinus, a quo sua bona defendere non impeditur aggressus; secus autem de fure justam defensionem hostiliter impediente, ut posteriora quæ sequuntur verba demonstrant, *hoc etiam in antiquis legibus sæcularibus (quibus ista est antiquior) invenitur; impunè scilicet occidi nocturnum furem quoquo modo; diurnum autem, si se telo defenderit; jam enim plus est, quam fur*: adeoque fur etiam diurnus tuta conscientia occidi potest, si defendens se ipsum telo, furetur; sicque invasum hostiliter impediat sua defendere bona; plus enim esset, quam fur; cum nedum furetur, sed etiam contra invasum sua bona defendentem, se telo defendat. Occisivam hanc defensionem pro temporalibus bonis tuendis clariùs propugnat Augustinus Epistola 54. ad Macedonium; in qua inter injustas occisiones reponit illa quæ fit *ab inimico, à latrone*; inter justas verò quæ fit *evadendi, vel subveniendi necessitate, sicut interimitur latro à viatore, hostis à milite*; quis enim dubitat licitam esse hostis occisionem à milite factam? Sermonem hic tantùm esse de bonis necessariis ad vitæ conservationem, nec jota unum ostendit.

Accedit Doctor Angelicus 2.2. *qu.64. art.7.*, ubi adductis verbis Exodi, *si effringens fur domum &c.*, *percussor non erit reus sanguinis*; addit, *sed multo magis licitum est, defendere propriam vitam, quam propriam domum*;

mum; quid clarius? Cum verò sibi Augustini opposuisset auctoritatem *lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. Quomodo apud divinam providentiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* respondet sermonem ibi esse de occisione facta ex prava intentione, seu in vindictam, vel odium; *unde signanter dicitur, pro his rebus, in quo designatur intentio*: & quidem meritò; aliàs nec propriam vitam temporalem defensione occisiva tueri possemus; cum Augustinus illa contemnenda judicet, *quæ homines inviti amittere possunt*. Dices, decisum videtur oppositum ab Alexandro III. in *c.10. de homicidio* per hæc verba, *cum ligatos eos in fratris sui custodia dimisisset, & fures se solvere niterentur, frater illos (ne ipse ab eis interimeretur) occidit: Verum quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, quam pro conservandis vilibus rebus, & transitoriis, tam acriter in alios exardescere; abstineat iste humiliter ab altaris ministerio; & uterque peccatum suum studeat expiare*. Contra, nihil ad rem; necessaria ne fuit defensio illa occisiva? Si fatearis; ergo neque ad propriam tuendam vitam, licita est; cum ibi dicatur, *fratres illos (ne ipse ab eis interimeretur) occidit*: si necessariam fuisse negas; non ergo illa est, quam probamus, occisiva defensio pro temporalium defensione bonorum: quam irrationabilis illa fuerit occisio, satis compertum est; si ligati erant fures, ad quid illos occidere? se nitebantur solvere; at soluti non erànt: itaque omnia contemnenda potiùs, quam absque evidente necessitate hominem occidere.

Nec dicas iterum in *cap. 2. de homicidio* de furis occisore dicitur, *si autem sine odii meditatione te, tuaque liberando, ejusmodi membra diaboli interfecisti &c.; Si aliquid jejunare volueris, bonum est tibi*; ubi ly *te tuaque liberando* satis ostendit, invasoris bonorum temporalium licitam non esse occisionem, nisi etiam ad propriam esset vitam salvandam. Contra, Oppositores urget instantia; siquidem ly *te tuaque liberando* non facit sensum copulativum; alias nec ad salvandam propriam vitam posset quis injustum occidere aggressorem, nisi periculum etiam esset bonorum temporalium; cujus tamen oppositum certissimè constat ex Clement. unica, eod., ubi dicitur nullam incurrere irregularitatem, *qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem*. Dicendum ergo ly *te, tuaque* facere sensum disjunctivum, idest *te, vel tua liberando*; adeoque idem est in jure defendere se, ac defendere sua; ac licitum est, ut propriam vitam, sic & propria bona tueri defensione occisiva; si cum moderamine fiat inculpatæ tutelæ; & bona sint actu possessa, ac magni momenti, seu quæ sine magno incommodo, ac detrimento amitti non possunt. De solo mutilante, vel etiam occidente ad evadendam mortem, declaratur in Clement. nullam incurrere irregularitatem; cum tantum de illo quæsitum erat: at eandem esse rationem de occidente, vel mutilante in bonorum defensionem; communis sententia docet, teste Giribaldo *de irregularitate cap. 6. dub.* 8.; Leander *disp. 12. à qu. 1.*; Covarruvias, Barbosa, Navarr., Suarez, & passim alii; constat ex dictis, præsertim ex *cit. cap. 2. de homicidio*, in illis verbis *te, tuaque liberando* disjunctivè sumendis; tum quia nullibi habetur in jure hæc irregularitas expressa; adeoque nulla est, ex *cap. 20. de sent. excomm. in 6.*, ubi ait Bonifacius VIII., *licet in hoc temere agat, irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in ju-*

in jure) *laqueum minimè incurrit*. Hinc & audiendi non sunt in oppositum sentientes.

APPENDIX VI.

INTER NOVAS *Post num.*2422.

De Societate aliis affecta contractibus, seu de triplici contractu.

Celebre dubium est inter Theologos, an licitus sit, vel usurarius contractus triplex cum eadem initus persona. Triplicis contractus nomine tres hic intelliguntur contractus, nempè contractus societatis, quo plures ad negotiandum associantur: contractus assecurationis sortis principalis, quo sors jam est in tuto posita; Et contractus venditionis lucri incerti pro lucro certo: qui etiam dici potest contractus assecurationis lucri: quod deinde sperat quis ex negotiatione lucrum in tres ex.gr. dividit partes, ex quibus una parte lucri sibi retenta, utramque alteram, unam pro sortis assecuratione, aliam pro lucri sperati venditione relinquit.

Triplicem hunc contractum cum eadem persona initum, usurarium esse, docent Cajetanus, Soto, Azorius, Rebellus, Filliucius, aliique com Henno *disp.* 9. *de Justitia, & Jure qu.* 5., cui recentes Galliæ, ac Belgii Scriptores accedunt; sed communissima Theologorum sententia negat, cum de contractibus agunt: sic innumeris citatis Salmanticenses *cap.* 3. *à num.*98., Sporerus *cap.*6. *à num.*57. Reiffenstuel *dist.*4. *quæst.*10., Lugo *disp.*30.*sect.*4., Dicastillo *tract.*10.*disp.*2. *dubitat.*21., Amicus *disp.* 24.*sect.*3., Platellius à *num.*709. la Croix *num.*876., Mastrius *disp.*5. *à num.*135., Viva *qu.*9.*art.*3. Sabinus *num.*123., Roncaglia *qu.*11. *cap.*3., Giribaldus *cap.*12. *dub.*5. Homobonus *cap.*14.*qu.*44., Rosignolus *disquisit.*6., de Mutuo §. 8., Catalanus *cap.*14.*num.*5., eoque teste Moderniores ferè omnes: Item Gabriel, Major, Angelus, Fumus, Valentia, Medina, Lopez, Toletus, Garcia, Silvester, Serra, Salonius, Covarruvias, uterque Navarrus, Molina, Lessius, Layman, Trullench, Tannerus, Malderus, Faber, Mendo, Busembaum, Bonacina, Castropalaus, Illsung, Diana, Garamuel, aliique passim apud citatos Auctores: Cum quibus & libenter nos sentimus. Ratio est, quia Praxis totius Orbis hujusmodi contractum honestum esse, ac licitum ostendit, uti videre est apud Salmanticenses, Lugo, Roncaglia, Giribaldum; quam reprobare nullus audebit: quis enim reprehendet, quod ab omnibus approbatur? Si omnes probant etiam timorati probant, ac sapientes. Utrumque jus favet: siquidem in *leg.* 29. *ff. pro socio* hæc habentur, *ita coiri societatem posse ut nullam partem damni alter sentiat, lucrum verò commune sit, Cassius putat*: hoc autem esse non potest, nisi sortem principalem, & quod speratur lucrum, assecurando; Item in *cap.*7. *de donationibus inter virum & uxorem*, ait Pontifex Innocentius III., quod marito

ad

ad inopiam vergente, dos apud aliquem Mercatorem deponatur, (nempe ad negotiandum) qua ex parte lucri honesti matrimonii onera sustententur; idque non aliunde, nisi ut salva dos conservetur, quod nisi per triplicem explicatum contractum fieri non poterit; Ratio ulterior est, ac præcipua, quia ex omnium sensu triplex hic contractus, si cum diversis personis initus sit, licitus est, ac honestus, & integram servat justitiam commutativam; ut si pecuniam des Petro ad societatem, seu ad negotiandum, & Joannes tum sortis, tum lucri tibi, pretio ducto, assecurationem præstet. Ergo etiam licitus est, ac justus, si cum eadem sit initus persona. Primum fatentibus Adversariis, clarum est. Illatio sequitur, quia diversitas personarum inter Mercatorem, & Assecurantem neque rerum pretia mutat, neque contractus naturam. Confirmatur, esto societas, quæ fit salvo capitali, & lucro, sit usuraria, si vi societatis fiat; honesta tamen est, ac licita, si fiat salvo capitali, & lucro, non quidem vi societatis, sed alterius justi, ac liciti contractus; qualis esset assecuratio capitalis, ac lucri, quæ fiat justo pretio suppleto; sic injustum est commodatarium vel depositarium teneri de casu fortuito: Nam res quæ perit, domino perit; sed hoc solùm vi depositi, & commodati, secus autem si contractus alius addatur; ut si de casu fortuito interveniat pactum; responsio hæc est Summi Pontificis Gregorii IX., tum in cap. unico *de commodato*, tum in *cap. fin. de deposito*; Ut ergo injustum est, commodatarium, vel depositarium teneri de casu fortuito, nullo alio interveniente contractu; justum verò, ac debitum, alio contractu interveniente, ut si pactum intercesserit; sic illicita est, atque injusta societas, quæ fit salvo capitali, & lucro, nullo alio interveniente contractu; sed licita est, ac justa, si fiat salvo capitali, & lucro ex alio justo, ac licito interveniente contractu assecurationis, nempè capitalis & lucri, pro qua & justum pretium solvatur.

Nec dicas primo Sixtus V. per Bullam 45. *detestabilis* damnat omnes pactiones, quibus cavetur, ut capitale salvum maneat, sive contrahatur ad certum, sive ad incertum lucrum. Secundo triplicem hunc contractum plures Synodi prohibuerunt, ut Cameracensis prima Meclinienssis, Audomarensis, Iprensis, Attrebatensis, aliæque. Tertio eumdem damnat expressis verbis facultas Parisiensis an. 1664. Quarto tanquam usurarium eundem reprobant Zonaras, & Theodorus Balsamon in expositione Canonis 17. Concilii Nicæni. Quinto una ex conditionibus ad societatem requisitis est, ut lucrum, & damnum ex societate proveniens sit commune sociis; & societatem aliter factam leges vocant *societatem Leoninam*; nec distinguunt inter societatem puram, & mixtam. Sexto quia pecunia sic tradita, & assecurata transit totaliter in dominium assecurantis; cum possit de illa pro libito disponere; & ipsi pereat, si perierit; quod signum est translati dominii; adeoque mutuum habetur, non societas, & consequenter usura, cum sit lucrùm ex mutuo. Sic Herno.

Contra ad primum loquitur Summus Pontifex de societate facta salvo capitali, & lucro de jure communi prohibita, ac usuraria; seù quæ fit vi societatis, & nullo alio justo contractu interveniente; secus autem de illa, quæ fit alio justo interveniente contractu, assecurationis nempè capitalis, & lu-

& lucri, quæ fiat justo pretio soluto; sicque decidit Sacra Rota Romana die 3. Junii anno 1602. coram Coccino; quam habes in compendio Cherubini ad hanc Bullam Scholio primo, Lugo, Reiff., Salmanticenses: Nec refert, Pontificem indefinitè, ac sine ulla distinctione loqui; nam, ex quo Pontifex de societate loquatur usuraria, ac injusta, satis explicat, de qua societate loquatur.

Dices, Pontifex illam damnat societatem, ut usurariam, de qua inter Theologos disputabatur, & quam aliqui ut licitam propugnabant; alias ad rem non fuisset Pontificis sententia, atqui societas, de qua tunc disputabatur, & quam aliqui ut licitam propugnabant, non est, nisi contractus triplex, de quo in præsenti; nec enim alia assignari potest tunc disputata societas; quem ergo propugnamus triplicem contractum, Pontifex ut usurariam damnavit societatem. Contra est, negando majorem; societatem, de qua Theologi disputabant, & quam aliqui licitam dicebant, Pontifex non damnat, sed solum abusum rejicit, atque usuram societatis à Theologis propugnatæ; siquidem abutebantur illa Mercatores, societatem, salvo capitali faciebant; quod illicitum est, ac usurarium; & nisi alius interveniat contractus, ut explicatum est, abusus est societatis; quem & nos cum Pontifice damnamus. Ut ergo non Sacramenta damnat qui Sacramentorum damnat abusum; sic neque Pontifex triplicem contractum damnat à Theologis propugnatum, cum societatis abusum rejicit, atque usuram, ut Sacra Rota decidit.

Ad secundum, ac tertium eamdem adhibe responsionem, ut etiam ad quartum cum nullibi tales contractus inveniantur prohibiti, si justum pretium sit aliunde suppletum: Notissima hæc sunt documenta Theologis, qui cum triplicis hujus contractus propugnent honestatem, ad rem illa non esse, ferè omnes certissimè putant. Ad quintum dico, lucrum certum haberi non posse ex vi societatis, sed per alium contractum omninò ab ea diversum, per quem assecuratio habetur ex justo pretio aliunde suppleto, ut nemine diffitente fit in commodato, locato, deposito. Idem quoque ostendit contractus triplex, si cum diversis personis fuerit initus: Nec ideò dici posset *societas Leonina*, quia quod periculum damni ab una solum parte subitur, ab altera per alium contractum justo pretio compensatur; ut in adductis exemplis patet. Ad sextum nego majorem; cum sors non transeat in dominium assecurantis; neque hic posset ad libitum de illa disponere; non enim hoc esset ratione societatis; cum non societas, sed mutuum dominium transferat pecuniæ; neque potestatem dat pro libito de sorte disponendi, sed solum in ordine ad negotiandum; neque posset esse ratione assecurationis; aliàs & omnis assecuratio dominium transferret, & falsum esse patet in assecuratione commodati, depositi, locati &c. tum in triplici contractu cum diversis personis inito.

Quod verò sors periret assecuranti, signum non est translati dominii, cum sors possit alicui perire, vel ratione dominii, vel ratione contractus, ut in allatis patet exemplis; & constat ex citatis cap. unico *de commodato*, & cap. fin. *de deposito*. Hinc fatentibus omnibus, res quæ perit casu fortuito, Domino perit, nisi contractus obstet. Cum ergo sors maneat sub domi-

dominio dantis in casu nostro, hic poterit sine usuræ periculo lucrum ex illa reportare; non sic in mutuo, in quo pecunia in recipientis dominium transit; nec dicas, si vera esset allata doctrina, in omni mutuo fieri posset triplex iste contractus cum eadem persona, sicque nulla esset ampliùs usura. Contra, est illatio neganda; cum voluntas, & occasio proxima negotiandi non semper habeantur: si enim istarum altera deficiat, vera non est societas, sed palliata usura: cætera vide apud Salmanticenses, Giribaldum, Roncaglia, Rosignolum, Homobonum, aliosque citatos.

Dices tandem, triplex hic contractus societatem includit; de cujus ratione est commune lucrum, commune damnum, commune periculum; eique assecuratio capitalis, & lucri certissimè repugnat; hoc ipsum ergo triplici contractui convenire non potest; quod enim repugnat constitutivis, & constituto repugnat, & quod partem destruit, destruit totum.

Contra etiam, depositum, & commodatum cum pacto de casu fortuito, contractum includit depositi, & commodati; ut ergo quis non tenetur ad casum fortuitum ex vi depositi, & commodati; sic neque tenetur, si cum pacto fiant de casu fortuito; quis hoc dicat? Item duo brachia continent unum, & alterum brachium, & totum singulas partes includit; quod ergo pondus quis elevare non potest, uno brachio, neque duobus elevare poterit, & quod duo non possunt homines, neque centum homines possent: secundo urget oppositores objectum; quod repugnat societati, & triplici contractui repugnat: adeoque ut repugnat societati assecuratio capitalis, & lucri, nullo justo pretio pro assecuratione soluto, secus autem si justum solvatur pro illa pretium; sic triplici contractui repugnat assecuratio capitalis, & lucri, nullo justo pretio pro assecuratione soluto; secus autem si justum pretium pro illa solvatur: & quidem aliud est, societatem esse non posse assecurationem capitalis, & lucri; quod verum est; aliud verò quod cum tali assecuratione uniri non possit; quod est falsum. Neque ab uno ad alterum ulla est illatio; sic Animæ rationali, ac spirituali repugnat esse corpus, at esse cum corpore minimè repugnat. Item quod partem destruit, destruit totum, sic deficiente anima, vel corpore, deficit homo; At non semper constituto repugnat, quod singulis repugnat constitutivis; Sic esse compositum ex anima, & corpore non repugnat homini, immò est hominis essentia; quamvis hoc ipsum, tum corpori, tum animæ repugnet: cum nulla istarum partium hominis compositum esse possit ex anima, & corpore.

Patet ex his, triplicem hunc contractum etiam in animalium societate licere; ut cum rustico, vel pastori traduntur certa summa pecorum, ovium, vaccarum &c., cum communi participatione fructuum. Sic tamen ut periculum non ad dantem, sed ad accipientem spectet; quatenus pro pereuntibus capita substituere debeat, simulque annuam pensionem solvere teneatur; sed longè minorem, quam alias deberet, in oneris compensationem in se suscepti; communis est Theologorum sententia cum Lessio, Molina, Layman, Sporero *de contractibus cap.6.num.*60., & Giribaldo *cit.cap.*12.*n.*52. Ratio est quia rustici, seu pastoris gravamen, non vi societatis habetur, sed alterius justi contractus, assecurationis nempè capitalis, & lucri, & quidem aliunde justo pretio compensatæ.

Immò experientia patet (teste Sporero) in Bavaria, & Svevia ex tali contractu utrumq; & dominum, & rusticum solere magnum reportare lucrum; cum dominus dat rustico vaccas in loco salubri, & tuto, ut periculum casus fortuiti in se recipiat, ob circumstantias tamen loci rarò contingentis; Rusticus verò teneatur, pro singulis vaccis unum dare vitulum quotannis omni alio fructu, ac emolumento sibi retento. Sed quid si Cajus det Titio decem gallinas, cum pacto, ut singulis diebus reddat unum ovum, & ulterius teneatur integrum servare numerum gallinarum; adeoque si una moriatur, vel eripiatur, aliam substituere? injustum hunc esse contractum, dicunt Medina, Rebellus, Alloza V. societas *num.*43., aliique; quia Cajus habet lucrum certum: Titius autem totum periculum sortis, & præterea onus alendi gallinas: sed esse justum, probabilius tenent alii cum la Croix *num.* 1099., Layman, Castropal. quia periculum compensari potest per plures fructus; & onus alendi compensatur per longè plura ova à reliquis gallinis habenda.

Potest ergo vera societas esse cum assecuratione capitalis, & lucri, quæ aliunde, seu alio contractu justo sit pretio compensata. At vi solius societatis nulla assecuratio, sive capitalis, sive lucri haberi potest; ut certum est apud omnes, & in allatis objectis, præsertim ex Bulla Sixti V. *detestabilis*, clarissimè demonstratur. Est autem societas, duorum, vel plurium conventio, ad commune lucrum, secundum proportionem rerum contributarum inter eos æque distribuendum, suam pecuniam, industriam, seu laborem conferentium: sic omnes ex *leg.*4., *& seqq. ff. pro socio*; Sic ex. gr. plus lucratur qui pecuniam, & industriam quam qui solam pecuniam ponit. Hinc primo requiritur ad societatem, ut fiat in negotiatione honesta, ac licita; secundo ut singuli aliquid in commune conferant ad lucrandum idoneum; ex. gr., pecuniam, animalia, industriam, seu laborem &c.; tertio, ut expensæ, lucrum, damna, quæ societatis causa fiunt, vel eveniunt, omnia communia sint, & æqualia, nempe secundum proportionem illius, quod in commune confertur; omnia certa sunt in jure apud Reiffenstuel, Lugo, Lessium, aliosque citatos. Dissolvitur verò societas primo ex mutuo consensu; secundo ex publicatione bonorum alterius socii; tertiò ex cessione bonorum causa debitorum facta; quarto elapso societatis tempore; quinto re, ex qua fundatur societas, tota, vel magna ex parte pereunte; sexto morte socii; sic jura apud Illsung *tract. 6. disput. 2. num.*454., Reiffenstuel, & alios adductos.

Finita societate inter duos, quorum unus apposuit pecuniam, alter verò operam, & laborem; prius restituendum capitale, si superstit, illi qui apposuit pecuniam; & postea dividendum lucrum, juxta extimationem industriæ, ac laboris; idque verum est, quamvis opera æqualis esset valoris, cum pecunia pro capitali apposita: Sic Giribaldus *cit.cap.*12.*dub.*4., Roncaglia *cit.qu.*11.*cap.*2., Angelus, Silvester, Reginaldus, Azorius, Navarrus, Castropalaus, Bonacina, Rosignolus, & communissima Theologorum sententia cum S. Th. 2. 2. *qu.*78. *artic.*2. *ad* 5. contra Molinam, Lessium, Lugo, Henno, Viva, aliosque. Ratio est, quia pecunia posita in societate, non est communis apud socios, quoad proprietatem, & dominium, sed solum quoad usum,

usum, & commoditatem, hinc si pereat tota, vel in partem, domino perit, qui eam posuit: eidemque integrè restituenda, si adhuc supersit: clarissimè hoc statuit Sixtus V. in sua Constitutione *detestabilis*, ubi ait: *sortem, finita societate, si extat, restituendam esse illi, qui eam contulit.*

Neque dicas, hoc modo, æqualitatem inter socios minimè servari. Contra est; utique servatur; dum unus concedit usum, & commoditatem pecuniæ, alter verò suum apponit industriam, ac laborem: quo modo singulis pars lucri debetur; uni quidem, ratione industriæ, ac laboris; alteri verò non præcisè ratione pecuniæ, cum hæc sit de sua natura sterilis; sed pro pecunia, ut etiam suo nomine exposita negotiationi, sicque fructifera. Quod si nullum esset lucrum dividendum, etiam servaretur æqualitas inter socios; qui enim pecuniam apposuit, perdidit ipsius lucrum; qui verò industriam, fructum amisit suorum laborum.

Neque dicas iterum, inæqualitatem inter socios in eo consistere, quod apponens pecuniam, salvum suum capitale semper haberet; alter verò suum capitale, nempè industriam, ac laborem, semper amitteret; siquidem cum societate finiret;& hoc quamvis opera ejusdem esset æstimationis cum apposita pro capitali pecunia; alias idem dici posset, si appositus labor, ac industria duplo majoris esset æstimationis quam data pecunia: Item opera penderetur in bonum utriusque; adeoque æquum est, ut eodem modo pecunia sit amissa.

Contra est, operam apponens semper ex dictis, cum altero socio servat æqualitatem: vel enim ex opera sua aliquid ille lucratur, vel nihil; Si primum, nihil ergo amittit; non enim opera perdit qui ex illa lucratur; Si secundum, nullum amittit, quia nullum posuit capitale: quod si operam posuit in bonum utriusque, etiam in utriusque bonum pecuniæ usum & commoditatem, accepit: Si verò appositus labor duplo majoris sit æstimationis, quam collata pecunia; tunc duplo majus lucrum esset ab illo reportandum; at semper pecuniario salvo capitali; cum ex dictis quæ conferuntur à sociis, non ad proprietatem conferantur, sed ad usum & commoditatem; neque socius laborans operam apponit admodum famuli, vel custodis ad suos labores elocandos, sed solum ad commune utriusque lucrum. Hinc licitum non est pactum, ut finita societate pecunia ab altero posita pro capitali dividatur; nisi capitalis divisio aliunde justo sit pretio compensata; satis id constat ex citata Constitutione Sixti V., incipiente *detestabilis*; Tum quia ex probatis, etiam nulla facta divisione capitalis, inter socios servatur æqualitas; adeoque si divisio capitalis addatur, statim inæqualitas haberetur, & pactum injustum.

Sed quid dicendum, si durante societate, valor pecuniæ crescat vel decrescat: respondetur, tempus considerandum esse hujus mutationis: vel enim crescit, antequam pecunia ad merces comparandas sit exposita, vel antequam cum cæteris sociorum pecuniis sit commixta, sic ut non amplius discerni possit; & tunc crescit soli apponenti, cum ipse sit dominus: si verò deinde crescat valor pecuniæ, & tunc incrementum omnibus est commune sociis, qui simul sunt domini illarum mercium, & pecuniarum, & tunc pecuniam apponenti illa restituenda est secundum valorem, quem ab initio societatis habebat: sic Giribaldus, Roncaglia, & passim Theologi.

APPENDIX VII.

INTER NOVAS *Post num.* 2877.

De bibentibus Chocolatem.

AN jejunium Chocolatis potu frangatur, variant Doctores; pluribus relatis affirmat: noster Pasqualigus decisione 141. *de jejunio*, quem sequitur Henno *quæst.* 3. *de jejunio concl.* 2.: alii dicunt non frangi jejunium ratione parvitatis materiæ; sic Salmanticenses *tract.* 23. *cap.* 2. *num.* 62., & pluribus relatis noster Pistachius *tract.* 2. *de voto cap.* 2. *num.* 39.: distinguunt alii inter chocolatis potum densum, ac spissum, ut si aquam chocolates æquaret; & hoc frangi dicunt jejunium; si verò potus spissus non sit, sed rarus; ut si chocolatis portionem longè superet aqua, ex.gr. si sex unciis aquæ uncia una cum dimidio misceatur chocolatis, dicunt certissimè non frangi; sic Leander *disp.* 5. *de jejunio quæst.* 5.; & innumeris citatis Thomas Hurtado Resolutionum Moralium *tract.* 10. *per totum*, *& in Appendice*. Communis hæc sententia placet; cui & doctissimi recentiores accedunt, Keslingerus in supplemento Reiff. *dist.* 2. *de jejunio ad num.* 6., Giribaldus *cap.* 3. *de jejunio dub.* 5., Catalanus *cap.* 3. *de jejunio num.* 15., Roncaglia *qu.* 2. *de jejunio cap.* 1. *quær.* 6. aliisque passim.

Ratio autem est, quia cocholatis sumptio, modo jam explicato, potus est, non comestio, bibitur enim, non manducatur; potus autem jejunium non frangit ex Angelico D. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *art.* 4., dicente, *si autem aliqua sumantur, quæ ad manducandum de se ordinata non sunt, sed ad alium usum; qui usus communiter manducatio non vocatur, talis cibi, vel potus sumptio præter manducationem unam ante, vel post, non facit esse binam manducationem; & ideo talis sumptio jejunium non solvit*: nec refert, quod etiam lac, & ova bibantur; cum hæc primario à natura sint ad nutriendum instituta; secus autem potio chocolatis, quæ primario est ad sitim extinguendam, cibosque digerendos. Quod satis ex eo patet; quia, ut testatur Hurtado, omnes viri docti tum Religiosi, tum Sæculares in Hispania in diebus jejunii dicta potione utuntur. Item vini, vel cervisiæ potus jejunium minimè solvit; sic Henno, Salmanticenses, Pistachius, Pasqualigus, & communissimè cum ipso Theologi; & vinum nutrire, quis neget? *Merculiaris vir doctissimus* (ait Plempius de valetudine tuenda pag. 241.) *peculiari libello contendit, vinum non nutrire: At frivola sunt ejus rationes, & tanto Doctore indigna*: idemque de cervisia dicendum, fusè probat doctissimus Cardinalis Brancatius *in Opusculo de Potu Chocolatis*: fit enim cervisia ex tritico, vel ex hordeo, aliisque frugibus; ut Baccius observat *lib.* 7. *de Bohemis*: *Potus humor ex hordeo* (ait Tacitus *de Moribus Germanorum*) *aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus*: & Nonnius *de re cibaria lib.* 4. *cap.* 17. *ideo videre est modico cibo contentos esse, qui tales cervisias liberalius bibunt*: Idem ergo de chocolatis potu dicendum,

tendum, etsi nutritivus foret, atque ad nutriendum sumeretur. Item satis hoc ipsum declarasse videntur Summi Pontifices; Urbanus VIII., teste Henriquez *v. jejunium*, declaravit, oblatis sibi ingredientiis, & confecto in ejus conspectu chocolate;tunc enim Pontifex respondisse fertur,esse,& manere potum; idemque respondisse Gregorium XIII., Pium, & Paulum V., testantur plures Doctores, inquit Illsung *tract.4. disp.1.num.39.*: nec refert, has declarationes non haberi in forma authentica, vel quæ factæ sunt vivæ vocis oraculo, fuisse revocatas: cum primum solùm pro foro requiratur externo, & contentioso, ut latè post Fagnanum ostendit Reiffenst. *in proœmio decretalium num.*128.; alterum de illis est declarationibus, quæ effectum habent in futurum, secus verò de illis, quæ, ut in casu, jam suum habuerunt effectum; ut optimè inquit Hurtado.

Quæ verò in oppositum majori plausu proponuntur argumenta, sunt primo, quod magis nutriant duæ chocolatis unciæ, quàm tres carnis; quodque unica chocolatis uncia alat per 24.horas, absque ulla corporis debilitatione; & efficiat quod homo non egeat somno; adeoque cum substantialissima sit, & insuper sit cibus, nunquam tanquam potus admitti poterit: sic Lezana, Diana, Pasqualigus: & alii. At argumentum nullo impellente ruit; cum se id nunquam expertos fuisse, ipsi testentur Oppositores; & peritiores asserunt Physici apud doctissimum Brancatium, & communis experientia probet, quod singulis horis plures unciæ solidi cibi, digestione consumentur; sic Marsilius Cagnatus *de sanitate tuenda*, Manelphus, & alii. Nec refert, quod opponit Caldera *in suo Tribunali Medico-Magico pag.*486., se expertum fuisse, puerum recens ablactatum per quatuor menses solo chocolatis haustu, & rarò pani commixti, vitam produxisse: Nihil certè mirum, cum, ipso fatente, panem chocolati miscuerit; quod & felicius forsan evenisset, si eidem infantulo vinum dedisset Saccharo conditum (de quo Arnaldus de Villanova); cum ipso fatente, firmissimum sit præsidium, & præservativum in fovendis, & reintegrandis viribus effractis: quot insuper legimus homines apud gravissimos Scriptores sine cibo, ac potu, ex humorum abundantia naturaliter diù vixisse? ad satietatem collegit Lapius in Epistola ad Abbatem Justinianum scripta; quorum multi ultra menses, & annos sine cibo, & potu vixerunt. Quod chocolatis potio sumentes faciat insomnes, ex magna nutritione certè non provenit; potus caffè sumentes communiter facit insomnes, quem frangere jejunium, vel magnæ nutritionis esse, nullus unquam dicere somniavit.

Secundo dicunt, quod chocolates secundùm omnes suas partes tenues, crassas, lentas, humidas, dulces, & vaporosas exquisitum sit, verumque alimentum; siquidem cacao est butyrosum, calidum, & humidum; saccarum calidum est, & humidum; cinnamomum, & vaginulæ odoriferæ alunt, & roborant secundum partes diversas: nec unquam utuntur homines chocolate ad sitim extinguendam, sed potiùs ad famem sedandam; hinc mane, vel serò sumi solet, quando, jam cibi digestione confecta, homo novo eget alimento: neque mirum, cum, Henrico Stubbeo teste in *tractat. de chocolate*, ex cacao *Jamaico* extrahatur tam copiosa pinguedo, ut majorem depromat unica illius uncia, quam sexdecim ovinæ, vel bubulæ carnis.

At

At non de chocolate loquimur in massa, quem cibum esse, ac valdè nutritivum, nullus ignorat; de chocolate loquimur, qui in longè majoris quantitatis aqua solutus sit, atque potabilis; Contra quem nihil urget argumentum; cibus est uva; triticum, hordeum cibi sunt; quid inde, cervisia, vinum ejusdem rationis erunt? Neque dicas, chocolates etiam aqua solutus, manet in propria substantia, & iterum extrahi potest; adeoque etiam aqua solutus valet pari modo nutrire: At idem de cervisia efformari posset objectum; cum triticum, hordeum, fruges, ex quibus conficitur, in propria ibi substantia maneant; nec ideo cibus est, vel jejunium cervisia solvit; idem ergo de chocolate dicendum. Quod nunquam hujusmodi potione utantur homines ad sitim extinguendam, experientia teste, falsum est, præsertim si valde sit liquida, & potioni facilis; & sitim mirabiliter lenire, testantur Fernandex Proto-Medicus Mexicanus *lib.1. sect. 2. de arboribus cap. 36.*, & Colmenera in *tract. de chocolate*. At omittamus ad famem sedandam, aliquando sumi, & quando indiget stomachus alimento; nonnè hoc faciunt cum vino, ac cervisia pauperes, ac plebei, quod cum chocolate nobiles faciunt, ac ditiores? *Famem vini potio solvit* ait Hippocrates *lib. 2. sentent.* Est autem *fames* fibrarum stomachi vellicatio, qua motus illius alternus, seu compressionis, & dilatationis inaniter, ac sine ullo, in quod vim exerat, subjecto pabulo irritatur; *sitis* verò est earundem fibrarum, ac faucium ariditas, qua inertes, ac immotæ languescunt. Hinc & chocolatis potio ad tempus etiam famem sedare poterit, non quidem stomachum replendo, vel nutriendo; sed humectando, leniendo, refrigerando stomachi fibras, earumque impediendo, vel mitigando vellicationem: nec enim alio modo famem vinum, vel cervisia solvit.

Quod de cacao distillato adducitur à Stubbeo experimentum libenter admitto; cum illius spiritum, & oleum non parum extulerit etiam Dominus le Febure apud eundem Stubbeum: At longè diversum est quod habetur experimentum de tota massa chocolatis, seu de toto compacto ex cacao, saccaro, cinnamomo, & vaginulis odoriferis; cujus distillatum, adhibitis optimis magistris, ac instrumentis, factum est opera Cardinalis Brancatii; & quidem ex optimi chocolatis massa; illudque tam enervatum, ac debile deprehendit, ut nullatenus *Aquæ vitæ* sit comparandum, ut ipse testatur in suo Opusculo *de potu chocolatis*; neque mirum si ex conflictu dissimilium, & heterogeneorum permixtione Simplicium, ignis vi alteratorum refractæ substantiæ imbecilliores evadant; quam & Piso advertit in Mantissa Aromat. *cap.* 18. si hæc de chocolate in massa, quid de diluto, & concocto in longæ majoris quantitatis aqua, erit inde dicendum? Nec dicas, ergo saltem cacao non erit natura frigidum; cum tantæ virtutis oleum in se contineat: Nequaquam; aliàs nec natura frigida erit aqua; cum ex ipsa oleum extrahi possit, ac spiritus æquè inflammabilis, ac spiritus vini; uti videre est apud Dominum Deslandes in Collectanea tractatuum Physicæ, & Historiæ naturalis edita an. 1736. in tractatu de aqua; quod aquæ oleum etiam explicat Dominus Molieres, gustavit quoque Dominus Boyle, ut etiam Medicus Brestensis apud eundem Deslandes: hujus tractatus compendium habes in Memoriis Trevoltinis ann. 1736. a pag. 2644.: Siquidem subtiliores cacai partes,

quæ

quæ priùs dispersæ inter crassiores, ac terrestres illius partes detinebantur inertes, per efficacem ignis actionem extractæ, ac simul unitæ, longè majoris activitatis, ac virtutis evadunt; sicque nihil mirum, si calidissima sint, quæ prius calida esse nequibant.

Tertio dicunt, chocolatis potio in quibusdam regionibus, ut in Hispania, Mexico, potus est usualis, sed non ideo purus est potus; alioquin, si usus prodesset, usus etiam stillati gallinæ, aut pulli columbaçei introduci posset; quo quid absurdius; Item cum chocolatis potio calida sumatur, clarum est non sumi ad refrigerandum, atque ad sitis extinctionem: Item si potus chocolatis jejunium non solvit, neque solvet massa ex comminutis piscibus, & saccaro compacta, quæ ad modum chocolatis in aqua longè majori soluta foret; certum est autem jejunium hac potione solvi.

At chocolates estne cibus, licèt potione sumatur, vel verè potus? Si cibus est, talis ubique semper erit, quæcumque sit in oppositum consuetudo Regionum, quæ rerum essentias, & cibum in potum mutare non potest: si verè potus est; non ergo jejunium solvit ubique sumatur: Chocolatem potum esse, esto non faciat, benè tamen ostendit Regionum Consuetudo; siquidem verè potus est, qui communissimè ut potus habetur, & nonnisi potando sumitur. Jejunium certè frangit gallinæ, aut pulli columbacei distillatum, non quidem ratione substantiæ, & quantitatis, sed qualitatis; quid enim Ecclesiastico jejunio magis oppositum, quàm jus carneum? Quod calida chocolatis potio sumatur, nec refrigerare, neque sitis impedit extinctionem: certè potus fuit omnibus aqua; nec si calida sumatur, potus esse definit; quid usitatius antiquis, quam aquam bibere calidam? Juvenalis *sat.* 5., 60.

Quando vocatus adest calidæ, gelidæque Minister.

Martialis lib.8. Epigram. 67.6.

Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit.
Alget adhuc nudo clausa culina foco.

& lib.14. Epig. 105.

Frigida non desit, non deerit calda petenti.

unde in quo bibitur, poculum dictum est Calix, Varro de lingua latina *cap.* 4. *Calix à caldo*, inquit: Aristotilem calida semper usum, scribit Galenus *de consuetud cap.*1. Chocolatem potionem vocant Scriptores omnes, lato calamo congesti apud Brancatium, & Hurtado; & potionem esse mirabiliter sitim lenientem, scribit Fernandex Proto-Medicus Mexicanus *cit. cap.* 36.; & Doctor Ramirez (qui, teste Hurtado, apud Hispanos alter est Hippocrates) ait *quæst.2.de chocolate, hic potus tollit sitim, eo quod humectat, & aliquo modo refrigerat, præsertim si frigidus assumatur*: testatur Colmenera *in 2. par. de chocolate*, se in Regionibus Mexicanis pluries expertum fuisse ex infirmorum visitatione, siti penè enectum unico hujus liquoris poculo recreatum, illam sedasse, Quod tandem de massa dicitur, ex comminutis pisciculis, & saccaro compacta, dico jejunium per eam minimè frangi, dummodo ad chocolatis modum in aqua longè majoris quantitatis soluta sit, atque potabilis; aliàs idem esset de vino, ac cervisia dicendum: nonnè S. Isidorus Hispalensis sentit hoc ipsum *lib.*20. originum *cap.* 3.? ubi cum aqua, & vino,

vino, & cervisia, alios enumerat potus, inter quos *garum* ponit, dicens *garum, quod est liquor piscium salsus, & liquamen dictum, eo quod soluti in salsamento pisciculi, eundem humorem liquant.*

Certum itaque non frangi jejunium per chocolatis usum; uti & recentissimi Scriptores notant; *nunc tamen temporis* (ait Catalanus *cit.cap.3.*) ita *excrevit ejus usus in diebus jejunii, ut non detur amplius locus dubitationi, quod facta sit potus usualis: Chocolate siquidem utuntur talibus diebus docti, & timorati viri acriter sustinentes esse verum potum:* & Roncaglia *cit.quares 6., certum mihi redditur, potionem chocolaticam non frangere jejunium: hoc autem fundatur in universali consuetudine, quam sciunt, & tolerant Prælati Ecclesiæ; quæ consuetudo in hac parte legi* (si quæ sit) *derogavit.* Nec sententia placet, quæ sumentes excusat ob materiæ parvitatem; cum hæc non ab omni peccato, sed solùm à mortali sumentes excusaret. Non ergo frangit, unicè quia potus est. Dices, posset quis ergo in diebus jejunii concham sumere chocolatis? Contra, possetne in diebus jejunii cervisiæ, aut vini bibere concham? qui hæc faceret, si non contra jejunium, certè contra temperantiæ legem peccaret; quod & S.Hieronymus exprobrat in Epistola ad Nepotianum, *sorbitiunculas delicatas non calice sorbere, sed concha.*

APPENDIX VIII.

INTER NOVAS *Post num.2884.*

De dispensatis ad carnes:

PRo dispensatis ad carnes tempore jejunii habetur Apostolicum Breve hodie regnantis Summi Pontificis Benedicti XIV. datum ad omnes Episcopos hoc anno 1741. die 30. Maii, in quo Quadragesimalis jejunii convenientia exposita, ac necessitate; quodque eo tempore nemo sit ad carnes sine gravi, ac urgente necessitate dispensandus, hæc habet, *Nolumus tamen vos ignorare cum hujusmodi necessitate & servandam esse potissimum unicam comestionem; sicut alias hic Romæ, ac nos ipsi hoc anno, urgentibus causis dispensantes, expressè præscripsimus; & licitas, atque interdictas epulas promiscuè minimè apponendas esse:* præscripserat autem per Cardinalem Guadagni pro Urbe sequens Edictum quadragesimale datum hoc anno die 3. Februarii; *La stessa Santità Sua vuole, che lasciate per ora da parte le dispute Teologiche fino alla loro formale decisione, che chi verrà servirsi della licenza di mangiar carne, debba onninamente osservare il digiuno:* uti & die 30. Januarii ejusdem anni ad supplicationem Cardinalis Acquaviva nomine factam Regis utriusque Siciliæ pro illius militibus sive terrestribus, sive maritimis, ac nauticis, ut stante quadragesimalium ciborum penuria, carnibus vesci possent, sequens emanavit Rescriptum; *ex audientia Sanctissimi die 30. mensis Januarii 1741.: Sanctissimus attentis expositis, deficientibus cibis quadragesimalibus, benignè annuis pro gratia Indulti, de quo in precibus, cum obser-*

observantia tamen jejunii, quatenus non obstet legitima causa illud non servandi, & pro præsenti Quadragesima tantum.

Equidem communis hæc est Theologorum sententia, nempè quod dispensatus ad carnes ratione infirmitatis actualis, vel habitualis, ex:gr: febris, convalescentiæ &c., etiam sit à jejunio, seu ab unica comestione dispensatus; secus verò si dispensatus sit ad carnes, unicè quia illi quadragesimales cibi nocent, ex:gr: si per cibos illos doleat caput, stomachus languescat; sic innumeris citatis Thomas Hurtado *tom.1. de residentia lib.5.resol.5.subresol.* 18. *à sectione* 7., Salmanticenses *tract.23.cap.2. à n.25.*, Giribaldus *tract.8. cap.3. à num.25.*, Henno *de peccatis disp.* 4. *qu.4. concl.* 3., La Croix *lib.3. part.2. à num.* 1269., Roncaglia *tract.* 9. *quæst.* 2. *cap.1. quær.* 3., Sabinus *tract.* 38. *à num.* 57., Sporerus in Decalogum *tract.* 3. *de jejunio num.* 40., Catalanus *part.*4. Moralis *quæst.* 1. *cap.* 2. *num.*8., Mancinus *praxis part.1. praxi* 8. *num.*30., Matthæuccius *lib.1. cautelæ cap.*16. *à num.*6., Graffius, Pedrazza, Medina, Valentia, Ledesma, Fernandez, Nider, Ludovicus à S.Joan., Navarrus, Azorius, Filliucius, Angles, Layman, Bonacina, Corduba, Cenedo, Lessius Reginaldus, Ortiz, Lopez, Gomez, Rodriguez, Comitolus, Conradus, Vega, Victorellus, Gordonius, Villalobos, Sylvius, Bassæus, Lezana, Lavorius, Naldus, & passim alii apud Hurtado, & nostrum Pasqualigum *de jejunio decis.*267.

Quosdam Theologos cum nostris Diana, & Pasqualigo in oppositum esse, fateor: sed contra torrentem Auctorum quid unquam valere possunt? Sexaginta Theologos asserentes dispensatos ad carnes tempore jejunii ad unicam teneri comestionem collegit in suo scripto P. Marchettus tunc Rector Collegii Romani; quod exhibuit Summo Pontifici Clementi XI.; quibus & omnes Sancti Officii Consultores, omnesque Cardinalis Vicarii Examinatores accesserunt, teste Benedicto XIV. tunc Cardinale Archiepiscopo Bononiense, in sua Instructione pro jejunio quadragesimali, quæ data est die 7.Februarii ann.1733.; ubi addit; *E quando oltre alli Autori allegati se ne volesse un'altra dozzina, ce ne faremmo ben volentieri debitori*: quibus & alios nos addere possemus.

Consentientibus Theologis supra centum, Romanorum Pontificum accedit auctoritas; quid enim tot illorum edicta, ac dispensationes ostendunt? quàm dispensari ad carnes omninò aliud esse, quàm ab unica comestione dispensari: ab anno 1703. pro quadragesimali jejunio Romæ singulis annis sequens promulgatur edictum: *nè li dispensino* (Medici) *dall' astinenza, e digiuno; non dovendoli, nè potendoli li Medici sciogliere da una tal obligazione, quando però l' inedia non sia positivamente lesiva a tal individuo*: anno 1705. de mandato Clementis XI. sequens habetur Edictum; *osservare il digiuno, alle di cui leggi siano tenuti anche quelli, che si cibano di carni salubri col solo motivo di essere loro nocivo il vitto quaresimale*: uti videre est apud Monacelli in Formulario *tom.2. tit.16. formul. 4. num.5*; & in Regestro Edictorum hujus Pontificis *fol.*548., & 572., ubi de plena discussione, consultatione, ac decisione ejusdem Pontificis; cujus determinationem Innocentius XIII., aliique successores iteratò mandarunt. Idipsum mandaverat Alexander VII. ann.1657. quando Romæ magna grassabatur lues; Edi-

ctum editum per Cardinalem Ginetti sic habet, *Sua Santità quantunque conceda la carne, non per questo intende di dispensare nel digiuno; il quale vuole che rimanga nel suo vigore, com' è nella qualità de' cibi quadragesimali.*

Pro Civitatibus aliis, ac Regnis idem datæ dispensationes ostendunt; sic dispensavit Paulus V. cum Julia de Aragona, apud Mancini *cit. dub.* 30., *Pontifex ei imposuit, ut cum esu carnium jejunii legem unica comestione servaret*: sic quoque cum Carmelitis, qui septem anni mensibus jejunare ex suis legibus tenebantur, Summi Pontifices dispensarunt ad carnes Sixtus IV., & Eugenius IV., dummodo per unicam comestionem jejunii legem servarent; uti scribit in citata sua Instructione Benedictus XIV. cum Cardinalis erat. In Bulla Cruciatæ ante Pium V. expedita, pari modo dispensatur ad carnes, servata lege jejunii, apud Hurtado *cit. sub resol.* 18. *sectione* 9. *n.* 9. *Comedentes* (ait Pontifex) *dispensatione Bullæ carnes de consilio utriusque Medici, si in reliquis servassent formam jejunii, censerentur implere præceptum &c.* Non ergo dispensatus ad carnes est ab unica comestione dispensatus; cum etiam dispensatus ad carnes, præceptum jejunii servare valeat; *censerentur implere præceptum*. Nec refert, quod in hodierna Bulla sola hæc verba legantur, *qui carnes non comederint, servata in cæteris jejunii Ecclesiastici forma &c.*: Cum hæc Bulla de solis loquatur ad lacticinia dispensatis; quibus profecto datum non est jejunare, nisi à carnibus etiam abstineant; illa verò loquatur de dispensatis ad carnes, & quidem *ex Consilio utriusque Medici*, spiritualis nempè, & corporalis; qui si carnes, unica servata comestione, comedant, *censerentur* (ait Pontifex) *implere præceptum*; quæ verba certam ostendunt obligationem jejunandi per unicam comestionem in dispensatis ad carnes; sicuti eadem verba in hodierna Bulla veram obligationem jejunandi declarant per unicam comestionem, si tantum forent ad lacticinia dispensati.

Hinc & Neapolitana Synodus habita sub Eminentissimo Francisco Pignatelli Clerico Regulare anno 1726. hæc statuit *part.* 1. *cap.* 9. *nu.* 4.; *Quia vero Apostolicæ Sedis, Magisterio Spiritus Sancti edoctæ, præceptionibus, & institutis saluberimis admonemur, ab iis etiam, quibus valetudinis causa, carnium & lacticiniorum esus in Quadragesima, cæterisque diebus ecclesiastico jejunio deputatis indulgetur, servandam esse jejunii Sanctitatem, ut statuit Alexander VII. anno 1657. qui conflictanti cum teterrima lue populo Romano carnibus, cæterisque vetitis cibis vesci permisit; sed jejunii severitatem nihil omnino remittendam sancivit: quod idem servandum mandavit post alios Pontifices in pluribus Annalibus Edictis de Quadragesimali observantia Clemens XI. & præcipuè die 21. Februarii 1714. adhibitis in consilium Theologis, & Canonistis, ac re maturè perpensa, & discussa: Eandemque Observantiam præceperunt Innocentius XIII. & SS. D. N. Benedictus XIII. Apostolicarum virtutum omnium exemplar eximium, sed jejunii præ cæteris cultor admirabilis, & custos accerrimus: Ideo in hac etiam Urbe & Diœcesi nostra omnes & singuli quibus eo quia eis nocent victus Quadragesimalis, à ciborum qualitate dispensatur, omnino jejunii legibus teneantur.*

Quod statutum jam fuerat in Concilio Bononiensi an. 1593. sub Cardinale

nale Paleotti; in Synodo Lucana an. 1681. sub Cardinale Spinula; aliisque passim. Episcopis Germaniæ hæc est regula, cum dispensant ad carnes, nunquam in unica comestione dispensare apud La Croix *cit. num.* 1269. *Sed non aliter, quam relinquendo obligationem jejunii quoad unicam refectionem*. Dices, statuta hæc fuisse, sed pro quibusdam communitatibus, vel Diæcesibus, secus autem pro lege universali: Admitto; quid inde? Abstinere à carnibus, ac jejunare; obligari ad abstinentiam, ac ad unicam obligari comestionem; in illa obligatione dispensari, ab ista deobligari; esse longè diversa, Synodi, Episcoporum praxis, Romanorum Pontificum dispensationes, ac edicta clarissimè ostendunt. Sunt ne longè diversa? dispensatus ergo in uno, si possit, tenetur ad alterum; siquidem in adimplenda lege qui non potest totum quod debet; totum debet, quod facere valet; non potest solvere mille aureos, quos debet; debet, si possit, solvere decem; quis diem festum sanctificare non valet, audiendo sacrum, & à servilibus operibus abstinenendo, sacrum audire debet, si solum à servilibus abstinere non possit: integrum divinum officium Sacerdos recitare non potest; debet, quas potest horas canonicas recitare: non potest quis integrum servare jejunium abstinendo à carnibus, unaque vice comedendo; tantùm una vice comedere potest, si solùm à carnibus abstinere non valeat.

Dicunt primò de essentia est jejunii à carnibus abstinere; hoc ergo cessante, nullum est jejunium. At una solvitur petitione objectum; possuntnè qui carnes comedunt, servare jejunium? non certè negabis; alias tot Episcopi, Synodi, ac Romani Pontifices, qui comedentibus carnes jejunare mandarunt, impossibilia præcepissent; quod est asserere iniquissimum: si verò affirmas; non ergo de essentia est jejunii à carnibus abstinere; alias jejunium sine sua esset essentia, ac jejunium esset sine jejunio; quo nihil impossibilius.

Dicunt secundo, major pars trahit ad se minorem; certum est autem, principalem esse partem jejunii à carnibus abstinere; deficiente igitur abstinentia, jejunium integrè cessat. Objectum sanè lepidum: si de essentia jejunii non est à carnibus abstinere, ut ostendimus, quomodo & illius pars principalis esse poterit? Cum principalis pars principale sit essentiæ constitutivum. At omittamus partem esse principalem: nè quæso ad probandum, principium illud assumas, *major pars trahit ad se minorem*, cum sine addito enunciatum falsum sit, ac expressè damnatum, in propositione 54. inter damnatas ab Innocentio XI. die 2. Martii ann. 1679. sic habente, *qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*: siquidem si verum hoc esset axioma, qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, ab omni jam esset obligatione solutus quoad reliquas horas; cum Divini Officii pars sit principalis Matutinum, & Laudes.

Dicunt tertio, præceptum jejunii unicum est, ac in indivisibili consistit; cum ergo deficit, deficit in totum. Quis hoc dicat? doctissimus Henno respondet *cit. concl.* 3., *esse quosdam casuistas nimium carni, & sanguini indulgentes*: Theologi supra centum, quod præceptum jejunii consistat in indivisibili, certissimè negant; Synodi, Episcoporum praxis, Romani Pon-

tifices clarissimè, ut visum est, ostendunt oppositum. Sanctificatio festorum est ne unum, ac indivisibile præceptum? nequaquam; cum duo sint præcepta, negativum unum, nempè à servilibus abstinendi, alterum positivum, nempè sacrum audiendi: Nec ergo præceptum jejunandi unum est, vel in indivisibili consistit; cum duo sint præcepta, negativum unum, nempè à carnibus abstinendi, alterum positivum, nempè unica vice comedendi: cum præceptum à carnibus abstinendi, negativum sit, toties quis mortaliter peccat, quoties in die jejunii carnes comedit; sic Theologi 39. docent cum nostro Pasqualigo *decis.*64., & Salmanticensibus *num.*29.: cum verò positivum sit unicæ comestionis præceptum, solùm secunda vice comedendo quis mortaliter peccat, secùs verò si tertia, vel quarta vice comedat; communissima est cum Salmanticensibus *num.* 47.; & quinquaginta Theologi cum nostro Pasqualigo *decis.* 357.; siquidem jam fractum est secunda comestione jejunium; adeoque cum facta sit impossibilis unicæ comestionis observantia, non ampliùs ad eam tenetur qui jam secundò comedit. Qui à carnibus abstinere non potest, nec integrum servare potest jejunium; omitto; at non ideò jejunium in totum omittere potest; nec enim ille qui totum debitum solvere non valet mille aureorum; ab omni solvendo debito excusatur, si centum solvere possit: nec ille, qui festum integrè sanctificare nequit, audiendo sacrum; ad nullam tenetur festi sanctificationem, à servilibus abstinendo.

Hæc scripseram: cum ad manus pervenit nova, ac recentissima constitutio ejusdem Summi Pontificis Benedicti XIV. data hoc eodem anno die 22. Augusti incipiens *In suprema universalis Ecclesiæ &c.*; qua & prior constitutio firmatur, & explicatur; ac singulis fidelibus verbis præcipitur expressis, quod tempore jejunii ex quacunque necessitate dispensati sint ad carnes, per unicam comestionem jejunare teneantur, per hæc verba: *Nos quibuscunque quacunque occasione sive multitudini indiscriminatim, ob urgentem, gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, & de utriusque Medici consilio, dummodo nulla certa, & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri necessariò exigat in Quadragesima, aliisque anni temporibus, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum esus est prohibitus. pensari contigerit; ab omnibus omnino, nemine excepto; unicam comestionem servandam; & licitas, atque interdictas Epulas minime esse apponendas, tenore præsentium declaramus, & edicimus*, sic Pontifex.

Non ergo amplius dubitandi locus, an dispensati ad carnes tempore jejunii per unicam comestionem jejunare teneantur: *à Sede Apostolica rescripta venerunt, causa finita est*, ait S.Augustinus *sermone* 2. *de verbis Apostoli*. Ex quacunque igitur causa quis *ex consilio utriusque Medici*, corporalis nempè, ac spiritualis, dispensatus sit ad carnes tempore jejunii ad unicam tenetur comestionem; si hoc sine gravi incommodo facere possit: quod teneatur Bulla docet; quod grave excuset incommodum, communis est Theologorum sensus. Tenetur quoque sic dispensatus ad carnes, à licitis, & illicitis Epulis abstinere; *& licitas, atque interdictas Epulas minimè esse apponendas, tenore præsentium declaramus, & edicimus*, ait sapientissimus

Pon-

Pontifex; ad detestabilem illum cohercendum abusum; de quo in priori Brevi dato 30. die Maii, ad quod posterior hæc Bulla refertur; adeò invaluisse dolet, *ut nulla Apostolici Instituti, Sacratissimique præcepti habita ratione, jejuniorum tempore palam, & impune ab iisdem agitantur convivia, & Epulæ interdictæ promiscuè inferuntur*: sicque in conviviis, lautisque mensis promiscuè carnes, ac legales cibos comedere fidelibus omnibus prohibetur.

At si privatæ sint mensæ, nullumque sit scandalum, dispensatos ad carnes, legales etiam cibos cum illis edere, si debita cum moderatione fiat, non ad satietatem, non immodicè, non ad gulæ delectationem, sed ad stomachi appetentiam, minimè censetur hac Bulla prohibitum: nonnè & actus posset esse virtutis, ac temperantiæ? ut si quis ne comedat duo fercula carnis, unum carnis, legale alterum edat: Nec enim illa sapientissimus Pontifex vult esse vitanda, quæ unanimis Theologorum sensus probat; sed ea solum quæ detestabilem redolent laxitatem, ac pietas ipsa damnat. Serotina communis collatiuncula licebit ne dispensatis ad carnes? Licebit utique, cum & cæteris licita sit jejunantibus; quibus non usualis collatiuncula, sed sola secunda comestio prohibetur. Senes, qui dispensati sunt ad carnes tempore jejunii, tenentur ne ad unicam comestionem? Cum in Bulla dicatur, *ab omnibus omninò, nemine excepto, unicam comestionem servandam*. Nequaquam, cum nec juvenes sic dispensati, antequam perveniant ad vigesimumprimum ætatis annum, sic jejunare teneantur: siquidem omnes, & solos illos dispensatos ad carnes, *ab omnibus omnino, nemine excepto*, Pontifex ad unicam comestionem obligare intendit, qui ad illam tenerentur, si ad carnes dispensati non essent.

APPENDIX IX.

INTER NOVAS *Post num.* 2916.

An currente Luna Martii sit Pascha celebrandum.

Multa Eruditi de Paschali tempore quærunt; sit nobis satis unum; videlicet an solùm currente Luna Martii sit Christianorum Pascha celebrandum. Vulgo affirmant, putantes in Concilio generali Nicœno I. in decreto de Paschate fuisse decisum; Dominus de Regis Philosophiæ *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 11. sentit hoc ipsum. Sed immerito; quis enim dubitat, etiam non currente Luna Martii, Pascha celebrari? *in errore versari eos qui festum Paschatis Luna Martii currente semper celebrandum esse autumant*; inquit doctissimus Boucat in Theologia Patrum *tom.* 7. *pag.* 167. *edit. Venetæ*: siquidem die 25. Aprilis aliquando Pascha celebrari contingit; sicque fuit anno 1734.; tunc autem Luna illa Paschalis ante diem 5. Aprilis incipere non potest; quamvis Luna 14. dies 18. Aprilis dies esset Dominica; tunc enim in sequente Dominica, quæ Aprilis foret dies 25., esset Pascha celebrandum. Certum

tum est quoque Lunam hanc Paschalem non esse mensis Martii; siquidem ut Luna sit alicujus mensis solaris, fatentibus omnibus, in illo mensis lunaris vel initium, vel plenilunium, vel finem habere debet; Cum autem Luna Paschalis, quæ incipit die 5. Aprilis, nihil istorum habeat in mense Martio, clarum est, Lunam mensis Martii esse non posse; adeoque etiam non currente Luna Martii Pascha celebrari.

Immò & currente Luna mensis Martii nunquam Pascha celebratur; uti melioris notæ sentiunt Eruditi: siquidem Luna illius est mensis solaris, in quo finem habet; quæ igitur Luna finem habet in Martio, Luna est mensis Martii: atqui currente Luna, quæ in Martio finem habet, nequit Pascha celebrari; nequit ergo Pascha celebrari Luna currente Martii. Lunam, seu Lunarem mensem illius esse mensis solaris, in quo finem habet, uti fundamentalem regulam ostendit doctissimus Chrystophorus Clavius in celeberrimo suo opere *de reformatione Kalendarii*, inquiens, sic omnes sentire Computistas, *ita Computistæ omnes*: sentiunt hoc ipsum Rebeque in sua eruditissima de hac re gallica dissertatione, quæ habetur in Diario Trevoltino mense Martio an. 1724., & in Diario Eruditorum Ultramontensium *tomo* 46. *pag.* 84. *edit. Venetæ*; & recentissimus alter Gallus in sua clarissima de hac re dissertatione, quam habes in Diario Trevoltino mense Maii an. 1741., intrepidè asserentes, hunc esse Computistarum omnium sensum; sic etiam Dominus Blondellus Parisiensis Doctor Historiæ Kalendarii Romani *part.* 2. *cap.* 4., *Boucat cit. tom.* 7. *pag.* 168.

Quod & facili ratione suadetur; Cyclum accipe Lunarem, qui novemdecim annorum revolutione completus iterum ad primam redit unitatem; Concurrente Epacta * incipit Cyclus iste, ut in anno contigit 1729.; tunc autem prima dies Lunæ, ac prima Januarii simul incipiunt; 15. Lunæ 15. est Januarii, ac 30. Lunæ 30. est Januarii; sicque fatentibus omnibus Luna hæc est Januarii; cum in illo initium, plenilunium, ac finem habeat: quam si prosequaris enumerationem, Lunam duodecimam in die 20. Decembris finem habere videbis, sicque perfectè completum Lunarem annum; non enim primus Lunaris annus Embolismicus esse potest, seu 13. Lunarum; cum per undecim tantum dies Solaris annus excedat. Hinc & qui Lunaris mensis incipit die 21. Decembris, anno 1729. ac finem habet die 19. Januarii an. 1730. omnium sensu Luna est Januarii; sicque prosequendo, Luna 12. die 9. Decembris finem habet; in quo plenè completus est secundus Lunaris annus; Cum nec Embolismicus esse possit; non enim nisi diebus 22. solaris annus excedit. Quæ verò Luna incipit die 10. Decembris an. 1730., ac finem habet die 8. Januarii an. 1731. Luna est Januarii; quæ 6. die Februarii finem habet, Luna est Februarii, communi omnium sensu; sicque de cæteris. Clarum est autem ultimos Lunares hos menses nec initium, neque plenilunium, sed solum finem in solaribus suis mensibus habere: tertius hic Lunaris annus Embolismicus fuit; cujus 12. Luna die 28. Novembris, & Luna 13. die 28. Decembris finem habent; cum diebus 33. superet solaris annus Lunarem; deme ex his dies 30., eruntque tres Epactæ sequentis anni 1732.

Non ergo dubitandum, Lunarem mensem illius esse mensis solaris, in quo finem habet; adeoque & Lunaris mensis, qui in Martio finem habet, mensis

menſis eſt Martii. Certum quoque omnibus eſt, Lunam, quæ finem habet in Martio, non eſſe Paſchalem; ſiquidem Æquinoctium Vernum cum ſola coincidit die 21. Martii, juxta calculum Aſtronomicum, quem Eccleſia unicè probat; eaque tantum Luna Paſchalis eſſe debet, cujus 14. immediatè ſequitur Æquinoctium Vernum, vel cum illo coincidit; quæ verò Dominica 14. hanc ſequitur Lunam, Dominica debet eſſe Paſchalis, ſeu Paſcha; ſic decernente Sacro Concilio generali Nicœno I.: ut ex illius conſtat Epiſtola Synodica ad Alexandrinam Eccleſiam, apud Theodoretum *lib.*1. *cap.*9., & ex Epiſtola Conſtantini Imperatoris ad Eccleſias, de iis, quæ in Concilio Nicœno geſta erant, apud Euſebium *lib.*3. *de Vita Conſtantini*. Evidens autem eſt, quod pluribus diebus Æquinotium Vernum a 14. Lunæ finientis in Martio præcedatur; adeoque Luna, quæ finitur in Martio, Paſchalis eſſe nequit; neque currente Luna Martii eſt Paſcha celebrandum. De celebrando Paſchate, currente Luna Martii, nihil Nicœnum habet; cum de 14. loquatur menſis primi, qui Niſan erat Hebræorum, ſed a noſtro Martio longè diverſus: ſiquidem ille Hebræis erat ex divina inſtitutione *Exodi cap.* 12. primus menſis Lunaris, cujus decimaquarta Luna Vernale immediatè ſeqnebatur Æquinoctium, vel cum illo coincidebat; ſicque primum illum menſem ſacrum explicat Concilium Nicœnum; quod & noſtro Martio convenire nequit. Non quidem Martii, ſed potius Æquinoctii menſis Martii 14. illa Luna dici poſſet; ut enim Æquinoctium Septembris Æquinoctium vocatur Autumnale, ſic & Æquinoctium Martii eſt Vernale dicendum. Luna Paſchalis luna debet eſſe menſis primi, non quidem ſolaris, ſeu incipientis ab ingreſſu ſolis in arietem, ſeu die 21. menſis Martii; ut non benè aliqui cum Pace Phyſicæ *part.*2. *tract.*2. *cap.*7. propugnant; Sed lunaris; ſiquidem tales erant Hebræorum menſes, quorum Niſan primus erat.

APPENDIX X.

INTER NOVAS *Poſt num.* 2923.

De ſuſcipientibus in articulo mortis Euchariſtiam.

AN qui mane ex devotione communicavit, poſſit iterum eadem die communicare, si inopinatò in periculum incidat mortis, dubium eſt: nedum poſſe, etiam teneri, plures affirmant cum Clericato *decif.* 23. Catalano *part.*4.*qu.*5.*num.*3., Vaſquez, Hurtado, Turriano, & noſtro Diana. At iterum communicare non poſſe, communiſſima eſt Theologorum ſententia apud Marin *diſp.*9. *num.*12., & 14.; quam ſequuntur Veruiuys *tract.*8. *artic.*14., Salmanticenſes Scholaſtici *diſp.*11.*num.*39., Gonet *diſp.*9. *n.*35., Roncaglia *qu.* 1. *cap.* 6. *quær.* 4., Suarez, Averſa, Coninch, Lugo, Bernal, aliique paſſim; & quidem meritò, cum nemo poſſit pluries eadem die communicare, niſi ex diſpenſatione Summi Pontificis, ut in die Natalis Domini contingit, vel gravis neceſſitas urgeat: *non eſt pluries in die communicandum* (inquit Angelicus Doctor 3. *part. qu.* 80. *art.* 10.) *ut ſaltem per*

hoc

hoc quod aliquis semel in die communicat, repræsentetur unitas passionis Christi.

Nec dicas, præceptum sumendi Viaticum est de jure Divino, quod prævalere debet concurrente Ecclesiastico præcepto, pluries eadem die non communicandi: eo vel maximè quod præceptum Viatici manè non obligabat, siquidem sanus ex devotione communicavit; manet ergo cum obligat, adimplendum: idem exemplo constat R.P.Claudii Aquaviva, qui, Hurtado, ac Diana testantibus, cum ingravesceret morbus, iterum eadem die communicavit. Contra, obligat divinum præceptum de Viatico sumendo, & communicando in mortis articulo, sed nullum est, pluries eadem die in articulo mortis communicandi: & qui mane sanus ex devotione communicavit, jam in articulo mortis, seu morte jam instante, communicavit; per quod adimpletum est præceptum Viaticum sumendi. Cum dicis præceptum illud manè non obligabat: distinguendum est, non obligabat per accidens, & quia ignoratum à sano, admitto; non obligabat per se, & ratione sui, negandum: præceptum obligat audiendi sacrum in die festo, sed per accidens non obligat ignorantes diem esse festum; qui tamen, si missam audiant, satisfaciunt præcepto; nec deinde cum sciunt diem esse festum, iterum missam audire tenentur: sic præceptum sumendi Viaticum omnes obligat propè mortem constitutos (inter quos est ille, qui sanum se putans, mane ex devotione communicat, si deinde inopinato in periculum incidat mortis); sed cum sanus ille, se esse propè mortem, ignoret, per accidens, & ratione solius ignorantiæ ab illo præcepto excusatur: sed jam manè communicando implevit, cum manè jam in articulo mortis, seu propè mortem revera constitutus communicaverit: quod verò non communicaverit cum illis orationibus, quæ tunc dici solent; satis non est ad communionem repetendam; ut in eo patet, cum quo ab ignorante Sacerdote fuissent omissæ. Quod fertur de Claudio Aquaviva, dubium est factum; cum teste R.P.Joanne Nadasi apud Gobat *tract.4.num.*177., an hoc contigerit ante, vel post mediam noctem, non sit exploratum. Favet nostræ sententiæ communis Ecclesiæ praxis, quæ sanè non esset, si in oppositum præceptum Divinum, vel Ecclesiasticum urgeret; manet ergo in suo robore præceptum pluries in die non communicandi, alias nedum eadem die, sed etiam post horam, vel quadrantem, si casus eveniret, communicare posset; quod certo nullus dicere audebit.

At ne moribundus sine Viatico decedat, Sacerdote, vel Diacono deficiente, an possit Subdiaconus, vel Minorista Viaticum ad eum deferre, majus est dubium: plures affirmant cum La Croix *lib.6.part.1.num.*482. Marin *disp.*8. *a num.*5., & Clericato *decis.*43. sed communissima Theologorum sententia negat, quam sequuntur Henno *disp.7.qu.*3., Pasqualig. *disp.* 108. Henno *disp.*15.*sect.*3., Salmanticenses *disp.* 12. *num.* 28., Vasquez, Dicastillo, Bernal, Paxiordanus, Cardinalis de Lugo, & pluribus congestis Salmanticenses Morales *tract.*4. *cap.* 9. *num.*11.: Ratio ex ipsa Ecclesiæ praxi, & communissima fidelium persuasione desumitur; cum sæpè contingat, quod Sacerdote, vel Diacono deficiente, moribundus sine Viatico decedat; nec unquam auditum est, Minoristam, vel Subdiaconum talem supplere de-

fectum;

fectum; & quidem si possent isti supplere, possent etiam Laici, possent & fœminæ: sicque Monialis, quæ medio noctis tempore in periculum mortis incidat, aliis deficientibus, ab aliis Monialibus, quæ acciperent e Sacrario Eucharistiam, Viaticum sumere posset; facilis est casus; sed nunquam auditus: obstat ergo persuasio fidelium; communis repugnat Ecclesiæ praxis.

Dices, Maria Stuard Scotorum Regina martyrium subitura se ipsam communicavit: verum est; sed nihil ad rem; cum Pio V. dispensante, sic communicaverit, ut in Historia de illius martyrio scribit Canisius; & Berninus in Historia hæresum Sæculo 16. cap. 11.: poterat quoque, & quidem nullo dispensante, ne tunc sacra hostia in Hæreticorum manus deveniret, contemptui, ac ludibrio exposita. Dices iterum, primis Ecclesiæ sæculis in casu necessitatis etiam per Acholytos, immò & per Laicos Eucharistiam ad Infirmos fuisse delatam, docet Historia. Verum est, sed illatio nulla: primis Ecclesiæ sæculis poterant laici sub utraque specie communicare: ante Christi adventum licita erat Mosaicæ legis observantia; quid inde, hæc ne hodie licebunt? Illicitum est Subdiaconis, Clericis Minoristis, ac Laicis, quod illis ante licebat: siquidem quæ persuasio fidelium, & praxis Ecclesiæ illa probabat, nunc reddit illicita. Dices tandem, divinum est præceptum de Viatico sumendo; quod Subdiaconi, Minoristæ, ac Laici Eucharistiam deferre, ac dispensare non possint, solum est de jure Ecclesiastico: cessat ergo secundum hoc præceptum, si primum, quod divinum est, aliter servari non possit. Contra, divinum præceptum de Viatico sumendo, malè Oppositores explicant: erit ne licitum, sine lumine, sine sacris vestibus celebrare Sacerdotem, vel sine Altari, ne moribundus sine Viatico decedat? certè nullus hoc hodie affirmare audebit; esto Viaticum sit de jure divino, & sacræ illæ cæremoniæ de jure sint Ecclesiastico: dandum ergo est Viaticum de jure divino, non quidem absolutè, & quæcumque sint occurrentes circumstantiæ; sed conditionatè solum, quatenus dandum sit Viaticum, semper ac debito modo, & ritu ab Ecclesia præscripto dari possit: cujus oppositum eveniret, si Eucharistiam Laici, Minoristæ, vel Subdiaconi deferrent, ne moribundus sine Viatico decedat; cum, ut visum est, persuasio fidelium obstet; & communis repugnet Ecclesiæ praxis.

APPENDIX XI.

INTER NOVAS *Post num. 2936.*

De Eucharistia danda, vel non danda petentibus.

AN Minister Eucharistiam negare debeat (idem est de cæteris Sacramentis) indignè petentibus, dubium est non sine distinctione solvendum: siquidem publico peccatori, seu qui publicè indispositus est ad Sacramenti

gratiam recipiendam, est etiam publicè deneganda; peccatori autem occulto deneganda est, si petat occultè; secus verò si publicè petat: Communissima est Theologorum cum D. Thoma 3. *part. qu.* 80. *artic.* 6., lateque probant Salmant. *disp.* 7. *dub.* 5. Henno *disp.* 5. *qu.* 4., Dupasq. *disp.* 2. *quæst.* 4. Ratio constat ex perpetua Ecclesiæ praxi, ac Rituali Romano, in quo titulo de Eucharistia tota nostra expressa est assertio: si enim publicè indispositο publicè Sacramenta darentur, & occulto peccatori occultè, jam Minister contra charitatem ageret in Deum, & in proximum, & cooperaretur sacrilegio suscipientis; quod sine dubio fieri non potest. Si verò peccatori occulto publicè petenti negantur, publicum daretur scandalum, sive occasio temere judicandi vel de peccatore, cujus crimen esset ignotum, vel de Ministro, quasi sine causa, vel ex odio Sacramenta digno negaret; tum quia peccator occultus adhuc jus retinet ad publicam famam; quod & Christus proprio firmavit exemplo, cum iniquissimo Judæ, sed occulto, sacram præbuit Eucharistiam; ut enim dicitur *in cap.* 2. *de officio Judicis ordinarii* ex Eugenio Papa, seu potius ex Alexandro III., ibi, *quia nec Christus Judam à communione removit.*

Nec dicas Minister reverentiæ Sacramenti potius, quam proximi famæ consulere debet. Item magis tenetur cavere animæ proximi mortem, quam damnum solius famæ. Item si peccator occultus jus habet, ne infametur, Christus jus habet oppositum, ne videlicet dehonoretur; Jus autem Christi prævalere debet: Item petenti Eucharistiam animo illam projiciendi in sterquilinium, vel ignem, etiam publicè illam negare deberem, ergo idem si petat indignè ad Christum dehonorandum; ergo idem quocumque modo petat indignè: Item si reddo gladium suum Petro petenti se, vel alium occidere, pecco; ergo etiam si ministrem Sacramentum mortalitèr peccaturo, qui se ipsum spiritualitèr occidat.

Contra ad primum, noluit in hoc casu Christus potius consulendum esse reverentiæ Sacramenti, quam famæ proximi: Ad secundum, spiritualem mortem proximi vitare non possum lædendo ejus famam; uti nec lædere possum ipsum mutilando, vel ejus domum comburrendo, ad peccatum illius vitandum: Ad tertium, ut juri Sacramentorum, sic & proprio juri in hoc casu Christus Dominus cedit, ne proximus infametur, quod & suo facto probavit: ad quartum, ultimam nego illationem; disparitas est, quia in utroque priori casu aliquid peti in Dei, & Religionis contemptum, petentis ostendit intentio; cui nec ad mortem vitandam licitum est cooperari, non sic esse in casu nostro, Christus suo docet exemplo: Ad quintum, nulla est illatio; cum non reddendo gladium, mortem impedio temporalem; at non ministrando Sacramentum, læditur in fama proximus, quin spiritualis ejus mors impediatur; siquidem spiritualiter jam est sacrilega ea voluntate mortuus.

Nec dicas iterum præceptum non ministrandi Sacramentum indigno, est naturale, & negativum, adeoque obligat semper pro semper: Item qui dat Eucharistiam indigno, Christum innocentem iniquo tradit oppressori, quod est intrinsecè malum: Item Christum projicit in sterquilinium impuræ conscientiæ, quod semper malum est: Item Lucius III. *in cap.* 3. *de temporibus ordinationum &c.* dicit, ordines denegari posse etiam ex delicto occulto,

to, quoniam esse potest, quod Prælati eorum commissa secreta noverint &c.

Contra ad primum, præceptum est naturale, ac negativum, cum nulla necessitas est ministrandi, sicuti & mandatum est *non occides*; cum legitima, ac rationabilis non est causa occidendi. Ad secundum, qui Eucharistiam hoc modo daret indigno, ex rationabili causa ponit actionem de se moraliter indifferentem, & quæ tantum mala sit malitia suscipientis, in quo & cooperatio Ministri, de materiali se habet, adeoque nulla moralis est traditio, aut inhonoratio Christi: Ad tertium, suscipiens, secus autem Minister propria malitia Christum in sterquilinium projicit impiæ suæ conscientiæ, quin tamen hoc directè intendat; alias & publicè esset illi deneganda Eucharistia; cum jam peteretur in Dei, ac Religionis contemptum: Ad quartum etiam est illatio neganda; cum & nulla existente infamia quis ab Ordine rejici possit; ut si defectus adesset ætatis, tituli, subjectionis &c.

Emanatæ cujusdam prohibitionis occasione ab Illustrissimo Episcopo Cremense, ne Sacerdotes in privilegiata quadam Capella, in qua frequens numerus erat Missarum, celebrantes nec fidelibus petentibus darent ibi communionem; prodiit nuper Opella de jure Laicorum communicandi intra Missam (an typis edita, ignoro) in qua plura sunt, quæ à Theologis reprobantur asserta, nempè *Fidelium communionem sacrificii partem esse ad minus integralem: Fidelium in Missa communionem, si dispositi sint, esse de jure divino: Sacerdotes illam negantes fidelibus dignè petentibus, graviter peccare: superiores etiam Ecclesiasticos, extra casum publici demeriti, illam prohibentes*; hisque similia; sed quæ ex uno descendunt; siquidem si fidelium adstantium communio sacrificii pars est ad minus integralis; jam à Christo sic fuit institutum; nedum consecratio utriusque speciei, sed etiam illarum assumptio est à Sacerdotibus de jure divino facienda: adeoque & Sacerdotes fidelibus communionem in Missa negantes graviter peccant, uti & Ecclesiastici superiores illam prohibentes; siquidem utrique contra jus divinum agerent dimidiando sacrificium. At cum gravissima hæc sint, Catholica indigere videntur explicatione, alias & detestabilis erit Novatorum doctrina à Tridentinis Patribus damnata: si fidelium communio pars est sacrificii ad minus integralis; sacrificium sine fidelium communione peractum, ad minus illicitum esset, quia dimidiatum, ac mutilum; sicque illicitum esset sacrificium, in quo solus Sacerdos Sacramentaliter communicat; quod à Sacro Concilio Tridentino expressè damnatum est contra Lutherum, *sess. 22. can.* 8. per hæc verba, *si quis dixerit, Missas in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas esse; ideoque abrogandas; anathema sit*. Ubi de fidelibus communionem ritè petentibus, nulla est exceptio. Nonnè si fidelium communio in Missa sacrificii pars esset ad minus integralis, ac de jure divino, posset, immò sub gravi culpa deberet populus, immò & unusquisque fidelis in singulis Missis communicare; ac pluries eadem die, etiam post prandium, si eo tempore illos plures Missas audire contingat; idque ne sacrificium mutilum sit, ac dimidiatum?

Fidelium communionem esse de jure divino; eosque primis Ecclesiæ sæculis passim in singulis Missis communicasse, nemo dubitat, immò aliquos eadem die communicasse pluries, cum nempè plures audiebant Missas, te-

 statur

ſtatur Walafridus Strabo *lib. de Eccleſiaſticis officiis cap. 22.* At fidelium communionem quocunque loco, quocunque tempore, à ſingulis Sacerdotibus, Eccleſiaſticis etiam ſuperioribus reclamantibus, eſſe de jure divino faciendam, claſſicum putamus errorem; quem propugnare conantur hæretici Lutherus *in lib. de abroganda Miſſa privata*, & *lib. de Miſſa privata, & unctione Sacerdotum*, Calvinus *lib. 4. Iuſtitutionum cap. 18.*, Kemnitius *in Examine Concilii Tridentini*. Ubinam, quæſo, hæc docuere Scriptura, Concilia, Patres? quænam hæc Liturgia ſive Orientalis ſit, ſive Occidentalis, ſive vetus, ſive nova, teſtatur? Chriſtus Euchariſtiæ ſumptionem, ac diſtributionem mandat Apoſtolis, ſed aliquando faciendam; unde Euchariſtia communio, ſeu communis panis, & Altare communis menſa vocatur: hoc ipſum Concilia mandant, Patres inſinuant; *fruſtra habetur oblatio quotidiana, cum nemo ſit qui participet: quiſquis myſteriorum conſors non eſt, imprudens, & improbus adſtat*, inquit S. Joannes Chryſoſtomus *hom.* 3. in primum ad Epheſios, non quidem redarguens ſacrificantem, qui Euchariſtiam ritè petentibus diſtribuere nollet, ſed potius ſacrificio fideles adſtantes ſacram communionem petere nolentes; unde quem impugnamus, errori minimè favet. *Optaret quidem S. Synodus* (ait Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. cap. 6.*) *ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes, non ſolùm ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent*; ſed modo debito, & ritu ab Eccleſia præſcripto; peroptat quidem S. Synodus communionem in ſingulis Miſſis recipiendam, ſed loco debito, tempore opportuno, & à propriis Paſtoribus, vel ab aliis Sacerdotibus hujuſmodi facultate præditis; ſecus autem quocunque loco, quocunque tempore, Eccleſiaſticis Superioribus reclamantibus, vel à Sacerdotibus debita poteſtate carentibus: ſiquidem verba illa *in ſingulis Miſſis* debita ſunt limitatione intelligenda; alias poſſent fideles plures audiendo Miſſas, pluries eadem die, etiam poſt prandium ſacram percipere Synaxim: quo nihil abſurdius.

Si qui ſunt communicandi, eos communicet, antequam ſe purificet, ait Rubrica Miſſalis; at quinam communicandi ſint vidimus. Cum Sacerdos ſumpto ſanguine dicit, *quod ore ſumpſimus Domine, pura mente capiamus &c.* Fidelium adſtantium communionem pluralis illa locutio minimè deſignat: aliàs & illorum communionem ſub utraque ſpecie deſignaret; cum verba illa poſt utramque ſumptionem ſtatim à Sacerdote dicantur, ſimul etiam ad utramque certiſſimè referantur: nonne idem dici poſſet de verbis illis, quæ habentur in Canone, *ut quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum filii tui Corpus, & Sanguinem ſumpſerimus &c.*; quod nempè ad fideles adſtantes, qui ſunt communicandi, referantur? At nugæ iſtæ ſunt; cum verba illa *quod ore ſumpſimus domine &c.*, etiam in feria ſexta majoris hebdomadæ à Sacerdote dicantur; quando ex antiquiſſima Eccleſiæ praxi certum eſt, quod ex fidelibus adſtantibus nullus eſt qui communicet. Nec dicas, nihil ejuſmodi probationibus evinci; cum de ſolis adſtantibus ritè petentibus dictum ſit, non poſſe illis Sacerdotem, ſacram denegare communionem: contra hoc eſt ludere verbis; ſunt nè ritè petentes, qui quocunque loco, quocunque tempore petunt, Eccleſiaſticis etiam Superioribus reclamantibus, vel à Sacerdotibus diſtribuendi Euchariſtiam poteſtate caren-

rentibus ? Se ipſam hujuſmodi ſuppoſitio deſtruit .

Inquies, ſinguli Sacerdotes de jure divino, & vi ſuæ ordinationis habent poſſe conficere Corpus Chriſti, adeoque & fidelibus diſtribuere; majus enim eſt conficere, quam diſpenſare; & qui poteſt plus, poteſt & minus: adeoque ne diſpenſent fidelibus Euchariſtiam, cum celebrant, ab Eccleſiaſticis Superioribus prohiberi non poſſunt. Contra, novus hic error; poſſuntne ſinguli Sacerdotes confeſſiones audire, & Extremæ Unctionis miniſtrare Sacramentum, quin ab Eccleſiaſticis Superioribus prohiberi poſſint? nonnè Sacerdotes de jure divino, & vi ſuæ ordinationis ea valent Sacramenta miniſtrare? *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, Chriſtus Sacerdotibus ait; & S. Jacobus, *infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ &c.*: nec dubitandum, poteſtatem in Corpus Chriſti verum longè majorem eſſe illa, quæ eſt in myſticum Corpus Chriſti. Singuli Sacerdotes de jure divino, & vi ſuæ ordinationis diſpenſandi fidelibus Euchariſtiam poteſtatem habent, non quidem proximam, ſed remotam; illam vero, cum opus fuerit, ab Eccleſiaſticis Superioribus habent: hic eſt Theologorum omnium, hìc eſt totius Eccleſiæ ſenſus: non a ſingulis Sacerdotibus, ſed à propriis Paſtoribus debere fideles ſacram ſuſcipere ſynaxim, pluries ſtatuere Concilia, Carthaginenſe I. Can. 7., Julio Romano Pontifice; Milevitanum II. Can. 18. Innocentio I. Romano Pontifice; Lateranenſe IV. generale ſub Innocentio III. relatum in cap. *omnis utriuſque ſexus de pœnitentiis, & remiſſ.*; latèque probant Theologi, cum de Euchariſtia Fraſſen *art. 3. ſect. 1. quæſt. 2.*, Dupaſquier *diſp. 6. quæſt. 2.*, Henno *diſp. 7. quæſt. 4.*, Boſco *ſect. 12. num. 5.*, Gonet *diſp. 10. num. 12.*, Sporer *num. 309.*, Salmanticenſes *diſp. 12. num. 22.*, Cardinalis de Lugo *diſp. 27. a num. 30.*, qui & de communi omnium ſenſu teſtantur. Et ſane ad quid tot privilegia à Summis Pontificibus Nicolao V., Sixto IV., Leone X., Pio IV., Innocentio X., aliiſque, Regularibus conceſſa, miniſtrandi Euchariſtiam in ſuis Eccleſiis omnibus requirentibus; si omnes Sacerdotes celebrantes hac eſſent facultate præditi?

Hinc benignè intelligendus Eminentiſſimus Bona, cum ait de rebus liturgicis *lib. 1. cap. 6. num. 1.*, *ſunt igitur quædam in omnibus liturgiis, in quibus omnes Eccleſiæ conveniunt: utpotè ſine quibus ſacrificii ratio nullo modo ſubſiſteret, cujuſmodi ſunt panis, & vini præparatio, oblatio, conſecratio, conſummatio, & ipſius Sacramenti communicare volentibus diſtributio &c.* quatenus ſimul his omnibus deficientibus abſolute nulla maneret ratio ſacrificii; aliquibus verò tantum deficientibus, ſolum quoad Eccleſiaſticam ſollemnitatem, & antiquum Eccleſiæ ritum, ſacrificium non ſubſiſteret idem; ſicque Bona explicandus; ne tantum virum in apertam hæreſim incidiſſe dicamus. Quod & clarius ipſe explicaſſe videtur *cap. 13. num. 2.*, cum ait, *& quidem ab initio ſic ſacrificium principaliter inſtitutum fuiſſe* (intellige, quoad Eccleſiaſticam ſollemnitatem) *ut publicè, ac ſollemniter fieret, clare, & populo adſtante, offerente, ac communicante, ipſe tenor miſſæ, & veteris Eccleſiæ praxis evincunt*. Non itaque oppoſitori Bona favet; uti nec Cardinalis Lambertinus (hodie Benedictus XIV.) *ſect. 1. de ſacrificio miſſæ num. 347.*, nec Cardinalis Gotti *tom. 1. de vera Eccleſia cap.*

cap. 9. *num.* 85. (quorum auctoritate ille gloriatur immerito); siquidem fidelium communionem de jure divino esse fatemur; sed illam cum cæteris Theologis limitationem addentes, *pro determinatis tempore, personis, ac loco*; idque juxta quem explicavimus sensum.

APPENDIX XII.

INTER NOVAS *Post num.* 2948.,

AC

DISSERTATIO I.

Quænam in Ministro requiratur intentio ad Sacramenti valorem.

De modo non quærimus, quo in objectum feratur intentio, seu an actualis necessaria sit, vel potius virtualis sufficiat intentio, vel etiam habitualis: actualis illa est intentio, qua actu volumus; virtualis, quæ durat volitio virtute operationis per actualem intentionem inceptæ; sic Sacerdos esset, qui animo celebrandi missam, sacris se vestibus induit, si distractus deinde consecraret; habitualis intentio est, aliquando habita, & numquam retractata volitio; quæ etiam in ebrio, ac dormiente durat. In Sacramentis conficiendis intentionem non sufficere habitualem, nec ad valorem necessariam esse actualem, unus est Theologorum omnium sensus, sed virtualem sufficere intentionem: *dicendum* (ait Angelicus *d. 3. part. quæst.* 64.*art.*8.*ad* 3.) *quod licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem* (intellige virtualem) *quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti; puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia; unde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum*: hoc ipsum in Missali habetur *Rubrica* 7.*de defectibus num.*4.

De intentione quæritur hic objectiva; seu ut validum sit Sacramentum, quodnam in Ministro esse debeat intentionis objectum; an intentio sufficiat conficiendi solum ritum externum, vel ulterius etiam conficiendi Sacramentum, saltem implicita requiratur intentio: *implicita* dictum est, cum certum sit explicitam non requiri, sic validè baptizat Atheus, si quod alter petit, ipse dare intendat, tunc enim petitur baptismi Sacramentum; quod facit Ecclesia; quod Christus instituit; adeoque hoc ipsum, esto nihil credat, saltem implicitè dare intendit Atheus: *unde non obstante infidelitate* (ait S.Th.*cit.quæst.*64.*art.*9.) *potest intendere facere id, quod facit Ecclesia, licet extimet id nihil esse; & talis intentio sufficit ad Sacramentum.*

Ad valorem Sacramenti in Ministro nulla requisita est intentio de illius esse-

effectu: *nec illud te moveat* (S.Augustinus inquit in epistola ad Bonifacium 98. alias 23.) *quod quidam non ea fide ad baptismum perficiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam; sed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere salutem: non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur.* Negabant Pelagiani Infantes per baptismum ab originali culpa purgari, & tamen illorum baptismum suscipiebat Ecclesia; & nos Lutheranorum, & Calvinistarum baptisma suscipimus, esto cum baptizant, gratiam conferre non intendant, immo & illorum baptismum nec sub conditione repetendum esse, decretum est in Concilio Rotomagensi anno 1581. aliisque pluribus: nec refert, quod Sacramentum sit essentialiter signum efficax gratiæ; cum hoc non obstante, ut potest quis valide baptizari, quin sit ab originali culpa mundatus, ut si ad baptismum accederet indispositus; sic & Sacramentum intendi potest, quin intendatur effectus.

Hinc & valet Sacramentum, quocunque sit pravo fine collatum: *puta si Sacerdos* (ait Angelicus D. *cit. quæst.* 64. *art.* 10.) *intendat aliquam fœminam baptizare, ut abutatur ea? vel si intendat conficere Corpus Christi, ut eo ad veneficia utatur; & quia prius non dependet a posteriori, inde est, quod talis intentionis perversitas veritatem Sacramenti non tollit:* Sæculo 17. currente Massiliæ perditus quidam Sacerdos, multis flagitiis, arteque magica famosus, qui & Parochus erat Ecclesiæ S.Mariæ de Aquis fluentibus; cum morti proximus deposuisset, se per viginti annos, omnes baptizasse, illos non Christo, sed diabolo vovendo; quid agendum esset, dubitatum fuit, consulti Parisienses Magistri, omnes nihil innovandum esse responderunt: *Curandum non esse* (ait S.Augustinus de Sacramentorum Ministro *lib.* 3. contra Cresconium *cap.* 8.) *qua mente operetur, qua laboret intentione.*

Aliquam necessariam esse intentionem ad Sacramenti valorem, fatentur omnes, Lutherani etiam, & Calvinistæ; & quidem Sacramentorum Ministrum saltem humano modo agere debere, omnibus compertum est; quis enim unquam dixit, etiam dormientem ministrare posse Sacramenta. Sed ludicram, & jocosam sufficere intentionem, Lutherus ait articulo 12. inter damnatos a Leone X. ibi, *si Sacerdos non seriò, sed joco absolverit, si tamen credat* (pœnitens) *se esse absolutum; verissimè absolutus est:* damnavit errorem Concilium Tridentinum *sess.* 7. *can.* 11. ibi: *si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit:* At insurgit pro Luthero Calvinus in Antidoto ad hunc Tridentini locum, inquiens, *quod de intentione consecrandi garriunt, à sophistis nulla probabili ratione fuit proditum &c.: Ego vero sacrosanctæ Christi institutioni tantum defero, ut si Epicureus quispiam intus totam actionem subsannans, mihi cœnam ex Christi mandato, & secundum regulam ab eo datam, rituque legitimo administret, non dubitem panem, & Calicem illius manu porrecta, vera mihi esse Corporis, & Sanguinis Christi pignora:* nunc ad propositam quæstionem.

Sufficere in Sacramentis conficiendis intentionem Ministri, quam dicunt externam, seu quæ terminata sit ad solum ritum externum, materialem, ac physicum communiter affirmant Janseniani; de hoc siquidem interro-

ga-

gatus Jacobus Sambovius (vulgò de Sainte-Beuve) in suis decisionibus respondet, sententiam hanc esse Sanctorum Augustini, ac Thomæ; certum est autem, ac in altero Moreri supplemento demonstratum, multum pro Jansenii propositionibus pugnasse Sambovium, atque Arnaldo non magis animo, quam doctrina fuisse conjunctum; quem & totius Galliæ fuisse oraculum, scribit Jansenista Dupinius. Sambovium secutus est Nicolas Instructionum Moralium *tom.* 1. *instruct.* 1. *cap.* 5.: celeberrimum Jansenistam hunc fuisse Nicolium, scripta ejus opera testantur, quorum Catalogum habes in supplemento Moreri, de quibus passim in Bibliotheca Janseniana sermo recurrit; nè quid de moralibus ejus instructionibus dicam, de quibus latè memoriæ Trevoltinæ ad annum 1733. à pag. 371., & Bibliotheca Janseniana *to.* 1. editionis 3. à pag. 180.; ac centum in illis contineri propositiones in Quesnellio damnatas peculiari sua dissertatione ostendit doctissimus Fichan, quam integram habes in memoriis Trevoltinis ad annum 1732. à pag. 1032. Nicolas, ac Sambovium sequitur Jueninus in Commentario Historico Dogmatico *de Sacramentis dissertatione* 1. *q.* 5. *cap.* 2. *artic.* 3. *per totum*: doctrina Jansenianum fuisse Juveninum, quis dubitet? Episcoporum Galliæ testantur Instructiones, Meldensis, Carnotensis, aliorumque; de quibus Bibliotheca Janseniana *tom.* 1. *pag.* 278., & nos in dissertatione Theologica Historica Dogmatica de gratia Christi.

Modernum Galliæ Doctorem Sambovium secuti sunt quoque coævus ei Contensonius *disp.* 2. *de Sacramentis*, & in Apologia; Serrius *in vindiciis Catharini, & in vindiciis vindiciarum*; recentissimus Anonymus Gallus Serrio ex sorore Nepos *de re Sacramentaria lib.* 1. *qu.* 6. *cap.* 3. *per totum*; Genettus, Du-Hamel, Summa Alexandrina, seu Natalis, aliique pauci. Hæc sententia, quæ Ambrosio Catharino est vulgò tributa, pessimè apud Theologos, & quidem magni nominis audit; siquidem doctissimus Cardinalis Bellarminus *lib.* 1. *de Sacramentis in genere cap.* 27. exactissimè Novatorum sententia explicata de intentione Ministri, asserit ab illa non differre Catharini sententiam; *nisi quia Catharinus in fine Opusculi subjicit se Apostolicæ Sedi, & Concilio; Novatores rident utrumque*. In ferendo judicio de Catharini sententia, ut communiter explicata, errasse Bellarminum, Juniores dicere audent; sed potiùs ipsi videntur, non adhuc de intentione Ministri errata intellexisse Novatorum.

Nonnè Bellarmini judicium fuit (paucos si excipias Juniores) communissimo Scriptorum sensu comprobatum? ait de Catharini sententia Cardinalis de Lugo de Sacramentis *disp.* 7. *sect.* 3., *meritò tamen censetur ab errore damnato non multum distare; & ideò meritissimè* (nota verba) *ab omnibus Theologis rejecta sit*: unde & sententiam illam ut errorem in fide, ac Tridentino contrariam communissimè tenent Theologi apud doctissimos Salmanticenses *disp.* 7. *num.* 21., & nostros Diana *tom.* 4. *tract.* 8. *resol.* 37., *ex part.* 12. *tract.* 1. *resol.* 37., & Quarti *part.* 3. *in Rubricas Missalis tit.* 7. *dub.* 4. Communem Scholasticorum sensum, & quidem in materia Sacramentorum, quæ maximè theologica est, cum junioribus fortè contemnes? Absit; cum sensus hic esset Hæreticorum; unde & nostræ Scholæ dicuntur à Wiclepho *Cainitica Castra*; à Luthero *Lupanaria*; a Calvino *Conventus Idololatriæ, ac*

impie-

impietatis; à Melancthone *prophanæ*; & *negotium perambulans in tenebris* à Kemnitio; istorum vestigia premens de Scholasticis non dissimilia loquitur Jansenius in suo Augustino *lib. proœmiali cap.* 28.; & in sua *Epist.* 16. sic inquit, *ut ingenuè dicam quod sentio, existimo post hæreticos a nemine magis, quam a disputatoribus illis scholasticis adulteratam, & corruptam fuisse Theologiam*: addit quoque, *Audio dicere, mihi compertum esse, quod e si utraq; tum Jesuitarum, tum Thomistarum schola usque ad extremum judicii diem disputatura sit, tantum à veritate sit aberratura, in quantum utraque ab ipsa centum leucis distat*: ait etiam, *cum Augustinum degusto, fastidit Thomas*. At unde tantus est apud Osores Ecclesiæ Scholasticæ Theologiæ contemptus, odiumque Scholasticorum? sic ut pluries quotquot Scholasticorum volumina, præsertim D. Thomæ, Scoti, ac Magistri sententiarum, invenire potuerunt, publicis tradidere flammis, uti videre est apud Sanderum, Wadingum, & Naucleri supplementum: ex eo profecto est, quod Ecclesiæ hostes, quibus feriuntur, arma timent; & quæ bona est Ecclesiæ, ac perutilis, mala illis est Dialectica; qua, ut Augustinus inquit *lib.* 14. *de Trinitate cap.* 1., *fides saluberrima in nobis gignitur, nutritur, defenditur, ac roboratur*; & quæ, ut ait *lib.* 2. *de Doctrina Christiana cap.* 31., *ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris sanctis sunt penetranda, ac dissolvenda, plurimum valet*; & *lib.* 1. *contra Cresconium cap.* 13. *quid enim aliud est dialectica, quam peritia disputandi*? Non itaque cum Hæreticis contemnenda, sed cum fidelibus veneranda semper erit Scholasticorum auctoritas.

Eandem sententiam de intentione Ministri suam esse dicunt Hetherodoxi; Ludovicus le Blanc Calvinista in Thesibus Sedanensibus *pag.* 798. *nu.* 31., ait; *manifestum esse sententiam Protestantium à Catharini sententia in hac quæstione nihil quoad rem ipsam differre: ac proinde defendi posse, eorum hac in parte doctrinam in ipso Concilio Tridentino non esse damnatam*: idem scribit Marcus Antonius de Dominis *lib.* 5. *de Republica Christiana cap.* 12. *n.* 13., quamvis Catharinum ab hac sententia excuset, dicens, *eum requirere intentionem faciendi actum externum, ut sacrum, & non ut simpliciter prophanum*; *Ego tamen ne in hoc quidem intentionem Ministri video necessariam*: Catharinum à Novatorum sententia de Dominis excusat ex eo præcisè, quod ille intentionem requirat faciendi *actum externum, ut sacrum, & non ut simpliciter prophanum*; de quo non curant Novatores; nec allata juniorum sententia curat.

Dicendum ergo in Sacramentis conficiendis intentionem Ministri, quam dicunt externam, nullo modo sufficere posse, sed ulteriùs mentalem intentionem requiri saltem implicitam faciendi Sacramentum, seu quod facit, vel facere intendit Ecclesia, seu quod Christus instituit; communissima est Theologorum sententia, cum de intentione Ministri, ut visum est; quibus doctissimi recentiores accedunt ex omni natione, præsertim Galliæ Scriptores, Lambertus Gaud *in dissertatione Theologica, Historica, Dogmatica &c. de intentione Ministri* contra Serrium edita; Boucat *artic.* 6. *sect.* 2. *cap.* 2., Tournely *quæst.* 7. *artic.* 1., Simonnet *disp.* 4. *articul.* 2., Platel *à num.* 84., Habert *cap.* 13. Illustrissimus Verde contra Contensonum, *lib.* 2. *Institut. Cano-*

nonicaram à num. 308.: Torellus contra Jueninum, *in notis ad eundem* Verde *ad num.* 319. *adnotat.* 8., nofter Veranus *difp.* 5. *fect.* 3., Henno *difp.* 4. *quæft.* 2. *artic.* 2., Fraffen *artic.* 3. *quæft.* 4., Dupafquier *difp.* 2. *qu.* 5., La Croix *num.* 54., Giribaldi *cap.* 5. *dub.* 6., Sporer *à num.* 123. Gonet *difp.* 6. *art.* 2., Marin *difp.* 4. *fect.* 4., Salmanticenfes *difp.* 7. *dub.* 2., aliique infignes innumeri Scriptores apud ipfos.

Eandem fententiam pro certa femper habuit Angelicus Doctor, præfertim 3. *part. Summæ qu.* 64. *artic.* 8., *& feqq.*; fiquidem articulo 8. quærit, *utrum intentio Miniftri requiratur ad perfectionem Sacramenti*; ac refpondet affirmativè; probatque, quia cum formæ, ac materiæ Sacramentorum fint de se ad plura indifferentes, neceffario funt ad unum ordinandæ; idque per intentionem Miniftri unicè faciendum; *ablutio aquæ, quæ fit in baptifmo, poteft ordinari & ad munditiam corporalem, & ad fanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia hujufmodi: & ideò oportet, quod determinetur ad unum, ideft ad Sacramentalem effectum per intentionem abluentis*: non ergo ab externis circumftantiis, fed à fola intentione Miniftri tota eft determinatio petenda. Idipfum probat, quia cum Minifter inftrumentum fit animatum, debet se movere; *& ideo requiritur ejus intentio, qua se fubjiciat principali agenti, ut fcilicet intendat facere, quod facit Chriftus, & Ecclefia*: adeoque Minifter non folum externum ritum intendere debet, fed etiam Chrifto ut principali agenti se fubjicere, fic ut etiam intendere debeat facere, quod facit Chriftus, & Ecclefia; certum eft autem, quod Chriftus, & Ecclefia Sacramentum faciunt: nullum quoque dubium eft, fermonem hic effe de interna, ac mentali intentione; cum hæc ftatuat, atque probet Angelicus Doctor contra negantes mentalis intentionis necefsitatem, *cum non poffit homini effe nota intentio alterius*.

Item docet articulo nono quod Infidelis circa ipfum Sacramentum, ex: gr: non credens baptifmum effe Sacramentum, validè conficit, si facere intendat, quod facit Ecclefia; *fi verò patiatur fidei defectum circa ipfum Sacramentum, quod exhibet, licèt credat per id, quod agitur exterius, nullum fequi interiorem effectum; non tamen ignorat, quod Ecclefia Catholica intendit per hujufmodi, quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum; unde non obftante infidelitate poteft intendere facere id, quod facit Ecclefia, licet æftimet id nihil effe: & talis intentio fufficit ad Sacramentum; quia ficut fupradictum eft* (nempè *articulo* 8. *ad fecundum*). *Minifter Sacramenti agit in perfona totius Ecclefiæ*: certè hic loquitur Angelicus Doctor de intentione interna; cum ipso fatente eodem fenfu, ac in præcedenti articulo loquatur; tum quia ut loquitur de infidelitate etiam interna, fic & de interna etiam loquitur intentione; cum pari modo de utraque fine diftinctione loquatur. Item articulo 10. ait, *dicendum, quod intentio ludicra, vel jocofa excludit primam rectitudinem intentionis, per quam perficitur facrum*: & quidem five mentalis fit, & occulta, five manifefta; cum fine limitatione loquatur; immò & apertifsimè fuum aperiat fenfum, his verbis; *dicendum, quod intentio Miniftri poteft perverti dupliciter; uno modo refpectu ipfius Sacramenti, puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, fed derifori*

soriè aliquid agere ; & talis perversitas tollit veritatem Sacramenti ; præcipuè quando (nota verba) *suam intentionem exteriùs manifestat* : adeoque mentalis intentio etiam non externata, si ludicra sit, & jocosa irritat Sacramentum; ut clarè verba illa ostendunt, *præcipuè quando* : ly *præcipuè* idem esse ac *sanè*, dicit Anonymus ; At in oppositum communis se prodit expressio verborum, præsertim Angelici Doctoris : referendum esse ly *præcipuè quando* ad signa externa dubia, Juéninus ait ; at divinando dicit, & contra claram verborum intelligentiam : quæ opponuntur alia, infra videbimus.

Damnatam esse oppositam sententiam in propositione 28. inter damnatas ab Alexandro VIII. die 7. Decembris an. 1690. (in qua dicitur, *valet baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat ; intus verò in corde suo apud se resolvit ; non intendo facère quod facit Ecclesia*) Communissimè tenent Theologi post damnationem illam scribentes, Tournely, Gaud, Boucat, Simonnet, Henno, Dupasquier, La Croix, Giribaldus, Viva, Sabinus, Torellus, Adnotator Natalis. Siquidem ex damnata propositione clarum est, nullum esse baptismum, validum non esse Sacramentum, si Minister *intus in corde suo apud se resolvit, non intendo facere quod facit Ecclesia* : quid internius, quid occultius, quid intentione ista mentalius, *intus in corde suo, apud se resolvit* ? & sola sufficit pro nullitate Sacramenti. De intentione faciendi solum ritum externum, certè non loquitur propositio damnata ; cum de Ministro humano modo operante loquatur ; immò & *qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat*.

Cum Serrio respondet Anonymus, allatam propositionem meritò damnatam esse ; nam si joco exteriùs quis conferat baptismum, equidem illum non conficit ; sicut si Minister non postulatus, aut domi, etsi adhibeat debitam materiam cum vera forma, baptismum non conficit, quando intra se resolvat, *non intendo facere, quod facit Ecclesia*.

At vanum effugium : ubinam in damnata propositione limitatio illa de externa non seria intentione, vel de externis circumstantiis minimè ad baptismum determinatis ? oppositum certè verba illa ostendunt, qui *omnem ritum externum, formamque baptizandi observat* : censetur ne ritum Ecclesiæ adhibere qui joco, vel in circumstantiis ad baptismum minimè determinatis, enunciatis verbis *Baptizo te* abluit infantem ? sine ulla limitatione damnata est propositio ; adeoque & sine ulla restrictione intelligenda damnatio : nonnè ex hac ipsa ratione non ad solam externam non seriam intentionem ; sed ad externas etiam circumstantias indifferentes damnationem illam Oppositores extendunt ? eo vel maximè quod propositio illa damnata quorundam erat Catholicorum, uti & cæteræ propositiones, quas Alexander VIII. suo decreto proscripsit ; ut omnibus compertum est ; at validum esse baptismum exterius non seriò collatum, vel in circumstantiis indifferentibus ex:gr: nullo petente datum, si Minister dum conficit, intra se resolvat, *non intendo facere quod facit Ecclesia* ; nullus Catholicorum unquam dicere somniavit : est ergo damnata propositio sine tali restrictione intelligenda.

Anonymus addit, Romani Consultores, qui in damnatione propositionis Judices sederant, Serrio pluries testati sunt, propositionem illam non fuisse in Catharini sensu damnatam, sed in alio longè diverso: Item, Serrio teste, etiam post damnatam illam propositionem, Catharini sententia passim fuit Romæ publicè propugnata; editis quoque libris, in quibus hæc defenditur opinio Catharini; quales sunt *Moralis Theologia* Genetti, edita permittente Clemente XI.; & *Summa Alexandrina*, seu Natalis de mandato edita Benedicti XIII. anno 1725.

At hæc cui testati sunt Romani Consultores? Serrio, dicis; unde hoc habes? inquies, Serrius ipse testatur: unde etiam habes, Catharini sententiam publicè propugnatam esse Romæ? dices, hoc esse certum: undenam hanc habes certitudinem? respondebis, quia Serrius asserit. Sed nulla fides Serrio, cum sit in causa propria testis; & factum asserat nulla probatione firmatum; & quidem communissimè reclamantibus Theologis, qui post illam scripsere damnationem: negandum ergo Romanos Consultores id fuisse testatos: sed omittamus; quid inde? damnatam non esse Catharini sententiam & nos infra dicemus; sed negandum ex datis rationibus oppositam sententiam non esse damnatam: quam post decretum Alexandri VIII. passim Romæ publicè fuisse propugnatam, omninò falsum esse, omnibus compertum est: Romæ diù moratus sum, & passim, meo munere fungens, publicis assistebam disputationibus; nec unquam vidi oppositam sententiam voce, aut in editis conclusionibus propugnatam: idemque cæteri omnes, inter quos viri doctissimi, ac omni exceptione majores, incomparabilis quoque, & omnigena sua eruditione, ac morum integritate celeberrimus ille vir Illustrissimus, ac Reverendissimus Dominus Franciscus Maria Muscettola ex Clericis Regularibus, Roscianensis (quam nuper dimisit) Ecclesiæ Archiepiscopus, adhuc (Deo dante) superstes; aliique magni nominis in Theologia Magistri, qui longo annorum spatio morati sunt Romæ, notoriam rem esse testantur. *Moralis* Genetti recusa est Romæ; uti & *Summa* Natalis; sed an furtivè, dubitatur à doctis; quid enim facilius hodie, experientia teste, furtiva editione librorum? at omittamus, minimè fuisse furtivam; non operis probationem, sed solam Eminentissimi Cardinalis Vicarii edendi operis licentiam ostendit objectum.

Replicat Jueninus, Romanæ Inquisitionis hoc esse decretum, non emanatum immediatè ab ipso Papa; quod nec in conscientia apud Gallos obligat.

At Jueninus suis se verbis ligat; cum ab ipso Papa fuerit illa propositio damnata, & quidem debito præmisso examine, & singillatim suffragiis omnibus visis, atque discussis; ut ex ipsius Bullæ verbis innotescit: de propositionibus pari modo ab Alexandro VII., & Innocentio XI. damnatis, nonnè hoc ipsum diceret Jueninus? Quæ autem Romani Pontificis definitiva decreta fidem respiciunt, in conscientia ante omnem acceptationem obligant; alias cum Tridentini definitiones in Svetia, Saxonia, Anglia, Scotia, Hibernia, Pomerania, aliisque Provinciis, acceptatæ non fuerint, ab illis Lutherani, & Calvinistæ excusare se possent.

Dicet aliquis, videndum an meritò illa fuerit propositio à Romano Pon-

Pontifice damnata: non semel sic respondisse juniores, meis hisce auribus audivi. Tolerabile quidem dubium fuisset, initio emanatæ Alexandrinæ Constitutionis oppositum; cum Romani Pontificis infallibilitas extra Concilium generale, vera sit, sed non omnibus certa: At hodie intolerabilis est dubitatio; cum Alexandrina Constitutio, in qua propositio illa damnatur (ut etiam illæ Alexandri VII., ac Innocentii XI., in quibus aliæ sunt damnatæ propositiones) utpotè ab universali Ecclesia acceptata, jam sit de fide ab omnibus tenenda: nec paucorum repugnantia obstat; alias & dubitari posset an propositiones Baii, ac Jansenii; ut etiam illæ Wiclephi, Lutheri, atque Calvini fuerint meritò damnatæ.

Neque mirum, sententiam de sufficientia intentionis faciendi solum ritum externum, nunc censeri damnatam; cum & longè ante Alexandrinam Constitutionem, ut damnabilem, ac vitandam Cardinalis Bellarminus; Cardinalis de Lugo, & communissimè Theologi, ut visum est, illam habuerint: & quidem meritò, cum definitionibus Conciliorum (in quibus divina nobis constat Sacramentorum institutio) satis apertè adversetur. Siquidem Concilium generale Florentinum in decreto Eugenii (hoc enim editum est, ut ibi dicitur, *sacro hoc approbante Florentino Concilio*) §. 5. sic loquitur: *Hæc omnia Sacramenta* (novæ legis) *tribus perficiuntur; videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum*. Adeoque præter voluntariam exhibitionem materialis, ac externi ritus, nempè rerum, ac verborum, materiæ, ac formæ, quas adhibet Ecclesia; quid aliud requiritur, intentio nempè faciendi ritum sacrum, ac Sacramentalem, quem facit Ecclesia.

Respondet cum Contensonio Jueninus, Ecclesia facit ritum externum, ac materialem, intendens conficere Sacramentum à Christo Domino institutum: Minister autem ex Florentino intendere debet, quod facit Ecclesia, nempè ritum externum; secus verò quòd intendit Ecclesia.

At Concilio Florentino apertè responsio ista repugnat; siquidem ex Florentino præter voluntariam externi ritus exhibitionem, nempè rerum, ac verborum, materiæ, ac formæ, intentio requiritur faciendi, quod facit Ecclesia; adeoque ex Concilio præter voluntariam externi ritus exhibitionem, Ecclesia aliquid aliud facit, nempè Sacramentum à Christo Domino institutum. Seriò quidem ponit Ecclesia ritum externum, physicum, ac materialem, non simplicem, ac nudum, sed sacrum, ac Sacramentalem, & secundum ministerialem potestatem à Christo Domino acceptam. Quid Ecclesia facit in Sacramentis conficiendis, nisi quod Christus instituit, & quod Christus ut principalis causa facit? certum est autem, ac divina fide tenendum, Christum non simplicem, ac nudum ritum externum seriò positum instituisse; neque hunc solum, ut principalem causam operari; sed ritum instituisse sacrum, Sacramentalem, ac Sacramentum; idemque ut principalem causam agere: idem ergo potestate ministeriali facit Ecclesia. Item id facit Ecclesia, quod facere intendit; non enim aliter agit, quam agere intendat, ut clarum est; facit ergo Sacramentum, & non simplicem, ac

nudum

nudum ferium ritum externum; cum non simplicem, ac nudum ferium ritum externum, sed Sacramentum facere intendat: adeoque & Sacramenti Minister, cum intendere debeat quod facit Ecclesia, non simplicem, ac nudum, serioque positum, ritum externum intendere debet, sed ritum etiam sacrum, Sacramentalem, ac Sacramentum; hoc enim facit, ac facere intendit Ecclesia.

Doctrinam à Florentino traditam innovat contra Lutherum, aliosque Novatores Sacrum Concilium generale Tridentinum *seff.7. can.11.*, sic definiens, *si quis dixerit in Ministris dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit*: Intentionem requirit nedum faciendi ritum externum, quem facit Ecclesia; siquidem in omni voluntaria externi ritus exhibitione hæc invenitur intentio; quam & hæretici omnes admittunt; cum etiam baptismus mimicè collatus, sponte sit, ac liberè datus; sed etiam ritum faciendi externum sacrum, ac Sacramentalem, quem facit, ac facere intendit Ecclesia. Nec dicas, Tridentinum damnasse Lutherum asserentem valere baptismum mimicè collatum, adeoque etiam externa seria intentione deficiente. Contra, illam intentionem contra Novatores necessariam esse definitum est à Tridentino, quam requirit Florentinum: certum est autem à Florentino requiri non solam intentionem seriò ponendi ritum externum, physicum, ac materialem; cum non hoc solum faciat Ecclesia; sed etiam veram mentalem intentionem faciendi Sacramentum; cum hoc faciat, ac facere intendat Ecclesia: Item illam intentionem Tridentinum requirit contra Lutherum, quæ sit animus seriò agendi, ac verè conficiendi Sacramentum; *non debet pænitens* (ait Tridentinum *seff. 14. cap. 6.*) *adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus seriò agendi, ac verè absolvendi desit; putet tamen se propter suam solam fidem, verè, & coram Deo esse absolutum*: ubi ly *animus seriò agendi, ac verè absolvendi*, mentalem, ac internam intentionem præcipuè designant; sicuti & ly *contritio* internam contritionem, & ly *verè, & coram Deo absolutum* veram internam significant absolutionem: eo vel maximè quod Tridentinum eam opponat expressionem verbis illis Lutheri, *si Sacerdos non seriò, sed joco absolverit; si tamen credat* (pænitens) *se esse absolutum, verissimè absolutus est*. Jocus, ac serietatis defectus in absolvente sive internus sit, sive externus, per Lutherum valorem non impedit absolutionis: impedit verò per Concilium, sive internus sit, sive manifestus; ut enim dixerat Angelicus Doctor *cit.qu.64. art.10.*, *Intentio Ministri potest perverti dupliciter, uno modo respectu ipsius Sacramenti; puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere; & talis perversitas tollit veritatem Sacramenti; præcipuè quando suam intentionem exterius manifestat*.

Nec ullum adhuc mihi visum est discrimen inter juniorum sententiam de sufficientia solius intentionis, quam dicunt externam; & illam Novatorum in Tridentino damnatam: dicunt externam etiam intentionem à Novatoribus negari: falsum est; nonnè Calvinus solius internæ intentionis necessitatem negat, & tamen in Canone illo 11. Tridentini se damnatum cum

Lu-

Luthero agnoscit? inquit enim in Antidoto ad hunc locum; *Quod de intentione consecrandi garriunt, à Sophistis* (sic vocat Tridentinos Patres) *nulla probabili ratione fuit proditum &c. Ego verò sacrosanctæ Christi institutioni tantum defero; ut si Epicureus quispiam* (nota verba) *intus totam actionem subsannans, mihi cœnam ex Christi mandato, & secundum regulam ab eo datam, rituque legitimo administret; non dubitem &c. vera mihi esse Corporis, & Sanguinis Christi pignora*: sententiam juniorum verbis illis habes expressam, *intus totam actionem subsannans*. Fatetur hoc ipsum Kemnitius Lutheri discipulus in examine Tridentini ad eundem Canonem, inquiens, *Non hoc vult institutio baptismi ut fiat vulgaris aliqua lotio &c. sed requirit, ut peculiaris instituatur actio, & quidem actio illa, quam Christus instituit; & hoc sufficit adservandam institutionem: Quid verò* (nota) *in corde de illa actione sentiat is, qui administrat baptismum, hoc ad veritatem, seu ad integritatem baptismi non pertinet*. Dicunt juniores, se non esse in Tridentino damnatos, cum sequantur Catharini sententiam, quæ, teste Cardinale Pallavicino, in Tridentino damnata non fuit; ac de baptismo loquantur in circumstantiis dato, non quidem indifferentibus, sed determinatis ad baptismum. At hoc ipsum Novatores affirmant; *Manifestum esse* (ait Calvinista le Blanc in suis Thesibus) *sententiam Protestantium à Catharini sententia in hac quæstione nihil quoad rem ipsam differre; ac proinde defendi posse, eorum hac in parte doctrinam in ipso Concilio Tridentino non esse damnatam*: de necessaria externa determinatione circumstantiarum, fatentur hoc ipsum Novatores; *non vulgaris aliqua lotio*, ait Kemnitius; *secundum regulam à Christo datam, rituque legitimo*, Calvinus inquit: & iniquissimus ille Novator Marcus Antonius de Dominis *lib. 5. de Republica Ecclesiastica cap. 12. num. 13. externam actionem*, dicit, v: gr: *lotionem in baptismo, à prophana ad sacram determinari, non ex sola invocatione Trinitatis &c.; sed ex intentione Ecclesiæ, ex petitione eorum, qui non lotionem simplicem postulant, ex loco, quia in Ecclesia, ex tempore, ex tot circumstantiis personarum, susceptorum &c.*: nonnè quos impugnamus juniores pari modo loquuntur?

At cum Serrio Anonymus instat; cum Luthero damnatum fuisse Calvinum; quia hominem sola fide justificari, cum illo sentiebat: Kemnitium externam etiam excludere intentionem; cum expresse dicat ibidem, suscipiens *justificatur, quantumvis perversam tam interiorem, quam exteriorem, vel etiam nullam intentionem habeat Minister*: tum quia si Minister totum id intendere debet, quod facit Ecclesia; Sanctificationem etiam suscipientis intendere deberet; cum & hoc faciat, & facere intendat Ecclesia. Contra est, quid responsione ista ineptius? per Canonem 11. Tridentini damnantem non requirentes in Ministro Sacramenti debitam intentionem, seu faciendi, quod facit Ecclesia; damnatur Calvinus, quia cum Luthero dicit, hominem sola fide justificari, & Sacramenta gratiam non causare ex opere operato? nonnè hujusmodi errores jam erant peculiaribus Canonibus, nempè *can. 4., & sequentibus*, à Tridentino damnati? damnatur ibi Calvinus, quia cum Luthero, & Kemnitio dicit, necessariam non esse intentionem faciendi quod facit Ecclesia; & certè, quamvis fateretur contra Lutherum, gra-

gratiam Sacramenta causare ex opere operato, & hominem non sola fide justificari, adhuc esset ibi damnatus. Kemnitius obscurè ibi loquitur; cum non explicet de qua perversa intentione loquatur; & quæ sit ad Sacramenti substantiam terminata: aliundè clarissima ejus sunt, quæ citavimus verba. Tandem cum in Conciliis Florentino, ac Tridentino definitum sit intentionem in Ministro *requiri saltem faciendi quod facit Ecclesia*, saltem intendi debet, quod de primario facit Ecclesia, quod de primario intendit Ecclesia; hoc autem ipsum est Sacramentum; non sanctificatio suscipientis; sine qua ut Sacramentum esse potest, sic & potest intendi.

Quod de intentione Ministri Sacramenta conficientis docuere Concilia, ex ipsa Sacramentorum institutione à Christo Domino facta, satis apertè constat: Sacramentum extremæ unctionis, nonnisi orando confertur, Jacobi *cap.5. Orent super eum &c. & Oratio fidei alleviabit infirmum*: dicitur nè verè, ac propriè orare, qui nonnisi exteriùs orat, & nonnisi exteriùs orare intendit? hic ex omnium sensu hyppocrita est, ac orare fingit. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* ait Christus Joannis 20., cum Pœnitentiæ Sacramentum instituit: dicitur ne remittere peccata, qui sine animo verè absolvendi, peccata dimittere fingit? Consacrat Sacerdos, cum seriò dicit in persona Christi, *hoc est Corpus meum*; *hic est Sanguis meus*; verè nè, ac seriò Sacerdos hæc dicit in persona Christi, si de propria tantum persona hæc dicere intendat? sic verè, ac seriò baptizare non dicitur; qui non ut Minister Christi, sed propria auctoritate, ac principaliter abluere intendit: sic & in cæteris dicendum est Sacramentis. Nec satis est distinguere inter intentionem, serietatem, fictionem, irrisionem internam, & externam: Nam defectus intentionis, ac serietatis, sive internus sit, sive externus; externa sit, vel interna fictio, irrisio, jocus; semper verum est, Ministrum interius nolle conficere Sacramentum à Christo Domino institutum, sed tantùm illud simulare velle, ac fingere: compertum enim omnibus est, quod fictionis, ac irrisionis declaratio, & manifestatio non addit actioni specialem defectum, sed tantum illum supponit, ac ostendit; Intentionis internæ defectus non augetur, sed manifestatione, ac ostensione declaratur: non enim infirmitas, mors, cæcitas occulta, & communiter ignorata, publicata crescit. Et sanè quis unquam verè illum orare dicit, qui solum exteriùs, & apparenter intendit orare? illum verè absolvere, qui solùm exterius, & apparenter intendit peccata dimittere? illum non fictè, sed verè conficere Corpus Christi, qui consecrationis verba enunciando, *hoc est Corpus meum*, personam Christi tantum exteriùs, apparenter, ac simulatè repræsentare intendit? Qui Ministerium Christi solum exteriùs, apparenter, ac simulatè gerere intendit; certè numquam Sacramenta conficiet.

Dices, valet sententia Judicis, quamvis interiùs vellet ipse oppositum; aliàs nullum judicium in humanis certum esse posset: Sacramentalis ergo absolutio valet; quamvis confessarius mentalem non habeat intentionem absolvendi; cum absolutio actus sit judicialis: idem ergo de cæteris Sacramentis dicendum. Contra, Achillea hæc est juniorum instantia; sed quæ uno sibilo, nemine impellente cadit; ab illis peto, an valida sit allata Judicis sen-

ten-

tentia? si negent, illos sua torquet instantia: si verò affirment, nihil ad rem nostram: ignorant ne inter sententiam judicialem forensem, & Sacramentale judicium, inter forum contentiosum, & Sacramentorum administrationem, patentem esse disparitatem? publicam tranquillitatem, communitatis pacem respicit unum; singulorum animas respicit alterum; unum ab hominibus est, quos interna hominum latent; ab Auctore Sacramentorum omnium alterum est, cui & notissimæ sunt cogitationes hominum; *homo videt ea, quæ patent, Deus autem intuetur cor; primo Regum, 16.*: quid ergo facilius, quod Sacramentale judicium, secus autem contentiosum, ac forense ab interna Judicis voluntate pendere debeat? siquidem unum interna hominis curat; cum pro animarum sanctificatione instituta sint Sacramenta; alterum verò publicæ hominum tranquillitati consulit.

Replicabis, maxima turbatio esset animarum, si Sacramentale judicium ab interna penderet intentione Ministri; cum interna hominis intentio non sit hominibus nota: tum quia Sacerdos, cum absolvit, agit ut Ecclesiæ Minister; de internis autem non judicat Ecclesia. Contra, nulla esset in casu turbatio animarum; cum externa visa seria intentione Ministri, prudentissimè intentio præsumatur interna; dolus enim non præsumitur nisi evidentia doli signa appareant, ut ait Angelicus Doctor *in supplemento 3. partis qu.45. artic.4. ad 2.* De internis non judicat Ecclesia; verum est, si de foro externo, & contentioso loquaris; cum nemo sit publica excommunicatione ligatus, nemo ab officio publicè suspensus, nemo a beneficio depositus, nisi de commisso crimine constet: At iniquissimum dicis, si de conscientia, ac de foro loquaris interno; cum in eo de peccatis, fide, religione certissimè judicet Ecclesia; adeoque de mentali, ac interna intentione Ministri in conficiendis Sacramentis certissimè judicat.

Tandem externæ seriæ intentionis insufficientiam ratio ipsa suadet; siquidem externus Sacramentorum ritus est ad plura indifferens; cum adhiberi possit, vel naturaliter, physicè, materialiter, & potestate principali, vel moraliter, Sacramentaliter, ut signum gratiæ effectivum, ac potestate ministeriali: ut ergo secundo modo habeatur, determinandus est, & quidem ab ipsa intentione Ministri. Nec illa sufficit determinatio, quæ ab externis circumstantiis resultat; ut ex: gr: si omnes circumstantes infantem eo ritu baptizari credant: Non, inquam, sufficit; cum illius tantum sit ad formam Sacramentalem verba determinare; cujus est conficere Sacramentum; ut enim in baptismo solius baptizantis est abluere infantem, & verba proferre *Ego te baptizo &c.*; sic solius baptizantis est, hæc omnia ad Sacramentalem determinare significationem. Ratio hæc est potissima, qua utitur Angelicus Doctor *cit. qu. 64. artic.* 8 ad probandum internam, ac mentalem intentionem necessariam esse in Ministro conficiendi Sacramentum; *& ideò oportet quod determinetur ad unum, idest ad Sacramentalem effectum* (seu ad Sacramentalem significationem) *per intentionem abluentis*. Et quidem externam omnem circumstantiarum determinationem sola vincit intentio Ministri; si circumstantes omnes ablutionem illam prophanam esse putent, (ut in baptismo collato apud Infideles contingit, qui nihil unquam de Sacramentis audiere), sacram esse, & non prophanam sola facit

intentio Ministri: sic & pari modo, si circumstantes omnes ablutionem sacram esse credant, sola intentio Ministri prophanam esse facit; ut optimè contra Jueninum arguit Henno.

S. Athanasius, cum puer esset, inter ludendum in littore maris, socios suos pueros baptizavit; ac ratum habuit baptismum Alexandrinus Episcopus; apud Rufinum *lib.1.Historiæ cap.14.*, Socratem *lib.1.cap.15.*, Sozomenum *lib.1. cap. 17.* Sanctus Genesius in theatro baptizatus fuit à Mimo; cujus baptismum probavit Ecclesia, apud Adonem in suo Martyrologio ad diem 25. Augusti. Judæi quoque baptismus probatus est, qui à sociis in littore maris ludentibus baptizatus erat, apud Nicephorum *lib.3. Historiæ cap. ult.* Unde rata hæc baptismata fuerunt, nisi ex mentali, ac interna intentione baptizantis? Nec dicas, verum hoc esse, sed quando ritus externus per externas circumstantias determinatus non erat. Oppositum fuit ostensum; siquidem contra omnem externam circumstantiarum determinationem efficacissima est mentalis intentio Ministri; alias nec facere posset sacram esse ablutionem, cum circumstantes putant illam esse prophanam.

Dices, Medicina sanat applicata, etiamsi Medicus per illam sanare nollet infirmum; sigillum veram facit impressionem, etsi ab Impressore applicatum, cui nulla sit voluntas imprimendi: adeoque & Sacramenti Minister, si omnem externum Ecclesiæ ritum in Sacramentis conficiendis adhibeat, etiamsi conficere nolit in mente sua, verè conficit Sacramentum. Item qui vult ritum externum, quem cognoscit elevatum à Christo ad rationem Sacramenti, jam velit, nolit, Sacramentum conficere intendit.

At quam miserè Oppositores his utantur exemplis, quis non videt? Medicina sanat, etiam mimicè, & per jocum applicata; etiam irrisoriè, ac jocosè applicatum sigillum veram facit impressionem: inferri nè valet? ergo si abluat Minister infantem, proferens baptismi formam, verè baptizat, verum conficit Sacramentum, quamvis jocosè, irrisoriè, ac mimicè tales adhibeat Ecclesiæ ritus? Medicina sanat applicata, etsi Medicus publicè protestetur, se nolle sanare infirmum: sigillum veram facit impressionem, etsi coram omnibus eam facere nolle, dicat Impressor: idem ergo dicendum de Ministro Sacramentorum? à corde christiano hæc dicere absit. Quam ergo disparitatem ex divina institutione, ac definitionibus Conciliorum Juniores assignant; & nos pro communissima Theologorum sententia, ac pro tuenda internæ intentionis necessitate damus. Additum falsum est; quid enim si quis diceret? volens ablutionem, quam cognoscit elevatam à Christo ad rationem Sacramenti, velit, nolit, Sacramentum conficere intendit, quamvis mimicè, irrisoriè, & per jocum illam faciat ablutionem: nonnè falsum hoc esse, respondent? Ratio utriusque responsionis est; quia illa tantùm ablutio, ille ritus externus est à Christo elevatus ad rationem Sacramenti, qui ad finem ponitur faciendi Sacramentum: adeoque Sacramentum conficere nolens, nullum facit, quamvis ritum externum ponat, quem cognoscit elevatum esse à Christo ad rationem Sacramenti.

Quibus ritè discussis, quæ sint Adversariorum objecta videamus. Dicunt primo, Sanctus Augustinus *lib.7.* contra Donatistas *cap. 53.* baptismum probat etiam fallaciter collatum; per hæc verba ,, (solet enim quæri utrum appro-

„ approbandum sit baptisma, quod ab eo qui non accepit, accipitur, si for-
„ tè hoc curiositate aliqua didicit quemadmodum dandum sit; & utrum nihil
„ intersit, quo animo accipiat ille, cui datur, cum simulatione, aut sine si-
„ mulatione: si cum simulatione, utrum fallens, sicut in Ecclesia, vel in ea
„ quæ putatur Ecclesia, an jocans, sicut in Mimo; & quid sit sceleratius, in
„ Ecclesia fallaciter accipere an in hæresi, vel schismate sine fallacia, id est, ani-
„ mo non simulato; & utrum in hæresi fallaciter, an in Mimo cum fide si quis-
„ quam inter agendum repentina pietate moveatur. Quamquam talem si etiam
„ illi conferamus qui in ipsa Catholica fallaciter accipit; mirum si dubitatur
„ quis cui præferendus sit: quid enim prosit animus veraciter dantis fallaciter
„ accipienti, non video: sed arbitremur aliquem etiam fallaciter dantem,
„ cum & tradens, & accipiens fallaciter agant in ipsa unitate Catholica, utrum
„ hoc magis baptisma sic acceptandum, an illud quod in Mimo datur; (Mi-
„ mus hic pro ludo usurpatur, ita ut sensus sit, quod in ludo datur) si quis
„ existat, qui fideliter subito commotus accipiat: an quantum ad ipsos quidem
„ attinet homines, plurimum distet inter credentem in Mimo, & irridentem
„ in Ecclesia; ad ipsius autem Sacramenti integritatem nihil intersit. Si enim
„ nihil interest ad integritatem Sacramenti in ipsa Catholica, utrum id aliqui
„ fallaciter, an veraciter agant, cum tamen hoc idem utrique agant: cur ex-
„ tra intersit, non video; quando ille qui accipit, non simulatione palliatus,
„ sed Religione mutatus est. An plus valent ad confirmandum Sacramentum
„ illi veraces inter quos agitur, quam ad frustrandum illi fallaces à quibus agi-
„ tur, & in quibus agitur? Et tamen si postea prodatur, nemo repetit, sed
„ aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pænitendo sanatur.
„ Sed nobis tutum est, in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ,
„ quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cæpta, nullo plenario terminata
„ sunt: id autem fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini
„ Dei nostri, & Salvatoris Jesu Christi, universalis Ecclesiæ consensione ro-
„ boratum est. Verumtamen si quis forte me in eo Concilio constitutum, ubi
„ talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus talibus, quorum senten-
„ tias sequi mallem, urgeret ut dicerem quod ipse sentirem: si eo modo affe-
„ ctus essem, quo eram cum ista dictarem, nequaquam dubitarem habere eos
„ baptismum, qui ubicumque, & à quibuscumque illud verbis Evangelicis
„ consecratum, sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent, quam-
„ quam eis ad salutem spiritualem non prodesset, si charitate caruissent, qua
„ Catholicæ insererentur Ecclesiæ .... sicut jam præteritis majorum statu-
„ tis, non dubito etiam illos habere baptismum, qui quamvis fallaciter id ac-
„ cipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis,
„ in quorum societate id accipitur .... ubi autem neque societas ulla esset
„ ita credentium, neque ille, qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum lu-
„ dicrè, & mimicè, & joculariter ageretur, utrum approbandus esset baptis-
„ mus, qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum,
„ concordi oratione, & impensis supplici devotione gemitibus implorandum es-
„ se censerem; ita sanè ut post me dicturos sententias, ne quid jam explora-
„ tum, & cognitum afferrent, humiliter expectarem: quanto magis ergo
„ nunc sine præjudicio diligentioris inquisitionis, vel majoris auctoritatis,

,, illud dixisse accipiendus sum) : ubi clarissimè baptismum sive fallaciter da-
,, tum ,, sive fallaciter susceptum, probatum vides : Non ergo in conficiendis Sacramentis interna, seu mentalis requiritur intentio Ministri, faciendi quod facit Ecclesia.

At nulla ex parte tenet argumentum ex Augustino desumptum ; & quidem primo, nonnè Catholici omnes idipsum solvere debent S. Doctoris objectum ? nè dicamus in admittendo baptismo mimicè collato vel non errasse Lutherum, vel errasse cum illo Augustinum ? Siquidem in illis verbis ,, (sed
,, arbitremur aliquem etiam fallaciter dantem, cum & tradens, & accipiens
,, fallaciter agant in ipsa unitate Catholica, utrum hoc magis baptisma sic
,, acceptandum, an illud quod in Mimo datur si quis existat, qui fideliter subi-
,, tò commotus accipiat : an quantum ad ipsos quidem attinet homines, plu-
,, rimum distet inter credentem in Mimo, & irridentem in Ecclesia : ad ipsius
,, autem Sacramenti integritatem nihil intersit. Si enim nihil interest ad inte-
,, gritatem Sacramenti in ipsa Catholica, utrum id aliqui fallaciter, an vera-
,, citer agant, cum tamen hoc idem utrique agant ; cur extra intersit, non vi-
,, deo ; quando ille qui accipit, non simulatione palliatus, sed Religione mu-
,, tatus est.) Sic ratiocinatur Augustinus ; si primus baptismus fallaciter in Ecclesia collatus, validus est ; cur secundus in ludo alicui repente converso datus, validus non erit ?

Secundo, cum de baptismo fallaciter collato, non assertivè, sed narrativè solum loquatur Augustinus; ut verba illa demonstrant ,, (sed nobis tu-
,, tum non est, in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in
,, Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt : id au-
,, tem fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, &
,, Salvatoris Jesu Christi, universalis Ecclesiæ consensione roboratum est) cum etiam de baptismo dubitet ex utraque parte, nempè dantis, ac suscipientis, mimicè collato, in illis verbis ,, (ubi autem neque societas ulla esset ita cre-
,, dentium, neque ille, qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicrè,
,, & mimicè, & jocolariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus qui
,, sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, concordi
,, oratione, ex impensis supplici devotione gemititibus implorandum esse cense-
,, rem ita sanè ut post me dicturos sententias, ne quid jam exploratum, & co-
,, gnitum afferrent, humiliter expectarem : quanto magis ergo nunc sine præ-
,, judicio diligentioris inquisitionis, vel majoris auctoritatis, illud dixisse ac-
,, cipiendus sum). Quæ autem à Contensonio, Anonymo, ac Serrio sunt opposita ; ab ipsis sunt primo solvenda.

Tertio, assertivè loquatur Augustinus, quid inde ? de fallacia loquitur in fide, seu ad simulandam fidem ordinata ; quæ debitam intentionem Ministri minimè tollit : de fallacia in fide sermonem ibi esse, negat Anonymus; sed quam immeritò ipse controversiæ status ostendit inter Donatistas, & Sanctum Augustinum, contendebant illi nullum esse baptismum sine fide collatum ; validum esse propugnabat Augustinus ; Item fallacia detecta, iterandum non esse baptismum, docet Augustinus ,, (si postea prodatur, nemo
,, reperit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sa-
,, natur) in suscipiendo baptizatos ab hæreticis, certissimè hæc erat Ecclesiæ

pra-

praxis; sed inauditum semper hoc fuit de baptizatis sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia: Item de fallacia loquitur, de qua jam statuere majores, cum addat „(præteritis majorum statutis, non dubito etiam illos ha-„ bere baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen acci-„ piunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur) de baptismo suscipiendo ab hæreticis collato, certum est plura statuisse majores; at de baptismo sine debita intentione collato, quænam assignari possunt decreta majorum? de baptismo dato in Ecclesia Catholica loquitur Augustinus, verum est; sed qui ab eo datur, qui non verè, sed fallaciter est in Ecclesia „(an plus valent, (ait ipse) ad confirmandum Sacramen-„ tum illi veraces inter quos agitur, quam ad frustrandum illi fallaces, à qui-„ bus agitur, & in quibus agitur?) Nec dicas, de illa fallacia loquitur Augustinus, quæ in hæreticorum societate, nonnisi inter dantem, ac suscipientem habetur „(non dubito (inquit) etiam illos habere baptismum, qui „ quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi puta-„ tur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur). Contra, non quoscunque hæreticos fallaces vocat Augustinus, sed eos solùm, qui simulant, quam non habent, Sacramentorum fidem; ut si quis à Ministro, qui occultè non credat baptismi Sacramentum, baptizetur.

Quarto, de Catholico etiam Ministro intelligi potest Augustinus, & in oppositum nil Serrius obtinet: nonnè idipsum controversiæ status ostendit inter S. Augustinum, ac Donatistas? Improbos omnes à valido Sacramentorum Ministerio rejiciebant isti; quod primo ad occultos etiam peccatores extendebant, ex Augustino *lib.* 2. contra Cresconium Donatistam *cap.* 28., deinde verò de solis hoc volebant publicis peccatoribus, ex eodem Augustino *lib.* 2. contra Epistolam Parmeniani *cap.* 13. Sacramenta à malis collata Ministris valere propugnabat ex adverso Augustinus „(quid sit sceleratius „ (ajebat) in Ecclesia fallaciter accipere, an in hæresi, vel schismate sine fal-„ lacia, idest, animo non simulato; & utrum in hæresi fallaciter, an in Mi-„ mo cum fide, si quisquam inter agendum repentina pietate moveatur) Et *tract.* 5. in Joannem „(non timeo adulterum, non ebriosum, non homici-„ dam; quia columbam attendo per quam mihi dicitur, hic est qui baptizat.) sicque illorum baptisma probat Augustinus, quamvis probitatem, ac sanctitatem in baptizando simulassent; de hac ergo simulatione, ac fallacia intelligendus.

Quinto, omittamus Anonymo, non de fide, vel probitate fallaci, sed de simulata intentione Ministri, locutum esse Augustinum, nil officit, cum certissimè de intentione intelligendus esset, non quæ sit ad substantiam Sacramenti, seu faciendi quod facit Ecclesia, sed quæ sit ad Sacramenti effectum, ac finem; ut si quis baptizare vellet, hominem sanctificare nolens baptizatum: de illo quidem baptismo sine debita intentione dato, vel suscepto, loquitur Augustinus, quem Ecclesia tunc suscipere consuebat; & suscipiendum esse, jam statuere majores: certum est autem, baptismum datum, vel susceptum sine intentione faciendi quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, nunquam admissum ab Ecclesia fuisse; nec admittendum esse, unquam statuisse majores: siquidem hujusmodi Ecclesiæ praxis, antiqua hæc statuta majorum

nullo

nullo in Sacra Historia antiquo possunt comprobari monumento.

Sexto contra Serrium, ejusque Sectatorem Anonymum factum retorquetur objectum. „(Verumtamen (ait Augustinus) si quis fortè me in eo „ Concilio constitutum, ubi talium rerum quæstio versaretur non præcedentibus talibus, quorum sententias sequi mallem urgeret, ut dicerem quod ipse „ sentirem: si eo modo affectus essem, quo eram cum ista dictarem, nequaquam dubitarem habere eos baptismum, qui ubicumque, & à quibuscumque illud verbis Evangelicis consecratum, sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent: quamquam eis ad salutem spiritualem non prodesset, si „ charitate caruissent, qua Catholicæ insererentur Ecclesiæ). Requirit ergo ad baptismi valorem Augustinus Evangelica verba, *Baptizo te &c.* non quidem materialiter prolata, sed formaliter ad Sacramentum, omni simulatione seclusa, & cum aliqua fide conficiendum, *sine ulla sua simulatione, & cum aliqua fide*: De fide, qua quis credit, certè non loquitur Augustinus; loquitur ergo de fide, qua quis facere intendat, quod Christus instituit, quod facit Ecclesia: „(sicut jam præteritis (prosequitur Augustinus) Majorum statutis, non dubito etiam illos habere baptismum; qui „ quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur.) Requirit ergo ad baptismi valorem, quod fiat *in Ecclesia, vel ubi putatur esse Ecclesia*: non loquitur hic de fide Augustinus, loquitur ergo de intentione faciendi in Sacramentorum administratione, quod vera, vel putativa Christi Ecclesia facit.

Nec dicas, simulationem excludit, non quidem internam, sed externam. Contra, valet ex Augustino baptismus in ludo collatus, si Mimus suscepto baptismo, subito *sit Religione mutatus*; In hoc autem baptismo certè habetur simulatio externa; solam ergo mentalem, ac internam simulationem excludit: Item in baptismo ex utraque parte mimicè collato, externa simulatio certissimè habetur; de hujus tamen baptismi nullitate certus non est Augustinus; non igitur externam, sed mentalem, atque internam rejicit ibi simulationem. Nec dicas, saltem dubitabit Augustinus de baptismo cum interna simulatione dato: cum etiam de baptismo dubitat ex utraque parte mimicè collato. Contra est, certum fuisse Augustinum de internæ intentionis necessitate ad valorem baptismi, sive dandi, sive suscipiendi (illa nunc omittendo, quæ in Adversarios ad hominem dicta fuere) satis verba illa demonstrant, *sine simulatione, & cum aliqua fide*: de valore baptismi ex utraque parte mimicè collati dubitat; quia tunc quæsit interna, ac mentalis intentio Ministri ignoratur; non sciri potest, nisi (ait Augustinus) *per alicujus revelationis oraculum*; non dubitat è contra de baptismo in ludo suscepto, si *Mimus subito fuerit religione mutatus*; cum seriam fuisse in Mimo internam intentionem suscipiendi baptismum, ipse tunc probaret eventus. Quo eodem modo S. Doctor intelligendus est, cum ait *lib.3.* contra Cresconium *cap. 8. de Ministro Sacramentorum curandum non esse, qua mente operetur, qua laboret intentione*: siquidem de fide loquitur, vel de probitate Ministri; vel de sola intentione effectus; vel (ut visum est) de externa, secus autem de mentali, ac interna intentione Ministri: Cum

verò

verò ait *tract.5.* in Joannem, validum esse baptismum, etiam ab adultero; vel *Ebrioso* collatum; non de Ebrio id asserit, cui usus nullus est rationis; sed de Ebrioso, qui videlicet inebriari solet; hic autem usum rationis habet, ac intentionem habere potest in baptizando, faciendi quod facit Ecclesia, non minus ac adulter, aliique sceleſtiſſimi homines habent. Non dissimili modo sunt cæteri Patres explicandi, cum pari modo loquuntur: sicque intelligendus est S. Joannes Chrisostomus *homil.85.* in Joannem, cum ait, *Sacerdos linguam, & manus præbet; neque enim justum propter alterius malitiam ad salutem nostram accedentes offendi*; de malitia loquitur quoad fidem, ac mores; secus autem quoad Sacramentorum substantiam vitiandam; certè nullum esset Sacramentum, si Sacerdos casu, vel malitia Sacramenti formam in essentialibus mutilaret; nec enim omnes Sacramentorum formæ alta voce dicuntur: Sacerdos igitur *linguam, & manus præbet*, non utcumque, sed secundum institutionem Christi, ac debito modo illas applicando; alias etiam externa excluderetur intentio.

Dicunt secundo, D.Thomas pluribus in locis expressè docet oppositum, præsertim 3. *par. qu.64. art.* 8. *ad secundum*, his verbis „(Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est Minister; in verbis autem „ quæ proferantur exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem „ Sacramenti, nisi contrarium exprimatur ex parte Ministri, vel recipientis „ Sacramentum): Et *in 4.sentent.dist.6.qu.1.artic.2.* „(in baptismo & in aliis „ Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur menta„ lis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta; „ & ideo si forma servatur, nec exterius aliquid dicitur, quod intentionem „ contrariam exprimat, baptizatus est) quid clarius?

Contra est primo, Oppositores ipsi per allatas D. Thomæ urgentur auctoritates, siquidem ex D. Thoma Minister Sacramenti non conficit Sacramentum, nisi agat *in persona totius Ecclesiæ, cujus est Minister*; non conficit, nisi agat, *ut Minister Ecclesiæ*, non ergo conficit, nisi agere velit *in persona totius Ecclesiæ, & ut Minister Ecclesiæ*; non enim agit nisi humano modo, & agere volendo: en ergo mentalis intentio (sine qua non conficitur Sacramentum) faciendi quod facit Ecclesia, quod Christus instituit, nempè Sacramentum; & quidem Angelicus Doctor illam in responsione propugnat intentionem, quæ negabatur in objecto, ut clarum est; in hoc autem sola mentalis negabatur intentio, quia cum non sit nobis nota, anxietatem in suscipiente pareret de valore Sacramenti; *non potest* (dicit objectum) *homini esse nota intentio alterius*; mentalem ergo intentionem requirit Angelicus Doctor, sine qua non perficitur Sacramentum; & quæ satis *exprimitur in verbis; quæ proferuntur*, seu per Ecclesiæ formam, quam Christus instituit; & quæ satis est mentalis illius *intentionis expressio*, nec enim aliter exprimenda est illa mentalis intentio, quam *per verba ab Ecclesia instituta*; hinc *non requiritur mentalis intentio* aliis expressa verbis, quam per illa, quibus utitur Ecclesia; & quæ in Sacramentorum formis habentur.

Secundo directè, & loquitur Angelicus Doctor in allatis auctoritatibus de intentione Ministri, ut nobis nota, & per quam suscipiens certus sit moraliter de valida susceptione Sacramenti, admitto; de intentione loquitur men-

mentali in se, & absolutè, nego: Clarissimus est D. Thomæ sensus, si ad objectum, cui respondet, attendas: erat autem ejusmodi: „ (*Non* potest „ homini esse nota intentio alterius: si igitur intentio Ministri requiratur ad „ perfectionem Sacramenti, non posset homini ad Sacramentum accedenti, „ esse notum, quod Sacramentum suscepisset; & ita non posset habere certi- „ tudinem salutis; præcipuè cum quædam Sacramenta sint de necessitate salu- „ tis) cui respondet Angelicus Doctor, ad hanc moralem salutis certitudinem à suscipiente habendam, non aliam requiri notitiam, quam ipsa *intentionis expressio à Ministro facta per verba ab Ecclesia instituta*; cum id sufficiat ad seriam mentalem intentionem conficiendi Sacramentum prudenter in Ministro præsumendam; nisi contrariam intentionem exprimat: cum veritati præsumptio cedat: clarissima hæc sunt, nec ulla indigent explicatione.

Sed adhuc Anonymus post Serrium, Jueninum, & Contensonium obstrepat, ostenditque sex oppositis argumentis, cum ipso D. Thoma communem hanc nostram pugnare solutionem, & quidem primo, cum ipso pugnat articuli titulo, ubi quæritur, *utrum Ministri intentio requiratur ad Sacramenti perfectionem*, secus autem de securitate suscipientis: Secundo cum corpore articuli pugnat, ubi expressis verbis illa sufficit intentio, *quæ exprimitur per verba, quæ in Sacramentis dicuntur*, nulla requisita interna, & mentali intentione faciendi Sacramentum: Tertio cum ipsa pugnat responsione ad objectum; hic enim agitur de valore Sacramenti, ad quem nihil facit securitas suscipientis, si etiam necessaria esset mentalis intentio; Immò ex duplici relata sententia, illa refutatur, quæ mentalem requirebat intentionem: Quarto, cum S. Thomæ proposito pugnat; scopus enim ejus est, à suscipiente Sacramentum omnem circa illius valorem repellere anxietatem; non autem repelleretur anxietas, si etiam mentalis intentio necessaria foret, de qua nunquam suscipiens certus esse poterit: Quinto cum generali S. Doctoris principio pugnat; probat enim sanctitatem Ministri non requiri ad Sacramenti valorem *in 4. sent. dist. 5. quæst. 2. art. 2.*, *quia quæ sunt de substantia Sacramenti, oportet esse certa*; idest non *ignorata*, sed in conspectu hominum posita: quid verò incertius ipsa mentali intentione Ministri? Sexto cum D. Thoma pugnat apertissimis verbis seipsum explicante; dicit enim, *non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta*.

At sophismata hæc sunt, cavillationes, ac libido rixandi, seriis in disputationibus omninò cavenda, ex Augustino *lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 31.* dicente *tantum ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium*. Ad primum, titulus est articuli, *utrum Ministri intentio requiratur ad perfectionem Sacramenti*, cui respondet Angelicus Doctor, *Sacramenta requirunt intentionem Ministri*; latè idipsum probans; ibique sermonem esse de interna, ac mentali intentione absolutè, ac secundum se, clarum est: cum statim sibi opponat suscipientis anxietatem; quæ de seria externa intentione nulla esse potest: deinde respondet objecto, ad suscipientis securitatem externam sufficere intentionem Ministri; cum per ipsum prudentissimè præsumatur interna; ut enim ipse ait

in

in supplemento 3. *par. qu.45. art. 4. ad secundum*, de matrimonio loquens (*dicendum quod si desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est matrimonium &c.; tamen probabiliter potest credi dolus non esse, nisi signa evidentia doli appareant, quia de quolibet præsumendum est bonum, nisi probetur contrarium*).

Ad secundum, in corpore articuli mentalem intentionem clarissimè requirit; siquidem illam ibi requirit intentionem, quam negat objectum: hoc autem solam mentalem negat intentionem, ut visum est: Tum quia in *cit. art.4.* mentalem consensum ideo ad valorem matrimonii necessarium esse dicit, quia commune hoc est cæteris Sacramentis. *Dicendum, ait, quod sicut se habet ablutio exterior ad baptismum; ita se habet expressio verborum ad hoc Sacramentum: unde sicut si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere Sacramentum, sed ludum, & dolum facere, non esset baptizatus: ita expressio verborum sine interiori consensu matrimonium non facit*.

Ad tertium, in responsione ad objectum duo docet Angelicus Doctor; unum est mentalis intentionis necessitas, cum hæc præcipuè negata sit per objectum: alterum est, ad tollendam suscipientis anxietatem, expressionem sufficere seriam mentalis intentionis per verba ab Ecclesia instituta (*dicendum, ait, quod circa hoc est duplex opinio; quidam enim dicunt quod requiratur mentalis intentio in Ministro, quæ si desit, non perficitur Sacramentum: sed hunc defectum, inquiunt, in pueris supplet Christus, qui interius baptizat; in adultis autem qui intendunt Sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides, & devotio*) duo prima hæc responsio statuit, unum, quod omnes tunc asserebant cum D. Thoma, nempè necessitatem mentalis intentionis; alterum peculiare, & contra communem; nempè quod Sacramento per defectum mentalis intentionis deficiente, adhuc Sacramenti haberetur effectus; idque dicebat ad tollendam suscipientis anxietatem: hoc secundum Sanctus Thomas impugnat, his verbis (*non videtur, quod per devotionem accedentis possit suppleri, quia character nunquam imprimitur, nisi per Sacramentum; & ideo alii melius dicunt, quod Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est Minister: in verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ &c.*) negat hic Angelicus Doctor per suscipientis devotionem suppleri posse baptismi Sacramentum; simulque aliam assignat rationem, per quam à suscipiente omnis tollatur anxietas.

Ad quartum, scopus ibi est Angelici Doctoris omnem tollere à suscipiente anxietatem, prudentem, ac probabilem, secus autem improbabilem, atque sophisticam; *tamen probabiliter potest credi* (ait S.Thomas *cit. artic.4.*) *dolus non esse, nisi signa evidentia doli appareant; quia de quolibet præsumendum est bonum, nisi probetur contrarium*. Ad quintum, quæ sunt de substantia Sacramenti, debent esse certa; ex D.Thoma, sed certitudine physica, vel morali, seu probabili judicio fundata; nonnè audientes Missam, quam elevat Sacerdos, hostiam adorant? esto, an Sacerdos ritè fuerit ordinatus, vel an ritè consecrata fuerit hostia, nullam phisicam habeant certitudinem: Ministri bonitatem necessariam non esse ad valorem Sa-

cramenti, benè regula illa probatur; cum passim in Sacramentis deceptiones illæ contingerent; secus de mentali intentione Ministri dicendum; cum ibi difficillima sit deceptio, & rarissimus sit casus, quo Sacerdos dolosè nullam haberi velit mentalem intentionem, neque implicitam, faciendi Sacramentum: hinc sapientissimè Angelicus Doctor, quam sibi opponit rationem contra mentalis intentionis necessitatem, ad probandum adducit necessariam non esse in Sacramentorum Ministro probitatem, agnoscens satis disparem esse inter utrumque rationem.

Ad sextum, ac ultimum, ut ad tertium responde; cum ibi eadem sit quæstio, eadem objecta, eædemque responsiones: siquidem hoc erat objectum, *intentio hominis non est alicui certa nisi sibi*; si ergo requiratur intentio ad baptismum, non erit certum de aliquo, quod sit baptizatus; cui sic respondet Angelicus Doctor: (*dicendum, quod ad hoc dupliciter secundum diversas opiniones respondetur: quidam enim dicunt quod si desit mentalis intentio in baptizante, non confert Sacramentum baptismi; tamen in adulto supplet fides, & devotio effectum baptismi &c. Alii dicunt, quod in baptismo, & in aliis Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis, per verba ab Ecclesia instituta &c.*) Nunc ab Anonymo singulis quoque verbis evidentiam eructante, peto; quam intentionem ad Sacramenti valorem necessariam esse, neget objectum? certè mentalem, atque internam, ut in illis verbis, clarum est, *intentio hominis non est alicui certa, nisi sibi*, hanc ergo intentionem internam atque mentalem pro viribus Angelicus Doctor, sive in probationibus, sive in responsionibus propugnat; quam ergo mentalem intentionem verbis illis excludit, *non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta*? certè non aliam, quam supplebilem quoad effectum baptismi per suscipientis devotionem, atque fidem; in prima responsione ab aliquibus assertam; *Non videtur* (ait S. Thomas *cit. artic.* 8. ad responsionem hanc improbandam) *quod per devotionem accedentis possit suppleri, quia character nunquam imprimitur nisi per Sacramentum*: Ad quid ergo *sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia statuta*? jam visum est, ad suscipientis securitatem, non quidem physicam, sed moralem; cum per illam exterius serio factam, prudentissimè præsumatur interna; non minus ac si exterius esset mille juramentis expressa.

Dicunt tertio ex Auctoribus, Catharinus in opusculo de intentione Ministri dubium proponit „ (ponamus Ministrum omnia exterius facere, quæ
„ jubet Ecclesia; intus autem aliud servare in animo, itaut intendat derisorie
„ baptizare) hisque verbis resolvit (non alia intentio Ministri requiritur,
„ nisi ut intendat exterius facere, quod facit Ecclesia; quamvis ipse neque
„ credat esse Ecclesiam, neque ullum baptismi spiritualem effectum; sed satis est, ut intendat facere quod Ecclesia jubet per Ministros fieri; namque
„ quod illa per Ministros facit, ipsa facere intelligitur: Quid ergo facit Ec-
„ clesia per Ministros baptizando? nisi quod legitima utitur materia, adhi-
„ bens suam verborum formam: hoc igitur si facit Minister, profecto illud facere intendit, si sit mente sanus) Catharinus autem Concilio Tridentino interfuit.

Con-

Contra est, dissentire non videtur à communi Theologorum sententia Catharinus, quamvis oppositæ sententiæ patronus sit vulgo putatus: intentionis necessitatem excludit baptizandi formalis, ac explicitæ, secus autem implicitæ, & in confuso; necessariam non esse dicit intentionem, quæ sit de Sacramentorum fide, vel effectu; secus quæ foret de substantia, & valore Sacramenti: me ad hoc dicendum verba illa movent; *Non alia intentio Ministri requiritur, nisi ut intendat exterius facere quod facit Ecclesia; quamvis ipse neque credat esse Ecclesiam; neque ullum baptismi spiritualem effectum*: quæ & Ecclesiæ fidem, & baptismi designant effectum; requirit è contra intentionem faciendi, quod facit, ac facere jubet Ecclesia; *sed satis est, ut intendat facere, quod Ecclesia jubet per Ministros fieri; namque quod illa per Ministros facit, ipsa facere intelligitur*: quid Ecclesia facit, quid facere jubet Ecclesia? nisi baptizare, ac baptismi conficere Sacramentum: *quid ergo facit Ecclesia baptizando, nisi quod legitima utitur materia, adhibens suam verborum formam*: baptizat Ecclesia, debitam materiam, ac formam exterius adhibendo, non enim Sacramenta, nisi per externa signa conficiuntur; hoc ipsum ergo ab Ecclesiæ Ministris debet intendi, *ut intendat exterius facere, quod facit Ecclesia*; *satis est, ut intendat facere quod Ecclesia jubet*. Hinc & pro communi sententia stare Catharinum, doctissimi Recentiores sentiunt Tournely, Adnotator Natalis, Torellus, aliique plures, quos prævivit Vasquius *in 3. part.* D. Thomæ *disp.* 138. *cap.*2., hoc ipsum de Catharino sentiunt Novatores, quamvis illum ad se trahere multum interesset ipsorum: ingenuè hoc fatetur Marcus Antonius de Dominis *lib.*5. *de Republica Ecclesiastica cap.*12. *num.*13., *Eum* (ait de Catharino) *requirere intentionem faciendi actum externum, ut sacrum, & non ut simpliciter prophanum*: *Ego tamen* (addit) *nè in hoc quidem intentionem Ministri video necessariam*: & quidem incredibile puto, Catharinum, qui Sacro Concilio Tridentino summo interfuit applausu, contra Tridentini mentem, ac definitionem sentire voluisse; eo vel maxime quod ejus opusculum sub oculis Patrum Tridentinorum, nullo reclamante, nullo contradicente, editum fuit, atque vulgatum.

Dices, Salmeronus, qui etiam Concilio Tridentino interfuit, sentit oppositum in Commentario ad Epistolam ad Romanos 3. *part. disp.* 2., dicens, nullam habendam esse rationem de privata intentione Ministri, *qui aut nihil credit eorum quæ facit, aut derisoriè facit, aut contrariam habet intentionem non conferendi Sacramenta, aut eorum effectus*; dummodo pravam illam intentionem exterius non manifestet, *modo exterius non protestetur, se nolle illud administrare, vel aliquid addat, quod vitiet formam*.

Contra est, in octava ratione, quam pro suo adducit asserto, satis se ipsum explicat Salmeronus; cum dicit, *si ad essentiam Sacramenti facit Ministri intentio quomodo aut hæreticus, aut Judæus, aut Paganus validum, & verum baptismi Sacramentum ministrare possunt? Nam illorum permulti aut baptismum, aut ejus effectum pernegant*; idemque nona ratio tradit: solius ergo intentionis quæ sit de Sacramentorum fide, vel effectu, vel quæ foret ad explicitam, & formalem rationem Sacramenti, necessitatem Salmeronus excludit; quæ intentiones si exterius prolatæ fuerint, merito de

intentione etiam substantiali ingerunt suspicionem : de privata intentione Ministri loquitur Salmeronus, secus vero de illa, quæ ut ab Ecclesiæ Ministro habetur, & qua deficiente nullum est Sacramentum : siquidem qui ut Ministrum Ecclesiæ se gerere intendit, sufficientem habet intentionem pro valore Sacramenti ; „ (quod si qui sint inter nostros Theologos
„ (addit doctissimus Tournely) qui Catharini, & Salmeronis mentem aliter
„ interpretentur, ac existiment satis esse ad veritatem Sacramenti, quod Mi-
„ nister seriò exterius ritum Ecclesiæ observet, tametsi interius nolit illum
„ reipsa facere, sed tantùm simulare, ac fingere, eos rejicimus, eorumque
„ sententiam ab errore Novatorum damnato vix distare arbitramur.)

Dices, Innocentius IV. *in cap. si quis puerum de baptismo* in commentariis ait, *qu.*9., valere baptismum, *licet Minister gerat in mente, non facere quod facit Ecclesia*: At contra, mala fide, ac dimidiatè citatur Innocentius, cum expressè requirens intentionem conferendi baptismi Sacramentum, statim addat, *dummodo intendat baptizare*; & *quæst.*8. dixerat, necesse esse, ut Minister velit non tantùm *balneare*, *sed baptizare*; non ergo requirit Innocentius intentionem faciendi quod facit Ecclesia, expressam, ac formalem, benè vero implicitam, & in confuso; Intentionis necessitatem excludit faciendi, quod facit Ecclesia, non quæ sit ad Sacramenti substantiam, sed ad ejus effectum; vel fidem: sicque explicandi sunt Auctores passim pari modo loquentes.

Quo eodem modo noster intelligendus est Pasqualigus *disp.*72. *de Sacramentis in genere nu.*26., cum ait „ (dicendum est, sufficere intentionem,
„ quæ moveat Ministrum ad proferenda verba supra determinatam materiam,
„ quam adhibeat simul cum ritu Ecclesiæ; & in hoc salvari intentionem fa-
„ ciendi quod facit Ecclesia, ita ut stante tali intentione, etiamsi non adesset
„ intentio Ministri non conficiendi Sacramentum, adhuc conficeret) intentionem non requirit conficiendi Sacramentum explicitam, ac formalem; benè verò implicitam, & in confuso; intentionis necessitatem excludit conficiendi Sacramentum, non quæ sit ad substantiam Sacramenti, sed ad ejus effectum, vel fidem: quod clarissimè illius verba demonstrant ibidem *num.* 24. cum ait, *non requiri expressam intentionem de effectu Sacramenti*; *sed sufficere virtualem, quæ habetur ex eo, quod Minister velit celebrare Sacramentum secundum ritum Ecclesiæ*: & *num.*22., Innocentii IV. allatam sibi opponens auctoritatem, ait, *respondetur, baptismum esse ratum, etiamsi Minister gerat in mente non facere quod facit Ecclesia, dummodo* (nota verba) *intendat baptizare, seu celebrare mysterium secundam ritum Ecclesiæ, quia hoc ipso habet sufficientem intentionem*: quo eodem modo respondet omnibus objectis *num.*29. *& sequentibus*. Hoc ipsum Pasqualigus expresserat in allata conclusione *num.* 26., cum ait, *sufficere intentionem, quæ moveat Ministrum ad proferenda verba &c. simul cum ritu Ecclesiæ*; quænam hæc est intentio? nisi quod Minister *intendat baptizare*, seu *celebrare mysterium secundum ritum Ecclesiæ*, ut ait ipse *num.* 22.; quid est intentio illa, quæ moveat? *nisi quod Minister velit celebrare Sacramentum secundum ritum Ecclesiæ*; ut ipse ait *num.*24., quænam illa est intentio quæ moveat? *nisi intentio exequendi quod est institutum à Christo*; ut ipse ait *num.*

29.,

29. ; ac passim deinde repetit in solutione objectorum, suam explicando assertionem. Fusior in dicendo de Pasqualigo fui, ac de germano illius sensu sollicitus, ne tantæ falsitatis sententiæ dicatur ille Patronus; utque omnes, quam mala fide à Contensonio, Serrio, ejusque Sectatore Anonymo pro sententia opposita fuerit ille citatus, agnoscant.

Dices, plures sunt Theologi apud eosdem, duplicem in Ministro distinguentes intentionem, primam publicam faciendi ritum Ecclesiæ, applicando materiam, & formam; quam dicunt esse de valore Sacramenti; alteram privatam intentionem Ministri, non credentis vera, quæ facit, aut facientis derisoriè interius, aut non intendentis facere Sacramentum; & hanc intentionem non obstare dicunt validitati Sacramentorum: Contra est; Plures hi Theologi non alio loquuntur sensu, quam à nobis explicato: *nec Doctores citati* (ait Illustrissimus Verde, summo ingenio, magnaque sua eruditione celeberrimus *cit. lib.2. num.311.*) *aliquod contrarium asserunt, sed propugnant veram nostram doctrinam; nam putant, quod intentio illa universalis humana faciendi quod Christus instituit secundum Ecclesiæ ritum, corrigit, ac tollit intentionem particularem oppositam, volentis irridere, nolentis Sacramentum conficere*; siquidem excludunt hanc, vel illam intentionem explicitam, & formalem; vel quæ sit ad Sacramenti effectum, vel fidem; secus vero implicitam, & in confuso; vel quæ foret ad Sacramenti substantiam, & valorem; ut de Innocentio IV., ac de nostro Pasqualigo visum est; nec enim in baptizante, vel absolvente, intentionem saltem baptizandi, vel absolvendi requisitam esse, aliquis negat, vel necessariam esse intentionem faciendi, vel exequendi secundum Ecclesiæ ritum, quod Christus instituit; quæ intentiones dummodò habeantur, cæteræ in oppositum intentiones minimè Sacramentorum valori officiunt.

Addit Anonymus, quod opposita sententia sit ab Universitatibus ferè omnibus propugnata, Parisiensi, Tolosana, Cadomensi, Taurinensi, Bononiensi, Patavina; & in his, aliisque Galliarum generalibus studiis penè sola jam obtinet; uti etiam per Italiam, probantibus S.Fidei Inquisitoribus propugnatur, defenditur, stabilitur. At falso hæc asserit Anonymus; & qua summa facilitate dicit, eadem est facilitate negandum: Universitates omnes (si paucos in illis Recentiores excipias, quibus nova potius, quam vera placent, & qui novis opinionibus abstracti, ac Juniorum plausibus illecti, quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi) nostram, communem, ac probatam omnibus sententiam defendunt, invictisque rationibus stabilire conantur. Quam vero excludunt aliquando intentionis necessitatem in Ministro Sacramentorum, & communis sententia excludit; nec enim intentio requiritur, quæ formalis sit, & explicita faciendi Sacramentum, vel quod facit Ecclesia; cum sufficiat, si implicita sit, & in confuso; nec ulla, ut visum est, ad Sacramenti effectum, vel finem requiritur intentio; cum non sint de substantia Sacramenti.

Dicunt quarto, antiqui Patres probasse videntur baptismum à ministro collatum, qui suam intentionem interiùs retinuit; Primo, quia de tali baptismo nunquam statuerunt esse absolutè, vel sub conditione iterandum; Secundo, quia mandarunt diligenter inquirendum esse, an sub expressa invoca-

vocatione Sanctissimæ Trinitatis collatus esset baptismus, sed de interna intentione ministri nihil omninò curarunt; Tertio, quia baptismum ab Atheis collatum validum esse judicarunt, quamvis Athei nullam habeant intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; cum & Christi Ecclesiam, & Deum esse negent. Item Concilium Tridentinum nusquam mandavit, iterandum esse baptismum a Lutheranis collatum; & quid facilius, quod Lutherani sine interna intentione baptizent.

Contra est, antiquos Patres non curasse de baptismo etiam exterius non seriò collato, facillimè eadem probari posset instantia; dici enim posset nec de tali baptismo aliquid statuisse; nec ullam faciendam esse inquisitionem mandasse, estò de forma baptismi sub expressa invocatione Sanctissimæ Trinitatis collati, inquirendum esse mandaverint &c.: dicendum ergo, nullum esse baptismum non seriò collatum, & consequenter interna intentione deficiente, certum antiquis fuisse Patribus, & quidem ex ipsa, ut ostendimus, Sacramentorum institutione: de tali baptismo neque sub conditione iterando nihil statuere Patres, uti & nulla decreta fuit inquisitio facienda; cum de baptizantibus sine debita interna, vel externa intentione, ad illos nulla delata fuerat accusatio, delata tamen fuerat de baptizantibus viciata forma baptismi; uti videre est apud S. Irenæum *lib.* 1. *cap.* 21., aliàs 18., & S. Epiphanium *hæresi* 37. de Gnosticis Marcitis; & de alio quodam hæretico apud S. Dionysium Alexandrinum in epistola ad Sixtum R. P. ab Eusebio relata *lib.* 7. *Hist. Eccl. cap.*9. Ab Atheis collatum baptismum probant; cum illi saltem quod baptizandus petit, ut visum est, dare intendant. Collatum à Lutheranis baptismum, Tridentinum, neque sub conditione iterandum esse mandavit; quod ut non probat baptismum minimè colatum, sic neque baptismum sine debita intentione mentali datum, validum evincit.

Dicunt quinto nostra sententia admissa gravissima sequerentur incommoda; Primo, salus nostra à ministrorum bonitate penderet; Secundo, ad quid antiqua Ecclesia statim à suscepto baptismo decedentes infantes tantoperè considerasset? Siquidem dubium esse poterat illorum baptisma, cujus valor ab interna pendebat intentione ministri: Tertio, visibilitas Ecclesiæ, ejusque indefectibilitas contra Hæreticos demonstrari non posset; cum de consecratione ministrorum, ac fidelium baptismo, sine quibus stare nequit Ecclesia, nihil certi haberetur.

At ab ipsis solvendum est argumentum, si opponatur illis instantia de forma baptismi; certè nullum est baptisma, quocunque modo sit ejus forma in essentialibus vitiata: quid ergo dicendum? si dicat Sacerdos, cum submissa voce absolvit, *ego non te absolvo*: quid? si Parochus dum baptizat infantes, dicat intra dentes *non baptizo te*, vel *dogmatizo te*: quid enim facilius in pagis, in quibus simplicitas, & ignorantia vigent? nonnè sic à probitate ministri salus nostra penderet; infantium salus statim à baptismo decedentium certa non esset; uti nec ministrorum consecratio, quæ sine baptismo valida esse nequit? de visibilitate Ecclesiæ, ejusque indefectibilitate actum jam esset? quam dabunt responsionem, ad solutionem objectorum libentissimè adoptamus. Ad primum ergo, salus nostra à ministri

pro-

probitate penderet, sed ea solùm, quæ Sacramentorum essentialia respicit, qualis etiam est interna, ac mentalis intentio ministri: Ad secundum, infantes statim à suscepto baptismo decedentes, vel in genere, vel in particulari considerari possunt; si primo modo, certissima est, atque de fide; salus illorum; cum de fide sit, omnes parvulos salvos esse, qui post baptismum ritè susceptum decedunt; uti de fide est, quod omnis hostia ritè consecrata, contineat Corpus Christi, sitque adoranda: Si secundo modo considerentur; uti moraliter certi sumus de illorum baptismo, ex probatis; sic & de æterna illorum salute moraliter certi sumus; hanc, vel illam hostiam per Sacerdotem elevatam adoramus, cum moraliter certi simus, nihil fuisse de essentialibus omissum. Ad tertium, veram Ecclesiam perpetuam esse, ac visibilem, Hæreticis scripturæ, Concilia, Patres, Ethnicis verò credibilitatis signa demonstrant; idemque de Romana Ecclesia dicendum: non per baptismum, vel ministrorum consecrationem demonstratur Ecclesia; sed per Ecclesiam baptismus, & ministrorum consecratio demonstratur: Cum sit de fide Ecclesiam Romanam visibilem esse, nec deficere posse; certum est quoque de fide, verum baptisma, veramque ministrorum consecrationem, sine quibus non consistit vera Christi Ecclesia, deficere non posse: de particularibus verò Ecclesiis non est, nisi moraliter certum.

Dicunt sexto, *Genesis* 27. Isaac benedixit Jacob, cum primogenitum suum Esau benedicere intendebat; & tamen valida illa fuit benedictio: *Exodi* 4. Sephora sponsa Moysis filium suum circumcidit invita, & Circumcisio valuit: *Esther* 6., Mardochæum verè honoravit Aman, cum dicebat, *sic honorabitur, quem Rex honorare voluerit*; estò reluctaret interiùs; idem ergo dicendum de Ministro Sacramentorum, cui mentalis intentio deficeret. Item positis partibus essentialibus rei cum debita illarum unione, quocunque alio sublato, res habetur; cum ergo materia, & forma partes sint essentiales Sacramenti, illis positis cum morali ipsarum unione, quocunque alio sublato, etiam intentione mentali, habetur Sacramentum. Item Petrus Lavardinus in Gallia Celtica Episcopus Cenomanensis, morti jam proximus deposuit, se, cum debitis temporibus ordinaret, nunquam intentionem habuisse ordinandi: Massiliensis etiam Parochus deposuit, morti proximus, se per annos viginti ministrasse baptismum, & non alia intentione, quam illos diabolo vovendi: quo non obstante, ordinationes ab Episcopo factas, & per Parochum collata baptismata, Parisienses magistri valida esse censuere, apud Anonymum, ac Serrium.

Quod opponitur argumentum Adversarios urget; cum potius externæ intentionis necessitatem extenuet; siquidem intentiones illæ, de quibus in scriptura, satis erant exterius notæ; Isaac filium suum Esau benedicere volebat, sed tandem personam sibi præsentem benedicere voluit, quam etiam benedictionem deinde confirmavit, *Genesis* 27.: Sephora sponsa Moysis, quem priùs nolebat circumcidere filium, deinde voluit: Mardochæum non magis honoravit Aman (ait doctissimus Simonnet) quam phaleratus ille, cui insedebat, equus; siquidem honoravit per modum signi externi, atque præconis. Quod de partibus essentialibus additur; contra externæ intentionis necessitatem retorqueri posset; cum illa neque materia sit, neque forma

Sacra-

Sacramenti; dicendum ergo partes essentiales, seu materiam, & formam Sacramenti, non constituere Sacramentum, nisi debito modo, ac intentione sint applicatæ, & secundum institutionem à Christo Domino factam; quod non magis externæ, quam internæ intentionis necessitatem probat. Quæ de Cenomanense Episcopo, ac Parocho Massiliense adducit facta Serrius à Parisiensibus decisa Magistris, negat doctissimus Gaud; cum probata non sint per idoneos testes: certè facta illa, cum gravia sint, & variis circumstantiis affecta, quarum vel una factum notabiliter variare potest, longo indigere videntur examine, antequam decidantur: At si Serrio credendum, dico intentionem neminem ordinandi in Cenomanense Episcopo, & non baptizandi in Parocho Massiliense, potius ut habitualem, quam ut actualem habitam fuisse à Parisiensibus; ad eum planè modum, quo nemo censetur ordinare velle suspensum, excommunicatum, irregularem; vel baptizare velle indispositum; cum tamen ordinat, vel baptizat, personam præsentem reverà baptizare, vel ordinare intendit: Item voluntas Parochi potiùs perversa fuit relatè ad Sacramenti finem, ut visum est, quam ad ejus substantiam.

Dicunt tandem, qui jurat sine animo jurandi, verè jurat; siquidem est certè perjurus, qui jurat falsum etiam sine animo jurandi; adeoque & verè conficit Sacramentum qui animo conficiendi caret. Oppositores instantia torquet; fictè jurat, ac jocosè, qui jurat sine animo jurandi, non minus quam fictè orat, ac jocosè, qui orationem vocalem exprimit sine orandi animo, cum sit oratio elevatio mentis in Deum; & qui vovet sine animo vovendi, fictè, ac jocosè vovet: Qui jurat falsum sine animo jurandi, graviter peccat, quia Deum exterius in falsi testem adducit; sacrilegus est, quia contra Religionem peccat, & contra reverentiam divino nomini, exterius etiam, ab omnibus debitam: hinc & 25. propositio inter 65. damnatas ab Innocentio XI. die 2. Martii an. 1679. sic habet; *cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis*. At jurans falsum sine interna voluntate jurandi, perjurus dici non potest, nisi exterius, & apparenter; cum nonnisi exterius, & apparenter juret; ut communissimè Theologi notant cum Henno *artic.4. de juramento*, & Roncaglia *cap.4. de juramento*, contra Jueninum, aliosque paucos. Adeoque ut jurans sine animo jurandi, & cum sola externa intentione jurandi, non verè jurat, sed solum apparenter jurat, fictè, ac jocosè; sic & qui conficit Sacramentum sine interna voluntate conficiendi, apparenter solùm, fictè, ac jocosè conficit. An fictè jurans, & sine animo se obligandi, teneatur adimplere juramentum, disputant Theologi, si nullum sequeretur scandalum, vel damnum tertii; plures negant cum Henno, & Roncaglia; cum de juramento ficto eadem sit ratio, ac de ficta promissione, & voto, quod apparenter, ac fictè solùm fuit emissum: Affirmant alii cum Suario, Valentia, Vasquez, & quidem ob reverentiam Dei nomini exterius etiam debitam: his favet Angelicus Doctor 2. 2. *qu.* 89. *art.* 7. *ad* 4., ibi, *dicendum quod quando non est eadem jurantis intentio, & ejus, cui jurat, si hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum servari, secundum sanum intellectum ejus, cui juramentum præstatur; unde Isidorus dicit, quacumque arte*

ver-

verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui juratur, intelligit. Unde & Clerus Gallicanus anno 1700. propositionem istam damnavit, *qui jurat cum intentione non se obligandi, non obligatur ex vi juramenti.*

APPENDIX XIII.

INTER NOVAS *Post num.* 2977.,

AC

DISSERTATIO II.

De Infantium baptismo in maternis uteris existentium.

BAptismum infantibus in maternis uteris existentibus collatum validum, quandoque licitum esse, in doctissima sua de hac re dissertatione noster Gualdus affirmat: sed cum non paucis displiceret illa Theologis, aliam ipse dedi (Romæ tunc morabar Sacrorum Canonum lectionibus incumbens) quæ cum clarè satis ostenderet, de baptismo puerorum in utero sententiam, (si ritè sit explicata) novam non esse; sed commune Theologorum assertum, Sanctorum Patrum auctoritate firmatum; ad hostes conciliandos, quam maximè fuit opportuna; cui cum Nobiliores Theologi deinde præbuerint assensum, currente hoc anno 1741. secundas apponere manus duxi.

Pro quæstionis intelligentia notandum ex communissimo Theologorum sensu cum D. Thoma *in 3. dist. 3. qu. 1. art. 1. qu. 3. ad 2.*, & Alberto Magno *in 4. dist. 6. art. 9.* duplicem esse nativitatem, unam in utero, & quæ habetur conceptione, seu generatione; alteram ex utero, & quæ habetur ex partu; Primam dicit Augustinus in Epistola ad Dardanum, esse nativitatem, *quæ matrem gravidam facit; qua fit in ea; & qua fit matre concipiente, atque prægnante;* Alteram vero esse, *quæ fit matre pariente; quæ fit ex ea; & quæ fit partu;* De Christo Domino jam concepto dicitur Matth. 1., *quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* De ipso jam extra uterum posito dicitur Lucæ 2. *Natus est vobis hodie Salvator Mundi.* Notandum quoque ex communi omnium Peritorum sensu, una cum Hippocrate, de natura puerorum *num. 37. & 39.*, Galeno, aliisque quod, conceptione facta, in orificio interiori sic arctissimè claudatur uterus, ut neque specillum acus admitteat; cum vero instante partu, tentat infans egressum, uterus aperitur; alias & impossibilis foret partus.

Nativitatem ex utero perfectam, atque completam ad baptismi susceptionem minimè requiri: ex communi Theologorum sensu, certum est cum D. Thoma *in 3. par. qu. 68. art. 11.* in responsione ad quartum, *dicendum* (inquit) *expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad baptismum, nisi mors immineat: Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sen-*

ſus, debet baptizari periculo imminente; & non poſtea rebaptizandus, si eum perfectè naſci contigerit. Et videtur idem faciendum, quacunque alia pars egrediatur, periculo imminente, quia tamen, in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita conſiſtit, ſicut in capite, videtur quibuſdam quod propter dubium, quacunque alia parte corporis abluta, puer poſt perfectam nativitatem ſit baptizandus ſub hac forma: Si non es baptizatus, Ego te baptizo, &c. Idem Eccleſiæ praxis oſtendit; ſic præcipiente Rituali Romano de baptiſmo, §. de baptizandis parvulis. *Nemo in utero matris clauſus baptizari debet; ſed ſi infans caput emiſerit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec poſtea, si vivus evaſerit, erit iterum baptizandus; At ſi aliud membrum emiſerit, quod vitalem indicet motum in illo, si periculum pendeat, baptizetur, & tunc, si natus vixerit, erit ſub conditione baptizandus.*

Infantem (ſitque primum noſtrum aſſertum) in utero matris clauſum, certum eſt baptizari non poſſe; communiſsima eſt Theologorum ſententia, Salmanticenſes, & Thomiſtæ omnes cum D. Th. *in 3. p. qu.* 68. *art.*11. Herinex, & Scotiſtæ omnes cum Scoto *in 4. diſt.4. qu.*3., S.Antoninus, Boucat, Tournely, Simonnet, ac Theologi omnes cum Magiſtro ſententiarum *in 4. diſt.6. cap.2.*

Accedunt apertiſsimæ auctoritates Patrum: S. Auguſtinus in Epiſt. ad Dardanum; *quod ſi quiſquam dicit, jam natum eſſe hominem, etiam dum adhuc in utero eſt matris, teſtimoniumque adhibet ex Evangelio Matth.* 1., *quia dictum eſt ad Joſeph de prægnante Virgine Domini matre, quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. Numquid huic nativitati accedit ſecunda nativitas? alioquin jam non erit ſecunda, ſed tertia; Dominus autem cum ſic loqueretur; niſi quis, inquit, renatus fuerit denuò, eam ſcilicet computans nativitatem, quæ fit ex ea, non quæ fit in ea; nec enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit, tanquam iterum natus ſit, qui jam ſemel natus fuerat in utero; ſed illa nativitate non computata, quæ gravidam facit; natus dicitur homo partu, ut poſſit renaſci ex aqua, & ſpiritu, ſecundum quam ex matre nativitatem etiam ipſe Dominus in Bethelem Judæ dicitur natus: Si igitur homo regenerari per gratiam ſpiritus in utero poteſt, quoniam reſtat adhuc naſci, renaſcitur ergo antequam naſcitur; quod nullo modo fieri poteſt;* Et in *lib. de peccatorum meritis, & remiſſione cap.* 27. *Sacramentum* (inquit) *baptiſmi, profectò Sacramentum regenerationis eſt; quocirca, ſicut homo qui non vixerit, mori non poteſt; & qui mortuus non fuerit, reſurgere non poteſt; ita qui natus non fuerit, renaſci non poteſt:* Et S. Iſidorus *lib.*1. *ſententiarum cap.*22., *qui in maternis uteris ſunt, ideo cum matre baptizari non poſſunt; quia qui natus adhuc ſecundum Adam non eſt, ſecundum Chriſtum non poteſt renaſci; neque enim dici generatio in eo poterit, quem generatio non præceſſit;* Hoc idem ratio demonſtrat; cum infans in utero clauſus ablui non poſsit aqua: adeoque nec Sacramentaliter baptizari; dicitur enim Joannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.*

Dices, infans in matris utero incluſus, verè jam natus cenſetur ſecundum Adam, cum ejus contraxerit peccatum; poterit ergo per baptiſmum

in

in Chriſto renaſci: Cum ex Apoſtolo ad Roman. 5. *Non ſicut delictum, ita & donum; Si enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, &c. in plures abundavit*: Item infans in matris utero clauſus capax eſt ſanctificationis, ut de Beata Virgine conſtat, de Joanne Baptiſta, ac Jeremia; cur ergo non poterit ſanctificari baptiſmo? Item infans in matris utero clauſus capax eſt martyrii; ut paſſim Theologi docent cum D. Thoma, & Scoto; ergo & capax erit Sacramenti baptiſmatis; ait enim Leo Papa *ſermone 2. de ſolemnitate Epiphaniæ, nova gloria coronabat infantes, & de initiis ſuis parvulorum primordia conſecrabat; ut diſceretur neminem hominum divini incapacem eſſe Sacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ eſſet apta martyrii*. Item ut quid dari non poteſt inſtrumentum, quo infans etiam in matris utero clauſus baptizetur? Item cur baptiſmo matris infans in utero manens, baptizari non poſſet; cum in jure portio ſit matris, & fœtus veniat nomine ventris.

Contra eſt ad primum; per fœtus animationem originale incurritur peccatum; per fœtus phyſicam ablutionem aqua factam, baptizatur: non ergo mirum, si clauſo matris utero, peccatum originale infans incurrat, & baptizari non poſsit; nec ideo à dono, & gratia Chriſti eſſet excluſus; cum naſcendo ex partu, aperto jam matris utero ablui poſsit, ac baptizari. Ad ſecundum, per infuſionem gratiæ ſanctificatur, per ablutionem aqua factam baptizatur infans; hæc ergo, & non illa nativitatem ex partu requirit; cum uni, & non alteri clauſus matris uterus obſtet. Ad tertium, per mortem alteri illatam in odium fidei, habetur martyrium, & per phyſicam ablutionem baptiſmus: Infans autem in matris utero clauſus mori poteſt, ablui non poteſt; nec ideo ætas illa incapax eſſet Sacramenti; Siquidem poſſet naſcendo ex matris utero baptizari. Ad quartum; aliud eſt dari inſtrumentum, quo aperto matris utero, abluatur infans, & baptizetur; aliud verò inſtrumentum dari, quo adhuc matris utero clauſo, baptizetur infans; primum admitto, alterum nego; Ad quintum, objectum eſt Juliani, cui ſic reſpondet S. Auguſtinus *lib. 6.* contra eundem *cap. 5.*, & refertur in Can. *ſi ad matris, de conſecrat. diſt. 4.*, *ſi ad matris corpus id, quod in ea concipitur, pertinet, itaut ejus pars deputetur, non baptizaretur infans, cujus mater baptizata eſt, aliquo mortis periculo, cum eum geſtaret in utero; nunc vero cum etiam ipſe baptizetur, non utique bis baptizatus habetur; non utique ad maternum corpus, cum eſſet in utero, pertinebat*: & quidem meritò, cum peccatum originale ſit unicuique proprium, ut definit Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 5. c. 3.*, dicente Apoſtolo ad Roman. 5. *in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*; proprio inficitur peccato infans, adeoque & proprio baptiſmo, non illo matris, baptizari debet. Quod infans in utero dicatur portio matris, & ventris nomine veniat; non propriè, ſed lata dictum eſt ſignificatione.

Quod ſi aliquando (ac ſecundum ſit noſtrum aſſertum), in matris utero aqua immediatè, ac phyſicè ablui poſsint infantes; tunc etiam in matris utero poſſunt infantes baptizari; eſt contra Comitolum, alioſque paucisſimos. Siquidem communis hic eſt Theologorum ſenſus, Averſa *quæſt. 68. de Sacramentis, ſect. 1.*, Maurus *qu. 108. de baptiſmo num. 15.*, Brancatus *de*

 bapt.

*bapt. disp.*12. *num.*36. & 37., Schildere *de principiis formandæ conscientiæ tract.*6. *cap.*2., Gobat *tract.* 2. *de bapt. num.*56. & 57., Pignatellus *tom.*1. *consult. Canonicarum consult.* 153., Wieftner *titulo de baptismo num.* 9. & *seqq.*, Gonzalez Tellez *in cap. majores*, *de baptismo num.* 7., Viva *p.*3. *Theologiæ disp.*1. *qu.*7., Monstazo *lib.*6. *de causis piis cap.*10. *num.*5. & 6., Arsdekin *tom.*2. *Theologiæ p.*2. *tract.*4. *cap.*2. §.3. *qu.* 2., Raynaudus *de sectione cesarea cap.*6. *num.*13., Leander *tract.*2. *de baptismo disp.*2. *quæst.*21. La Croix *lib.*6. *part.*1. *num.*292., Kilianus *in supplemento Sporeri cap.*1. *de Sacramentis num.*47. Keslingerus *in supplemento* Reiffenstuel *dist.*3. *à nu.*20., Corazza *de baptismo cap.*9. *num.*11., Giribaldus *cap.*4. *num.*6., Roncaglia *cap.* 4. *quæst.*4., Henno *disp.*3. *qu.*1. Clericatus *decis.*29. *num.* 11., Marin. *disp.*1. *num.*88., Didacus de la Fuente *differt.* 22. *num.* 24., Layman, Bonacina, Dicastillo, Candidus, Hiquæus, Naldus, Molphesius, Suarez, Valentia, Philiarcus, Biel, Victoria, Vivaldus, Præpositus, Zambertus, Lezana, Coninch, Zambranus, Ledesma, Prado, Navarrus, Narbona, Gammachæus, Lessius, Tannerus, Martinonius, Maldonatus, Reginaldus, Riccius, aliisque innumeris citatis, nostri Pasqualigus in praxi morientium *qu.*20. *num.*3., Vidal *inquisit.*1. *de baptismo num.*13. & *seqq.*, Diana *tom.*1. *tract.*1. *resol.*71. & 72. *ex p.*2. *tract.*15. *resol.*43. & *p.*5. *tract.*3. *resol.*12. & Gualdus qui præsenti materiæ doctissimis documentis miram apposuit dilucidationem, in opusculo de baptismo puerorum in utero *cap.* 1. *num.*8. & 9. Hinc meritò nostram sententiam *communem* vocant la Croix, Leander, Pasqualigus; imò & *communissimam* dicunt Raynaudus, ac Pignatellus locis citatis.

Nec dicas, Salmanticenses, aliosque Thomistas sentire oppositum cum D.Thoma *cit.qu.*68. *art.*11. ut etiam Herinex, aliosque Scotistas cum Scoto *in* 4. *dist.* 4. *qu.* 3. nec aliam fuisse Theologorum omnium sententiam, sive Scholastici fuerint, sive Canonistæ, sive Casuistæ, latè Gualdus ostendit *cit. capit.* 1. *à numer.* 4. Contra, ostendimus, communissimè nobis favere Theologos: qui in oppositum adducuntur, de infantibus loqui in matris utero inclusis, illorum rationes ostendunt: Siquidem ferè omnes hoc probant, *quia puer in utero immediatè, ac phisicè ablui non potest*; quod solum de infante in utero matris clauso, verificatur.

Communis accedit sententia Patrum, qui cum de baptismo loquuntur; nullum hominem, nullum infantem, nullum statum, nullam ætatem, excipiendos esse volunt, si ablui possint: S.Cyprianus *Epist.*59. quæ est ad Fidum de baptizandis parvulis, hæc habet: *quantum verò ad causam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum, vel tertium diem, quo nati sunt, baptizari non oportere &c. nemo in hoc consensit, sed universi judicavimus nulli hominum nato misericordiam Dei, & gratiam* (sc. baptismi) *esse denegandam*: & deinde; *quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est; quid enim ei deest, qui semel in utero Dei manibus formatus est?* (intellige semper, si ablui possit aqua; cum sine hujusmodi ablutione nullus baptizari queat nec adultus homo) & deinde; *Esse denique apud omnes, sive infantes, sive majores natu unam divini muneris æqualitatem, declarat nobis divina scripturæ fides*: & infra; *Nam Deus ut per-*

sonam

sonam non accipit, *sic nec ætatem*; passim deinde repetit, *neminem putamus à gratia consequenda impediendum esse*, *sed omnem omninò hominem admittendum esse ad gratiam*, sc. baptismi: nonne vides ex Cypriano, præsertim illis verbis; *quid enim ei deest*, *qui semel in utero Dei manibus formatus est?* omnes qui ablui possunt aqua, etiam infantes in utero matris baptizari posse? Si enim infans in utero matris ablui potest, *quid ei deest*, *qui semel in utero Dei manibus formatus est*, *à gratia consequenda*, per baptismum? *Cum nulla anima si fieri possit perdenda sit*; *& in omnes*, *sive infantes*, *sive majores natu*, *una sit divini muneris æqualitas*; *& Deus ut personam non accipit*, *sic nec ætatem*; *& neminem putamus à gratia consequenda impediendum esse*; *sed omnem omnino hominem admittendum esse ad gratiam*.

Cypriano cæteri concinunt Patres: S. Gregorius Nazianzenus *Oratione 40. num. 17. Omne tibi tempus ad baptismum idoneum est*, *quandoquidem nullum tempus mortis periculo vacat &c.*, & deinde, *infans tibi est? ab infantia sanctificetur*, *ab ipsis unguiculis Spiritui Sancto consecretur*: non itaque infantes in utero matris excipiendi, si aperto jam utero ablui possint; S. Ambrosius *lib.2. de Abraham cap.11.* in illa verba Joannis 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* hæc habet: *Utique nullum excipit* (si ablui possit aqua), *non infantem*, *non aliqua præventum necessitate &c.*: *& quia omnis ætas obnoxia peccato*, *ideo omnis ætas huic Sacramento idonea*: non ergo excipiendi infantes in utero matris, si ablui possint: *Aqua enim* (ait ipse *lib.* 2. Evang. *in cap.* 3. Lucæ) *corpus abluitur*, *spiritu animæ delicta mundantur*: S. Hieronymus *lib.3.* adversus Pelag. *cap.* 6. allatam S. Cypriani epistolam ad Fidum maximè laudat, præsertim illa verba, *à baptismo*, *& à gratia Dei*, *qui omnibus misericors*, *benignus*, *& pius est*, *nemo per nos debet prohiberi* (si videlicet ablui possint aqua), *præsertim infantes*.

S. Augustinus apertissimè favet, maximè etiam ipse laudans S. Cypriani epistolam ad Fidum pluribus in locis, præsertim *serm.*14. de verbis Apostoli *cap.*20., & in *epist.*28. ad Sanctum Hieronymum; & in *lib.3. de peccatorum meritis*, *& remiss. cap.* 5. cum dicit, *potes ipsam epistolam martyris Cypriani de baptizandis parvulis legere*, *si volueris*. Ubi & ferè totam illam adducit: Dei voluntatem salvandi omnes homines, etiam ad infantes in utero matris extendit; de quibus *lib.* 4. contra Julianum *cap.* 8. ait: *Numquid homines non sunt*, *ut non pertineant ad id quod dictum est*, *omnes homines?* in Enchiridion *cap.* 119. ait; *in quacunque ætate quemcumque hominem gratia regenerationis invenerit*, *ibi remittuntur peccata*; Cum nempè ablui potest homo; *Unde ista tanta virtus aquæ* (ait *tract.*80. in Joannem), *ut corpus tangat*, *& cor abluat?* & infrà; *Verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei*, *ut per ipsam credentem*, *offerentem*, *benedicentem*, *tingentem etiam tantillum*, *mundet infantem*, *quamvis non valentem credere &c.* Non ergo excipiendi ex Augustino infantes in utero matris, si aperto jam utero, etiam *tantillum* ablui possint tantæ virtutis aqua.

Rationes hoc idem ostendunt; Cum Deus velit omnes homines salvos fieri, etiam infantes adhuc in matris utero manentes; pro quibus omnibus, etiam

etiam salutis gratiam paravit: Christus pro omnibus hominibus mortuus sit, & salutis gratiam sit promeritus, etiam pro infantibus adhuc in matris utero manentibus: Omnes homines ex semine Adæ propagati, *filii iræ*, ac Dei inimici nascantur, ut ex Conciliis, & Patribus certum est. Quibus rationibus, ut baptizandi sunt infantes, adhuc in matris utero manentes, si tibiam, vel brachium, manum, vel pedem, aut digitum, foras emittant, quando periculum est mortis; sic & eodem stante periculo, baptizandi sunt infantes, adhuc in matris utero manentes, si urgente partu, & matris utero aperto, jam sint ab exteris immediatè, ac physicè palpabiles; immediatè, ac physicè ab externo ablui possint. Nec enim requiritur ad baptismum, Theologis cum D.Thoma, & Rituali Romano fatentibus, nativitas ex utero completa, atque perfecta; sed satis est nativitas ex utero incompleta, imperfecta, atque inchoata, seu incæpta, ut in casibus adductis expressum est; quis enim negabit, inchoatum esse partum, incæptam esse nativitatem: quando uterus, qui clausus erat, urgente partu, ad parturiendum aperitur, redditque jam fœtum physicè, atque immediatè ab externo palpabilem? siquidem aperto utero, tangitur jam fœtus, atque palpatur.

Oppones baptismum infantis in utero matris expresse à Patribus reprobatum esse, præsertim ab Augustino in *epist.57.*, quæ est ad Dardanum, ubi ex professo hunc impugnat errorem, his verbis: *Dominus autem cum sic loqueretur, nisi quis, inquit, renatus fuerit denuò; eam scilicet computans nativitatem, quæ fit matre pariente, non concipiente, atque prægnante; quæ fit ex ea, non quæ fit in ea &c.; sed illa nativitate non computata, quæ gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut possit renasci ex aqua, & Spiritu &c. Si igitur homo regenerari per gratiam spiritus in utero potest, quoniam restat adhuc nasci; renascitur ergo antequam nascitur, quod nullo modo fieri potest*; Ubi vides ex Augustino nativitatem *in utero*, nullam esse nativitatem relatè ad baptismum, per quem renascitur homo: sed solum computandum esse nativitatem *ex utero, quæ fit matre pariente, quæ fit partu; quæ fit ex ea*; secus verò quæ fit *matre concipiente; quæ fit matre prægnante; quæ fit in ea*.

Contra, nativitatem in utero nullam esse nativitatem relatè ad baptismum, ut certum in superiori ostendimus asserto; cum diximus, infantem in matris utero clausum baptizari non posse; nonnè infans in matris utero clausus, infans est in utero natus? Cum ergo baptizari non possit, clarum est, satis non esse ad baptismum, quod sit infans in utero natus. Nativitatem ex utero ad baptismum, etiam & nos cum Patribus, & communi Theologorum sensu requirimus. Nativitatem ex utero requirunt omnes, non quidem completam, atque perfectam; sed incompletam, imperfectam, atque inchoatam, seu incæptam; quæ satis habetur, cum urgente partu, matris uterus aperitur; Siquidem tunc incipit partus, cum uterus, qui clausus erat, ad partum edendum aperitur: quæ nativitas ex utero, non minus necessaria est ad baptismum, quam ut infans physicè ablui possit: Non enim, nisi aperto jam utero ad partum edendum, potest infans sacramentaliter baptizari, cum nonnisi aperto jam utero ad partum edendum sit immediatè, ac physicè palpabilis; immediatè, ac physicè ab externo ablui possit aqua.

ſit aqua. Nativitatem ex utero completam, atque perfectam ad baptiſmum à Patribus non requiri; certum eſt apud omnes, fuitque in ſuperioribus oſtenſum; alias etiam infantis baptiſmum, qui adhuc in matris utero detentus, brachium, vel tibiam, manum, vel pedem, vel digitum, foras emittit, negarent Patres; quod nullus unquam dicere ſomniavit. Non aliam nativitatem ex utero ad baptiſmum requirit Sanctus Auguſtinus, quam à nobis aſſertam; non aliam, quam à nobis improbatam, excludit; & quidem neceſſariam illam eſſe volumus, quæ *fit matre pariente*; *quæ fit ex partu*; *quæ fit ex ea*; quæ verò ſolum fit *matre concipiente*, quæ fit *matre prægnante*; quæ *fit in ea*; ut inſufficientem ad baptiſmum, cum Auguſtino reprobamus.

Oppones iterum ex Tridentino *ſeſſ.* 5. in decreto de peccato originali *Can.* 4. dicitur anathema negantibus, pueros recentes ab uteris matris natos eſſe baptizandos, ibi: *Si quis parvulos recentes ab uteris matris baptizandos negat, etiam ſi fuerint à baptizatis parentibus orti &c. anathema ſit*. Idemque deſinit Concilium Milevitanum ſecundum contra Pelagium, ac Cæleſtium 60. Epiſcoporum habitum ſub Innocentio Primo anno 416. Notandum ergo ly *recentes ab uteris*, quo ſignificatur fœtus jam ab utero effuſus: Accedit Rituale Romanum de baptiſmo, §. *de baptizandis parvulis*, in illis verbis: *Nemo in utero matris clauſus baptizari debet; ſed si infans caput emiſerit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec poſtea, si vivus evaſerit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiſerit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum pendeat, baptizetur; & tunc, si natus vixerit, erit ſub conditione baptizandus*. Eadem, ut viſum eſt, habet Angelicus Doctor *cit. qu.*68. *art.*11. Ut ergo infans in utero matris baptizari poſſit ſaltem caput, vel aliud membrum emittere debet, in quo baptizetur.

Contra, infantes completè, ac perfectè natos ex utero, baptizari poſſe, ac debere contra Anabaptiſtas, alioſque Hæreticos de fide certum eſt, & Concilia definiere; Sicque intelligendum Tridentinum, & Milevitanum: ſed nihil ad rem noſtram, cum nulla ſit illatio; *Infantes completè, ac perfectè ex utero nati, ſunt baptizandi; ut eſt de fide; ergo infantes non ſunt baptizandi, niſi ſint completè, ac perfectè ex utero nati*: Ut si quis diceret; *Adultos non baptizatos, baptizandos eſſe, certum eſt de fide; ergo ſoli adulti ſunt baptizandi: In articulo mortis ſumendum eſſe Euchariſtiam certum eſt: ergo in ſolo mortis articulo ſumenda eſt Euchariſtia*: Illationibus iſtis quid ineptius? Utrumque igitur verum *infantes baptizandos eſſe completè, ac perfectè ex utero natos; & non ſolos hos infantes baptizandos eſſe*; uti nec ſoli baptizandi ſunt adulti, nec Euchariſtia tantùm eſt danda moribundis. Hinc ut Concilia per ly *recentes ab uteris matris*, infantes adhuc in utero manentes non excludunt à baptiſmo, si manum, vel pedem, vel digitum foras emittant; ſic neque illos excludunt, si urgente partu, & aperto jam utero, ſint phyſicè, & immediatè palpabiles, immediatè, ac phyſicè ablui poſſint aqua; cum in utroque caſu nativitas habeatur ex utero imperfecta, incompleta, & inchoata.

Immò & Concilia iiſdem rationibus, quibus Hæreticos urgent, no-

ſtrum

ſtrum clarè probant aſſertum; ut in noſtris viſum eſt probationibus; ſiquidem hæc habet Tridentinum *in cit.Can.4. Quoniam non aliter intelligendum eſt id, quod dixit Apoſtolus; per unum hominem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*; Nonnè hæc omnia etiam de infante imperfectè, incompletè, & inchoativè nato verificantur? baptizandus ergo ſemper, ac phyſicè ablui poſsit aqua: quod magis illa, quæ ſequuntur verba confirmant; *ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt; Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Dei*: Eadem habet Concilium Milevitanum *in cit. cap.2.*; quod si dicas, hæc omnia etiam de infante in utero matris clauſo verificari: falſum eſt, cum nec de adulto, si clauſus ſit in utre; verificari poſsit; Siquidem in eo ſtatu ut ablui nequit, ſic ex aqua, & Spiritu Sancto regenerari, ac renaſci non poteſt.

Ejuſdem eſt fallaciæ, quod ex Rituali Romano, & D.Thoma deſumitur objectum; Cum ex dictis, nulla ſit illatio; *Infantes in utero matris, ſi membrum aliquod foras emittant, baptizari debent; ergo ſi nullum membrum emittant, baptizari non debent*. Dicendum ergo ex Rituali Romano, & D. Thoma, infantes in utero matris eſſe baptizandos, si membrum aliquod emittant: ſed non ſolùm hujuſmodi infantes eſſe baptizandos, clarè in verbis allatis docet Rituale Romanum, in quibus ſolùm infanti in utero matris clauſo denegatur baptiſmus; *Nemo in utero matris clauſus baptizari debet*, ergo urgente partu, & aperto jam utero, baptizari debet: adeoque ex Rituali ſive membrum aliquod emittant, ſive matris uterus aperiatur, ſunt infantes etiam in matris utero baptizandi; Quo etiam ſenſu loquitur Angelicus Doctor *cit. art. 11.* Ubi ſolum illos excipit à baptiſmo infantes in utero, qui ablui non poſſunt aqua; ibi, *dicendum quod de neceſſitate baptiſmi eſt, quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur; cum baptiſmus ſit quædam ablutio, corpus autem infantis, antequam naſcatur ex utero, non poteſt aliquo modo ablui aqua*; adeoque urgente partu, & aperto jam utero, poſſunt baptizari ex Div. Thoma, si aliquo modo ablui poſsint aqua. Quod si dicas, Rituale Romanum, & Angelicus Doctor omnes enumerant caſus, in quibus infantes in utero baptizari poſſunt, ſemperque alicujus membri emiſsionem requirunt: falſum eſt, cum ibi non omnes, ſed tantum aliqui aſsignentur caſus pro infantium in utero matris baptiſmo: Solos infantes in utero matris clauſos excipit Rituale Romanum, ſolos infantes, qui aqua non poſſunt ablui, excipit Div. Thomas; utroque igitur docente, cæteri omnes infantes in utero admittendi ſunt ad baptiſmum.

Cum inſtante partu (ac tertium eſt noſtrum aſſertum) matris uterus aperitur, infans in utero matris immediatè, ac phiſicè ablui poteſt aqua; manu tangi poteſt, atque palpari; Sic Medici, Chirurgi, Obſtetrices, & Periti omnes, præſertim Scriptores cum de partu, vel de extractione ſecundinæ retentæ: vel demortui in utero pueri; quorum quadraginta id expreſsè teſtantes doctiſsimus noſter Gualdus enumerat in celeberrima ſua de hac re diſſertatione *cap.4. num.57.*, adductis illorum operibus, capitulis etiam, ac ſectionibus citatis: ex quibus, ut vides, jam certum noſtrum eſt aſſertum, nec alia indiget probatione.

Et

Et quidem dubitari non poteſt, quod inſtante partu, uterus aperiatur; alias impoſſibilis foret partus; nec dubitari poteſt, quod aperto jam utero, manus intromitti poſsit ad puerum tangendum, palpandum, atque abluendum. Si enim aperto utero jam manus in uterum introduci poteſt, ad infantem mortuum extrahendum, vel ad ſecundinas tollendas; quare & introduci non poterit manus in apertum uterum, ad puerum tangendum, palpandum, abluendum? Nec refert, in primo caſu fibras uteri jam eſſe laxatas: cum etiam in caſu noſtro, jam ſit uterus ad pariendum apertus. Infans recenter natus major eſt manu intromittenda; dubitas ne? pone manum ſupra pectus recentis nati, & videbis: quo igitur modo aperto jam utero, exire poteſt infans; ſic & poterit manus in uterum, ut explicatum eſt, intromitti. Immò naſcitur infans aliquando duplicatus: poterit itaque a fortiori introduci manus, quæ molis eſſet longè minoris, ſed virtutis, ac roboris longè majoris; ſicque tangere, palpare, ac abluere poterit in materno utero infantem. Poterit verò aqua in uterum ad puerum abluendum introduci, ſive per ſpongiam madefactam intra digitos retentam, ſive per fiſtulam, vulgò *Siringhetta*; ſive parvo aliquo cochleare: quod facile fieri poſſe, teſtatæ ſunt Romæ Obſtetrices coram Cardinale Vicario apud Pignatellum *cit. conſult.* 153. *num.*1. ipſoque præſente, qui unus erat ex Præfectis illius Congregationis.

Dices, immiſsionem hanc manus in uterum, experimentum eſſe periculoſum, ac difficile; atque acerbiſsimos in mulieribus cauſare dolores: Item fit in partu dearticulatio oſsium Iliacorum, vel pubis per quem totum corpus parturientis acerbiſsimis doloribus occupatur; ut Periti docent; quam dearticulationem cum manus facere non poſsit, in uterum introduci nequibit. At omnes primi partus periculoſi ſunt, ac difficiles,& acerbiſsimos cauſant dolores; quid inde? quotidie contingunt, ſic & in caſu noſtro; in quo manus hæc in uterum immiſſio, relatè ad Peritos in arte, neque periculoſa, neque difficilis erit: nonne paſſim in uterum introducitur manus, ad infantem mortuum extrahendum, vel ad ſecundinas expellendas? Sic & poterit, ad infantem vivum tangendum, palpandum, abluendum, manus in uterum intromitti; cum ad puerum emittendum jam apertus ſit uterus. Quæ additur dearticulatio oſſium in partu, à pluribus aſſerta, ab aliis negata, uti videre eſt apud noſtrum Gualdum *diſſert. cit. num.*67. ad rem non facit: non enim de pariendo agitur, ſed de manu in apertum uterum introducenda; quæ ut ſine ulla dearticulatione intromitti poteſt, ad infantem mortuum extrahendum, vel ad ſecundinas expellendas; ſic & poterit in caſu infantis abluendi, quando inſtante jam partu, uterus aperitur.

Addes, humores, in quibus fœtus in utero matris innatat, qui cum partu exeunt, durantque per plures dies exire poſt partum, ſpongiam certò madefacient; & aquam ineptam reddent ad baptizandum: Item ſpongia ad minus latera Vaginæ tangere deberet; quæ cum ſint illis humoribus madefacta, aquam jam inficerent: Item in *can. contraria de conſecratione diſt.* 5. dicitur, Medicorum præcepta eſſe divinæ cognitioni contraria; & in *Leg. fin. Cod. quando Tutores, & Curatores deſinant*, tanquam turpe indagatio

corporis prohibetur. At fœtum in humoribus innatantem, vel cum magna humorum copia simul egredientem ex utero, in utero baptizari non posse, libenter admitto; tunc enim facillimus est partus, humoribus ipsis uterum laxantibus, viamque sternentibus ad fœtus egressum: At secus dicendum, si humoribus totaliter egressis, adhuc maneat in utero puer; Ut cum difficiliores sunt partus, contingere solet; eo quia tunc nulli sunt humores, aquam pro baptismo reddentes ineptam: Adde, quod cum puer in latus ad orificium interioris uteri, à nullo madefiat humore; unde & naturali ablui poterit aqua. Quod autem dicitur de lateribus Vaginæ illo madefactis humore, nihil ad rem: cum parva illa spongia intra digitos ferretur; adeoque & latera Vaginæ parum tangeret, aut nihil. Medicorum præcepta sunt divinæ cognitioni contraria, quando cum infirmis sine causa, in præceptorum obligatione dispensant: Secus verò, si justa præcipiant: sic & indagatio corporis, si justa sine causa fiat, ut esset ad probandam pubertatem, non est in jure admissa, ex *cit. leg. finali*: licet autem, si justa ex causa fiat; nonne licitum est manus in uterum immittere ad mortuum infantem extrahendum? Sic & manus immittere licebit, ad periclitantem in utero infantem sacro baptismo abluendum.

Insurges, infans in matris uterò secundinis est involutus; adeoque immediatè, ac physicè ablui non potest. At omisso, quod de baptismatis validitate dicitur, quod infanti secundinis involuto confertur; quam aliqui affirmant cum Dicastillo, & Gobat, alii communiùs negant cum Leandro, & nostro Pasqualigo: dico, infantem in utero matris immediatè ablui posse, non quidem, cum involutus est secundinis; sed cum solutus ab illis manet: quod etiam de infante extra matris uterum manente dicendum. Siquidem maturus jam fœtus naturali contendit impetu è carcere ventris exire; se à secundinis solvens, illas manibus, ac pedibus dilacerando, uterum, in quo detinetur, pondere suo aperit; Sic Periti omnes cum Hippocrate *de natura puer.* in illis verbis: *Quando verò mulieri partus instat, tum se movente puero, & manibus, ac pedibus se jactante, membranam quandam internam abrumpi contigit, deinde postremam; ruptis autem membranis, tunc fœtus vinculo solvitur, & agitatus foras prodit &c.*: & infra; *puerque jam plenior factus plus alimenti, quam adsit, requirit, ipse se jactans membranas disrumpit &c.*: hunc ergo infantem secundinis in utero spoliatum, aperto jam utero, immediatè, ac physicè ablui posse, quis dubitabit? quod si aliquando ad secundinas lacerandas non sufficiant vires infanti, multum adjuvare possent obstetrices; possent & Periti omnes; Si enim manum in uterum immittere possunt ad infantem mortuum extrahendum, vel ad secundinas expellendas; cur & non poterunt, ad illas lacerandas? ait enim Hippocrates *sect. 3. de superfœtatione*; *quod si extra uteri osculum, verum intra pudenda fuerit puer, manibus immissis, caput extrahito apprehensum; Si autem fœtus maneat mortuus, nec sponte, nec per medicamenta naturaliter decidat, manu cerato maximè lubrico illita, & in uterum inclusa, humeros à cervice valido pollicis appressu dividito*: Si manus in uterum inclusa, valido pollicis appressu, etiam humeros à capite revellere potest; cur non poterit secundinas? quod si nec digiti ad hoc sufficiant; consilium acci-

accipe Albucaſis, qui *lib.2.de methodo medendi cap.75.* hæc habet, *dei nde intromittat* (videlicet in uterum) *Obſtetrix intra digitos ſuos ſpatumile parvum, & findat cum eo ſecundinam, & ſecet eam ungue ſuo, donec effluat, quod eſt in ea de humiditate*: ſicque digitorum inſufficientiam parvum ſpatumile ſupplet. At hæc rarò contingunt; cum à ſeipſis ſolvere ſe ſoleant in utero à ſecundinis infantes; adeoque tunc poterunt immediatè, ac phyſicè in maternis uteris ablui.

Non amplius itaque dubitandum (noſtrum ultimum hoc eſt ac principale aſſertum) cum Comitolo, Raynaudo, aliiſque paucis, quos latè ſequitur Zapata Medicus Hiſpanus in recentiſſima ſua diſſertatione Medico-Theologica; quod infantes cum urgente partu, matris uterus aperitur, nedum validè, etiam licitè, si neceſſitas urgeat, in matris utero baptizari poſſunt; ſicque ſentiunt Doctores Theologi cum Schildere, Gobat, Pignatelli, Viva, Gualdo, aliiſque recenſitis.

Quod & validiſſimo demonſtratur argumento: Siquidem si queunt infantes in utero matris phyſicè ablui, poſſunt infantes in matris utero ſacramentaliter baptizari; ut in ſecundo fuit aſſerto demonſtratum; At cum urgente partu matris uterus aperitur, poſſunt in matris utero infantes immediatè, ac phyſicè ablui, manu tangi, atque palpari; quod in tertio fuit aſſerto inviċtiſſimè probatum: poſſunt itaque infantes cum urgente partu, matris uterus aperitur, nedum validè, etiam licitè, si neceſſitas urgeat, in matris utero baptizari. Item quæ rationes evincunt, infantem in utero matris manentem, validè, ac etiam licitè, si neceſſitas urgeat, baptizari poſſe, si manum, vel pedem, vel digitum foras emittat; etiam probant infantem in matris utero manentem, nedum validè, etiam licitè baptizari poſſe, ac debere; cum urgente partu, matris uterus aperitur. Siquidem in utroque caſu periculum vitatur Sacramenti; cum non eſſet, niſi ſub conditione conferendum; & æternæ conſulitur infantium ſaluti.

Cum agitur de valore Sacramenti (obſtrepant Oppoſitores) ſententiam ſequi debemus tutiorem, relicta minus tuta, etiam probabili, ut ex prima propoſitione ab Innocentio XI. damnata, die 2. Martii, an.1679. ſatis innoteſcit: certum eſt autem, baptiſmum infantis in utero valoris eſſe incerti, adeoque periculo fruſtrationis, ac nullitatis expoſitum. Sed, contra omnium ſenſum factum pugnat argumentum; ſiquidem baptiſmus infantis in utero manentis, & manum, vel pedem, vel digitum emittentis, valoris eſt incerti; aliàs non conditionatè, ſed abſolutè dandus eſſet, nec infante jam nato, iterum ſub conditione repetendus; cum è contra si caput infans emittat, eſt abſolutè baptizandus, & nihil deinde ſub conditione repetendum: adeoque nec licitum eſſet, hujuſmodi conferre baptiſmum, si neceſſitas urgeat infantis; ne Sacramentum periculo nullitatis ſit expoſitum. Dicendum ergo in utroque caſu baptiſmum infantis incerti eſſe valoris; at minimè ſit certæ nullitatis; immò & longè probabilius ſit, validum eſſe, quam nullum, ut adductæ rationes evincunt.

Cum in utroque caſu baptiſmus incerti ſit valoris, licitè conferri non poteſt, niſi ſub conditione, & quidem neceſſitate urgente; ne ſit Sacramentum periculo fruſtrationis expoſitum: cum niſi purificata ſit conditio, ni-

hil ponat in re; qui enim baptizare intendit, si capax fit fubjectum, certum eft baptizare nolle, fuppofita incapacitate fubjecti. At cum in utroque cafu neque fit certæ nullitatis baptifmus, neceffitate urgente, fub conditione omninò conferendus eft; ut æternæ faluti (pro qua inftituta funt Sacramenta) magis confulatur infantium; falvarentur enim, fi fortè validus effet baptifmus; fine quo certiffimè peribunt: *Providere debemus, ne dum speciem quandam cautionis teneamus, in damnum regenerandarum incidamus animarum*; ait S.Leo Magnus *epift.37.*

Tutiorem fequi debemus, cum de valore agitur Sacramenti, nifi fuerit, ut vifum eft, extrema neceffitate urgente, fub conditione miniftratum, tutiffimum aliquando in cafu neceffitatis evadit, quod aliàs erat indebitum; nonnè qui abominari folent cibi, famis urgentis tempore maximè delectant; & quæ divites contemnunt, exoptant egeni? Semper ac poteft, Sacramentum eft certi, atque indubitati valoris miniftrandum: At quid si extrema neceffitate urgente, periculum immineat animarum, & indubitati valoris Sacramentum haberi non poffit? omni meliori modo, quo poteft, certiffimè dandum; dummodò non fit certè invalidum, atque nullum: tutiffima tunc effet miniftratio illa; cum per appofitam conditionem periculum vitetur fruftrandi Sacramentum, ac æternæ infantium faluti (juxta S. Leonis monitum) quantum poffumus, confulatur.

Cum eft in utero infans (oppofitores addunt) certi non fumus, an homo fit, vel monftrum, vivens, an mortuus; in hoc enim etiam peritiffimi aliquando decipiuntur Medici; adeoque baptizari nequit: Item rationes obftant D. Thomæ, quia Sacramentum à Miniftris Ecclefiæ conferri debet; ficque baptizandus fubjici debet ipforum operationi, ipfis effe notus, & cum eifdem ducere vitam; quod de infante in utero matris verificari non poteft. Adde & antiquorum rationes, qui hujufmodi infantem baptizari poffe negabant; primo quia nullum peccatum fine pœna dimittitur, cujus tamen incapax eft puer in utero matris; fecundo quia gratia dat effe ordinatum; adeoque regeneratio gratiæ præfupponit & quidem completam naturæ generationem: tertio quia puer, quando in utero eft, adhùc eft caufæ originalis peccati conjunctus, adeoque ab eo mundari non poteft: quarto quia in baptifmo aqua, & fpiritus effe debet contra infectionem carnis, & animæ per originale factam: ficque tum nativitas in utero, qua infunditur anima, tum nativitas ex utero, qua nafcitur corpus, ad baptifmum præexiftere debent.

Sed etiam contra communem fenfum factum urget argumentum; quid enim de puero jam ex matris utero completè, ac perfectè nato dicendum, si dubitetur, an homo fit, vel monftrum, an vivens, vel mortuus? certiffimè fub conditione baptizandus effet infans, ut vitando periculum fruftrandi Sacramentum, fimul infantis animæ quantum poffumus, confulatur: Idem ergo de baptifmo infanti in utero matris collato dicendum; cum urgente partu, matris uterus aperitur: Siquidem cum de capacitate fubjecti dubium infurgit, femper eft fub conditione baptizandum de capacitate fubjecti; fic decernente Summo Pontifice Alexandro III. *in cap. 2. de baptifmo*, ibi: *de quibus dubium eft, an baptizati fuerint, baptizantur, his ver-*

verbis præmiſſis, ſi baptizatus es, non te baptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo &c. de quibus enim dubium eſt, an ſint baptizati, etiam an capaces ſint baptiſmi, dubitatur; quo manente dubio de capacitate ſubjecti, non ait Pontifex baptizandum non eſſe, ſed eſſe ſub conditione baptizandum. Hinc ad argumentum, hujuſmodi fœtum baptizari non poſſe, abſolutè, libenter admitto; ſed negandum eſt, nec eſſe ſub conditione baptizandum de capacitate ſubjecti: cum per baptiſmum ſub conditione collatum, & neceſſitati ſuppleatur baptiſmi, & periculum omne vitetur fruſtrandi Sacramentum.

Quod baptizandus ſubjici debeat operationi miniſtrorum Eccleſiæ, ipſis eſſe notus, & cum eiſdem ducere vitam (quæ rationes ſunt D. Thomæ) verum eſt; ſiquidem cum illis tum in phyſicis, cum in moralibus communicare debet: in phyſicis quidem per phyſicam ablutionem, in moralibus verò per Sacramenti ſuſceptionem: Hinc infans in matris utero clauſus baptizari nequit; cum ablui non poſſit; quod unicè D. Thomas intendit. At ſecus dicendum de infantibus in utero matris; cum urgente partu, matris uterus aperitur; tunc enim immediatè, ac phyſicè ablui poteſt, tangi, atque palpari; ſicque cum Eccleſiæ Miniſtris tum in phyſicis, tum in moralibus communicare; nonnè hoc ipſum de infantibus in utero matris, qui manum, vel pedem, vel digitum foras emittunt, dicimus omnes? non enim iſti magis, quàm illi cum Eccleſiæ Miniſtris convivere, & communicare videntur; adeoque vel omnes hujuſmodi infantes excludendi ſunt à baptiſmo; vel omnes ſunt ad baptiſmum ſub conditione admittendi; non primum, ex D. Thoma, ergo ſecundum.

Quæ verò adduntur ex antiquis argumenta, eandem habent ac illa Div. Thomæ ſolutionem; cum de infantibus loquantur in matris utero clauſis; qui cum ablui nequeant, nec baptizari poſſunt, niſi baptiſmo matris, qui ut nulla eſt infantis ablutio, ſic & nullus eſt baptiſmus infantis: hinc nativitatem, atque extreitatem infantis ex matris utero requirunt, non quidem totalem, atque completam, & quæ ſit totalis extrapoſitio corporis infantis extra matris uterum; alias infantem, qui adhuc in matris utero manens, manum, vel pedem, vel digitum foras emittit, validè, ac licitè baptizari poſſe, negarent; quod nunquam aſſeruere Theologi; ſed illam requirunt infantis extreitatem, ac ſeparationem à matre, quantum ſufficit ad immediatam, ac phyſicam infantis ablutionem ab Eccleſiæ Miniſtris ab externo faciendam; & quidem independenter à matris baptiſmo, vel ablutione; tunc enim & pœnalitatem peccati, & completam generationem, & ſeparationem à cauſa peccati originalis, & perfectam nativitatem ex utero matris infans haberet, ſed quantum ſatis eſt ad baptiſmum; alias hæc omnia etiam infanti deficerent, qui in matris utero manens, manum, vel pedem, vel digitum foras emittit, ſicque nec baptizari poſſet: Singulis ergo ex allatis quatuor objectis, claram hanc adhibe diſtinctionem, *quantum ſufficit ad immediatam, ac phyſicam ablutionem*, conc., *aliàs* & nego: *quantum ſufficit ad baptiſmum*, conc., *aliàs* nego; eruntque clarè ſoluta. Quo & ſatis dubio factum erit de baptiſmo infantium adhuc in maternis uteris exiſtentium.

Du-

Dubitabis forſan pro diſſertationis hujus complemento ; quid ſi Religioſus profeſſus, Sacerdos etiam, & Confeſſarius ; & qui ſit in ſua Religione ſuperior, vel Parochus, vel Epiſcopus ; si deinde reſciat, se non fuiſſe, niſi in matris utero baptizatum ? Caſus evenit, quem habes apud Mendo in Appendice ad *Epitome opinionum probabilium*.

Cui reſpondendum hujuſmodi Religioſum se gerere debere, ac si ſolum, cum adhuc in matris utero manens, pedem, vel manum, vel digitum foras emiſit, baptizatus fuiſſet ; eodemque modo ac si de ſuo eſſet baptiſmo dubius. Hinc primò, iterùm ſub conditione baptizari deberet ; cum certum ſit ſub conditione rebaptizandum eſſe illum, cujus dubius eſt baptiſmus ; ſic Doctores omnes cum Simonnet *diſp.* 1. *de baptiſmo*, *art.* 7. eſtque deciſum in *cap.*2. *de baptiſmo*, ex Alexandro III. S. Leo Magnus *Epiſt.* 92., aliique Patres docuerunt id ipſum. Secundo ſuam deberet ratificare profeſſionem, nec habitum dimittere poſſet ; eſt communis cum Kiliano in ſupplemento Sporeri *cap.* 1. *Theologiæ Sacramentalis num.* 78. : cum poſſeſſor bonæ fidei, qualis eſt Religio, ex novo dubio inſurgente, re ſua, qualis eſſet Religioſus, ſpoliari non poſſet ; non ergo Religioſus ſuum poſſet dimittere habitum, ſed ſuam debet ratificare profeſſionem : At Novitiatum repetere non deberet ; cum ſatis jam fuerit in ſua Religione probatus, eſtque communis cum Sylvio in reſolutionibus variis *part.*1. Verbo *Baptiſmus caſu* 3. aliiſque.

Tertio, iterum ſub conditione Sacerdos ordinari deberet ; communis eſt Theologorum ſententia cum la Croix *de Sacramentis num.* 123. ; & quidem ſingulos ordines tum majores, tum minores ſub conditione iterum ſuſcipiendo ; ut ait Innocentius Tertius *in cap.*3. de Presbytero non bapizato ; *quia verò in Concilio apud Compendium legitur conſtitutum, quod ſi quis in Presbyterum ordinatus, deprehenderit, se non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur, &c. : Mandamus quatenus ipſum per ſingulos ordines uſque ad Sacerdotium promovere procures* ; additque rationem, *quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum* ; quam etiam rationem Angelicus Doctor aſſignat *p.*3. *quæſt.*66. *art.* 9. *ad* 4. cum ait ; *non enim videtur iterari quod neſcitur eſſe factum*. At de ſtipendio pro Miſſis ab hujuſmodi Religioſo celebratis, nulla eſſet reſtitutio facienda, nec ulla iteranda ſatisfactio, ex Gobat *tract.*2. *de baptiſmo caſu* 13. *num.*441. Kiliano, aliiſque ; cum nullum ſit damnum mala fide illatum ; & in dubio, melior ſit conditio poſſidentis.

Quarto, quas audivit Sacramentales Confeſſiones, cum ſint dubii valoris, omnes iterari debent, ſaltem per confeſſiones generales ; ſic omnes : Nec dici poteſt, ab Eccleſia ſuppleri defectum ; cum juriſdictionis defectum, ſecus autem ordinis ſupplere poſſit Eccleſia. At non teneretur ſuum manifeſtare defectum Confeſſarius, si ſine ſcandalo, vel gravi incommodo non poſſet ; ut optimè Doctores notant cum Quintanadvenas ſingularium *de Sacramentis tract.* 1. *reſolut.* 11. cum neque Pœnitens cum tanto incommodo ſua teneatur confiteri peccata. Hæc de confeſſionibus ſacramentalibus intellige ab hujuſmodi Religioſo auditis ; Secus autem de illis, quæ ab ipſo ut confitente peccata ſua factæ ſunt ; non enim eſſent iſtæ amplius iterandæ, nec

ite-

iterum eſſent peccata illa clavibus ſubjicienda; vel enim baptiſmus primò ſuſceptus, fuit validus, vel nullus; ſi primum, ergo omnia illa peccata ritè fuere clavibus ſubjecta; ſi ſecundum, ergo omnia illa peccata nullo modo ſunt clavibus ſubjicienda; cum non ſint materia Sacramenti Pœnitentiæ, utpotè non commiſſa poſt baptiſmum; uti docent Theologi omnes cum S. Thom. *3.p. qu.68. art.6.* Sed quid, ſi peccata quædam haberet, non adhuc ſubjecta clavibus? tunc prius eſſet ſub conditione baptizandus, & deinde facta peccatorum confeſſione, ſub conditione abſolvendus; Sic omnes cum Henno *diſp.1. de baptiſmo qu.7.*, ratio primi, quia cum baptiſmus janua ſit Sacramentorum omnium, ejus iteratio (cum fieri oportet) ſemper eſt aliorum Sacramentorum ſuſceptioni anteponenda, ad omne periculum nullitatis vitandum: Ratio ſecundi, cum certum non ſit, peccata illa materiam eſſe Sacramenti Pœnitentiæ; uti neque certum, validum fuiſſe baptiſmum primo ſuſceptum.

Quinto, quæ ut ſuperior in ſua Religione geſſit, omnia valida ſunt, ſive de contractibus agatur, ſive de electionibus, ſuffragiis, licentiis, profeſſionibus, ac ſimilibus: cum non ſint actus ordinis, ſed juriſdictionis; in quibus ſtante (ut in caſu eveniſſet) communi errore cum titulo colorato, ſupplet Eccleſia; ſic omnes cum Henno *diſp. 8. de Sacramento Pœnitentiæ, qu.5.* Sporero *de Pœnitentia num.714.* La Croix *de Pœnitentia à num.* 112. Celeberrima eſt lex *Barbarius*, *ff. de officio Prætoris*; qua probantur acta ſervi, qui Prætoris officium geſſerat, cujus erat incapax, *& hoc propter utilitatem eorum, qui apud eum egerunt; & quia Populus Romanus potuiſſet etiam ſervo hanc decernere poteſtatem*; eadem habetur in *Can. infamis 3. qu. 7.* ex Synodo Romana: quis autem negabit, quod benigna mater Eccleſia poſſit, aut velit tantum ſupplere defectum? Item *in cap.24. de ſententia, & re judicata*, dicitur, ſententiam excommunicationis non valere, ſi unus ex Judicibus publica erat cenſura ligatus, adeoque ſi cenſura non fuiſſet publica, valuiſſet.

Sexto, ſi Parochus ſit, vel Epiſcopus, omnia quæ geſſit ordinis Sacerdotalis, vel Epiſcopalis, dubii ſunt valoris: tales ſunt abſolutiones Sacramentales, Conſecrationes, Extremarum Unctionum adminiſtrationes; item Confirmationes, Ordinum Collationes, Eccleſiarum, vel Altarium, vel ſacrorum Vaſorum conſecrationes, & ſimilia. Quæ verò geſſit, & actus ſunt juriſdictionis, vel officii Parochialis, vel Epiſcopalis, omnia certi ſunt, ac indubitati valoris; Sic omnes, cum ex dictis, quæ ſunt juriſdictionis, ac officii, ſecus autem, quæ ſunt ordinis, ſuppleat, ac ſupplere poſſit Eccleſia. Hinc hujuſmodi Parochus matrimoniis validè aſſiſtentiam præbuiſſet; valideque aliis dediſſet Sacerdotibus aſſiſtendi licentiam; ſic paſſim Theologi cum Kiliano, Quintanadvenas, & Gobat; cum talis aſſiſtentia, vel aſſiſtendi data licentia, actus ſit, non quidem ordinis, ſed juriſdictionis, ac officii. Idemque dicendum de beneficiorum Collationibus, Unionibus, diſmembrationibus ab hujuſmodi Epiſcopo factis; Approbationibus, diſpenſationibus, ac ſententiis ab ipſo datis; cum juriſdictionis ſint actus, ſecus autem ordinis.

AP-

APPENDIX XIV.

INTER NOVAS *Post num.3054.,*

AC

DISSERTATIO III.

De Sacramentalis absolutionis forma, seu quæ sint verba de Sacramentalis absolutionis essentia.

ABsolutionem nullam esse solis his verbis conceptam, *Absolvo te.*, plures hodie sunt, qui contendunt Theologi; semper e contra validam fuisse deprecativam Sacramentalem absolutionem his, vel similibus verbis expressam, *Absolvat te Deus*, alii cum Morino propugnant, utramque opinionem nostra hæc aggreditur Dissertatio, in qua ut quæ certiora sunt, præmittamus. Sit.

ARTICULUS I.

Scienda prænotantur:

ABsolutionem Sacramentalem, quæ forma est Sacramenti Pœnitentiæ, vocalem esse debere, ac in verbis consistere, certissima est Theologorum sententia cum Suario, Lugo, Aversa, Salmanticensibus, Henno, Frassen: apertissimè constat ex Conciliis, præsertim Florentino in decreto Eugenii, ac Tridentino *sess.14. cap.3.*, tum ex perpetuo usu, & praxi Ecclesiæ, & communi fidelium persuasione. Nec paritas obstat, vel Judicii forensis, in quo sententia non oportet esse verbalis; vel Sacramenti matrimonii, quod etiam sine verbis contractum valet; vel aliarum absolutionum pro foro interno; quæ pluries in scriptis datæ leguntur. Nam quæ pro Sacramentali judicio, ut essentialia Christus instituit, de essentia non sunt judicii forensis, vel matrimonii; vel aliarum, quæ adducuntur absolutionum; sunt enim hujusmodi absolutiones à censuris; & quæ de Ecclesiastica sunt institutione.

Hinc nulla est absolutio nutibus data, vel scriptis; sic Theologi omnes cum Simonnet, Platellio, Viva, Salmanticensibus, Henno; ex datis rationibus constat; siquidem hæc est perpetua Ecclesiæ praxis, quæ divinam nos docet institutionem; hoc Concilia tradunt; ait enim Florentinum supra, *forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert cum dicit, ego te absolvo &c.*; ubi verba illa notanda sunt, *quæ Sacerdos profert, cum dicit*; in eodem sensu ait Tridentinum loco citato. Formam hujus Sacramenti in illis Ministri verbis positam esse, *ego te absolvo &c.*

Nec

Nec dicas, Florentinum etiam ibi dicit, quod oris confessio pars sit materialis Sacramenti Pœnitentiæ; & tamen confessio scripta, vel nutu facta valet. Contra, perpetua Ecclesiæ praxis divinæ institutionis manifestativa, satis inter utrumque distinguit: mutis nunquam Sacramentum Pœnitentiæ denegavit Ecclesia, simulque mutum Sacerdotem pro hujus Sacramenti Ministro nunquam admisit; & sanè magnum esset incommodum, si muti tàm necessario Sacramento carerent, quale est Pœnitentiæ Sacramentum; at nullum esset incommodum, si mutus Sacerdos absolvere non possit; non enim regulariter desunt, qui hoc facere possint Sacerdotes. Moribundum à muto Sacerdote per nutus sub conditione absolvi posse, tenent Felix Potestas, Poncius, Clericatus; sed optimo jure illos rejicit Matthæuccius *lib.* 2. *cautelæ cap.*35. *num.*7., cum ex datis rationibus absolutio non vocalis sit forma certè insufficiens pro Sacramento Pœnitentiæ.

Absolutio data per Sacerdotem absentem, nulla est, sive præcesserit, sive non confessio præsentialiter facta; docent Theologi omnes cum Gormaz *p.*2. *disp.*5., Salmanticensibus *disp.*3. *dub.*5., & Viva §. 10. *Appendicis ad Theses damnatas*: quod & datæ rationes efficacissimè probant; siquidem absolutio danda est per verba formalia, utranque locutionem; ut Concilia docent, ac perpetua Ecclesiæ praxis ostendit; non autem nisi præsentes, ac audientes alloquimur; cum absentibus soli alloquantur amentes: Item ly *te* in absolutionis forma non minus demonstrativum est personæ præsentis; quàm sit in cæteris Sacramentis; & ly *hoc*, vel *hic* in forma consecrationis: & cum de Sacramento matrimonii, quod institutum est per modum contractus, specialis sit exceptio, illius meminit Concilium Florentinum in decreto Eugenii, cum dicit, *causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*: ubi exceptio per ly *regulariter* expressa, pro formis aliorum Sacramentorum firmat in contrarium. Hinc illicita est, ac nulla confessio facta sive per Nuntium, sive per epistolam Sacerdoti absenti ad obtinendum ab illo absente absolutionem; sic omnes ex dictis; siquidem non esset ad absolutionem Sacramentalem ordinata confessio illa; cum illicita sit, & nulla absolutio inter absentes: idemque dicendum etiam de confessione facta Sacerdoti præsenti, si ad eandem absolutionem ab eo absente recipiendam ordinetur; cum etiam ad absolutionem non Sacramentalem esset ordinata.

De confessione facta sive per Nuntium, sive per epistolam Sacerdoti absenti ad obtinendam ab eo præsente absolutionem, an valida sit (nam illicitam esse nullus dubitat) acriter Theologi disputant: negant cum aliis Viva, & Salmanticenses: sed affirmant Clericatus *decis.* 35. Felix Potestas, Mastrius, Henno, & communissima Theologorum sententia cum Gormaz *cit. disp.* 5., Platellio *à num.* 756., la Croix 1195., quibus omninò adhærendum putamus: Ratio autem est, quia etsi confessio Sacramentalis regulariter vocalis esse debeat, ut certum est ex Concilio Florentino in decreto Eugenii, Benedicto II. Extravag. *inter cunctas*, *de Privilegiis*; & *Canon. quem pœnitet*, *de pœnit. dist.*1., & aliter facta sit graviter mala non minus quam confessio materialiter dimidiata: nulla tamen est ratio, qua invalida probetur: non enim confessio Sacramentalis est essentialiter vocalis; aliàs

M Sacra-

Sacramenti Pœnitentiæ incapaces essent muti; neque essentialiter est ad Sacerdotem præsentem, tum ex data ratione, tum quia moribundi absolutionem probant, ac præcipiunt Sacri Canones, si confitendi desiderium per alios ostenderit: sic habet Rituale Romanum Pauli V. auctoritate confirmatum, *si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est*; Idem habent Concilium Carthaginense 4. *Canone* 76., Arausicanum primum *Canone* 12., S. Leo *epistola* 91. nec opus est, ut alii ostendant, præsente, vel ratificante moribundo, ut clarè verba illa docent, *sive per se, sive per alios ostenderit*; & Henno rationibus probat: Hinc & moribundus sic confessus, absolvendus esset, non quidem sub conditione, ut cum materia dubia in casu necessitatis adhibetur, fieri solet, sed absolutè: siquidem Concilia, & Rituale Romanum absolutè dicunt, *Absolvatur, absolvendus est*: tum quia pro eodem habent sive moribundus ostenderit *per se*, sive *per alios* desiderium confitendi: certum est autem absolvendum esse absolutè, si per se ipsum hoc ostendat desiderium.

Nec dicas, Clementem VIII. in sua Constitutione 87. edita die 20. Junii ann. 1602. ad minus ut falsam, temerariam, aut scandalosam damnasse propositionem, qua dicebatur: *Licere per litteras, seu internuntium confessario absenti peccata sua Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente, absolutionem obtinere*: quam propositionem Pontifex pro omni, & quocunque casu damnavit, eanque damnatam esse, nedum in sensu copulativo, etiam in sensu diviso, declaravit Paulus V. die 14. Julii ann. 1605., & ex utriusque Pontificis mandato expuncta fuit ex tomo 4. Patris Suarii *sect.* 4. *disp.* 21., ubi docebat, Clementis VIII. decretum copulativè, non in sensu diviso esse intelligendum; volens confessionem fieri posse absenti, modo absolutio daretur à præsente: ut ergo pro nullo casu valida esse potest absolutio data absenti; sic & pro nullo casu confessio facta absenti valida esse potest: Hoc ipsum ex Tridentino confirmatur *sess.* 14. *cap.* 2. ubi de relapsis post baptismum ait: *hos ante hoc Tribunal tanquam reos sibi voluit, ut per Sacerdotum sententiam possent liberari*.

Contra, quam propositionem damnarunt Pontifices Clemens VIII., & Paulus V., etiam nos in omni, & quocunque sensu sive copulativo, sive diviso, damnamus: quam damnationem in sensu diviso, cum negasset Suarius ad suam probandam opinionem, debuit sua illa disputatio expurgari; cæterum Pontifices de casu moribundi à nobis adducto nullo modo fuisse locutos, certum est apud omnes; satisque declaratum per Clementem VIII. Bellarmino, & Archiepiscopo Armacano, & in Rituali Romano per Paulum V., in illis, quæ expensa sunt, verbis? Dicimus ergo nullam esse absolutionem in absentia datam, nedum præcedente confessione in absentia facta (qui esset sensus copulativus) sed etiam confessio, si præcedat præsentialiter facta (qui esset sensus divisus): nullam esse quoque confessionem Sacramentalem in absentia factam, nedum si confessario fiat, qui absens absolvat (qui sensus esset copulativus), sed etiam si confessario fiat, præsentialiter deindè absolventi (qui esset sensus divisus), dummodò ad absolutionem in absentia recipiendam, fuisset ordinata confessio: quo non obstante valet pro aliquo casu confessio Sacramentalis facta in absentia, non

verò

verò absolutio Sacramentalis; cum hæc, & non illa sit essentialiter verbalis, & in vera locutione consistat: Tridentinum de præsentia loqui relatè ad absolutionem Sacramentalem, satis verba illa ostendunt, *ut per Sacerdotum sententiam possent liberari*.

Dices, hujusmodi confessio per nos illicita esset, ac peccaminosa, ergo & invalida; cum omnis confessio peccaminosa invalida sit, ac nulla; tum quia jam esset talis confessio iteranda. Contra, confessionem illicitam cum invalida malè confundit argumentum: sic valida est, sed illicita confessio materialiter dimidiata; quæ nedum valida est, sed etiam licita, si ex ignorantia, vel oblivione, vel ex alia impotentia fiat; hoc ipsum de confessione dicimus absenti facta per Nuntium, vel epistolam; quæ confessio si esset per se nulla, nunquam valida esse posset; sic semper nulla est Sacramentalis absolutio, si detur absenti; & nulla sunt Sacramenta, si debita materia, vel forma, vel intentio Ministri deficiat; attamen confessionem peccaminosam invalidam esse, verum est, si de confessione formaliter peccaminosa loquamur, secus autem de materialiter solum peccaminosa: sic nulla esset confessio materialiter dimidiata, si appositè fiat. Hujusmodi tamen confessio absenti facta, adhuc iteranda esset, non quia invalida esset, ac nulla; sed quia ejus validitas non est communissimè certa, quam solam sequi possumus, cum de valore agitur Sacramentorum; ut latiùs infra dicemus.

Confessio facta in scriptis Sacerdoti præsenti, satis est, si dicas deinde, *de omnibus his peccatis me accuso, & peto absolvi*: communissima est Theologorum sententia cum La Croix, & Gonet; cum confessio sit ratificata verbis; adeoque moraliter verbalis: sed faciendum hoc non esse sine gravi causa, communis est sententia cum Bosco, & Gormaz: cum sit contra communem Ecclesiæ praxim; quam gravem in hoc inducere obligationem, ait Viva, cum in materia sit gravi: quod à fortiori verum est, si verba illa non addantur; ut communiter cum Palao, Filliucio, Coninch, & Suario tenent; puellam maximè in verbali confessione erubescentem, communiter excusant; sed quod in his verbis dicendo, *peto de omnibus his peccatis absolvi*, tantus sit pudor, est moraliter impossibile; ut cum aliis notant La Croix *nu.*1197. Escobar, Gormaz.

Absolutionis forma (quam & multæ comitantur orationes in Rituali Romano omnes expressæ) hæc est: *Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: addunt aliqui, *ab omnibus peccatis tuis*; sed obstat communis Ecclesiæ praxis, & Rituale Romanum. Trinitatis invocationem non esse de Sacramentalis absolutionis essentia, est communissimè certum cum Divo Thoma 3. *part. qu.*84. *art.*3., siquidem in institutione baptismi, secus autem in institutione Sacramenti Pœnitentiæ Christus illam expressit: neq; obstat absolutionem etiam sensibiliter dandam esse Christi nomine, & auctoritate, nam hoc, etiam expressione illa præcisa, satis habetur; cum apud fideles omnes verba illa in talibus prolata circumstantiis alium nequeant habere sensum. Invocationem Sanctissimæ Trinitatis in absolutionis forma omitti non posse sine gravi culpa, affirmant Granados, Felix Potestas, aliique pauci: sed communissimè negant Theologi

cum Prado, Salmanticensibus, Henno, Platellio; cum nulla sit ratio gravem hanc culpam asserendi. Illam omitti non posse sine culpa, saltem veniali, tenent alii cum Henno, Platellio, Viva, Clericato, Catalano, Giribaldo, Aversa, Bonacina, Castropalao.

Sed Prado, Marin, Gonet, Dicastillo, Salmanticenses Scholastici, & communius negant; cum nulla sit ratio, talem admittendi obligationem; laudabilis est praxis, & consuetudo Ecclesiæ, in absolutione illam adhibere Sanctissimæ Trinitatis invocationem, non quidem necessaria, sed libera, ut sunt aliæ plures, ex: gr: in ingressu Ecclesiæ lustrali aqua signari; feria quarta cinerum cineribus aspergi &c. quod si Ecclesiæ consuetudo, ac praxis in materia Sacramentorum in casu aliquid evinceret, non levem, sed gravem potius induceret obligationem; cum non levis esset materia, sed gravis; idemque de eo dicendum, qui pronomen *Ego* in absolutione omitteret, quem à peccato etiam veniali omnes excusant; dummodo secluso contemptu talis fieret omissio: neque obstat Concilium Moguntinum *cap.* 24. dum hanc absolutionis formam Sacerdotibus præscribit: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: nam Concilium ut non solum essentialia, sic neque necessaria solum, sed etiam ea, quæ laudabiliter adduntur verba, insinuare intendit. Auctoritas accedit Divi Thomæ expresse hanc sententiam probantis in 3. *par. qu.* 84. *artic.* 3. in solutionem ad 3. per hæc verba: *quia tamen Sacerdos sicut Minister absolvit, convenienter apponitur aliquid, quod pertineat ad primam auctoritatem, Dei scilicet, ut dicatur: Ego te absolvo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, vel per virtutem passionis Christi &c., quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in baptismo, talis appositio relinquitur arbitrio Sacerdotis*. Non ergo Sanctissimæ Trinitatis invocatio absolutioni essentialis est, vel necessaria, sed solum convenienter apponitur, & ad arbitrium relinquitur confessarii, *relinquitur arbitrio Sacerdotis*: adeoque & illam omittere nullum est peccatum, neque veniale.

Petes, quinam sit sensus verborum absolutionis, *Absolvo te à peccatis tuis?* Respondetur, hunc esse verborum sensum, *Remitto tibi peccata tua*; seu Christi nomine, & auctoritate; quæ confessus es peccata post baptismum commissa, tibi remitto: est enim allatus sensus magis obvius, ac naturalis, sive humanam respicias verborum institutionem, ut patet, sive ad institutionem Christi attendas, qui absolvendi potestatem his instituit, contulitque verbis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, communior hæc est sententia cum Sporero *num.*603., Platellio à *num.* 811. Dupasquier, Henno, Mastrio, Lugo. Nec ideo falsa esset absolutio, si peccata fuissent ante remissa; cum non ut remissa, sed ut commissa absolvantur peccata; ut enim peccata etiam remissa, quia mala sunt commissa, pluries, ac pluries detestari possunt, & voluntariis castigationibus puniri; de quibus & infinities dolere possumus; juxtà illud Davidis de suo peccato jam remisso dicentis: *peccatum meum contra me est semper; tibi soli peccavi, & malum coram te feci &c.* sic pluries, & pluries absolvi possunt, ac remitti: peccata quæ non sunt, remitti non possunt, si nec unquam fuerunt; aliàs ut semper detestari possunt, cum semper malum sit, Deum aliquando offendisse, sic & sem-

semper remitti. Peccatum fuisse commissum, semper malum est, esto malum non sit semper durans; adeoque malum est detestabile semper, ac remisibile; sicuti Deum fuisse amatum, semper bonum est, esto bonum semper durans dici non possit. Vincula, quæ non sunt, solvi non possunt, si vincula sint physica; secus verò, si moralia sint. Quod remittitur peccatum, præsens esse debet, non quidem in se, sed judicialiter, & ratione confessionis. Aliorum nunc sententias audiamus.

Cum Magistro sententiarum quidam dixerunt Antiqui, verborum absolutionis hunc sensum esse: *declaro te à peccatis absolutum*: sed damnata hæc est sententia in Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.*6., *&* *can.*9. dicente; *si quis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, anathema sit*. Et quidem meritò damnata est; cum ex Scripturis, Patribus, & Conciliis constet oppositum; ut latè cum aliis hic probat Boucat *art.*7.*sect.*3., non enim Christus ait, *quorum peccata remissa declaraveritis*; sed *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, Joannis 20. Sacerdotes peccata remittere, una est locutio Patrum; Origenes, Cyprianus, Athanasius, Hilarius, Chrysostomus, Cyrillus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius Magnus, una voce testantur; satis notabilia sunt S. Cypriani verba *epist.*2.*lib.*1., ibi, *ipse legem dedit, ut ligata in terra, & in Cœlis ligata essent; solvi autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia solverentur*; Et S. Hilarius *in cap.* 16. *Matthæi*; *o Beatus Cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur; cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in Cœlo; ut quæ in terris aut ligata sunt, aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant & in Cœlo*. Item Concilia tradunt Sacramenti Pœnitentiæ hanc esse formam. *Ego te absolvo &c.* Tridentinum *sess.*14.*cap.*3., & Florentinum in decreto Eugenii; secus autem, *Ego te absolutum declaro*. Neque obstat, solum Deum peccata remittere, & gratiam conferre: cum utrumque faciat, Deus principaliter, & auctoritate propria; homo verò ministerialiter, & auctoritate Dei: sic Scholastici, ac Polemici omnes cum de Sacramento Pœnitentiæ.

Alii dicunt, sensum esse absolutionis; *tibi gratiam confero per absolutionem*: contra, gratia sanctificans medium est, quo remittuntur peccata; sed medium non est verbis illis expressum: non enim Christus ait, *quibus gratiam conferetis*, sed, *quorum remiseritis peccata*. Alii tenent, sensum esse verborum, *tibi pœnam remitto peccatorum*: contra, pœnam remittit absolutio, secundario solum, non principaliter; cum non sit verbis expressum, neque Christus ait, *quorum remiseritis pœnam*, sed *quorum remiseritis peccata*: Alii sensum esse fatentur; *Libero te ab obligatione iterum hæc peccata confitendi*; vel quid simile: contra de venialium absolutione hic sensus verificari non potest; cùm nulla sit obligatio venialia confitendi; idemque dicendum de mortalium absolutione, quæ jam fuerant subjecta clavibus. Item etiam hoc admisso absolutionis effectu; adhuc non esset hoc verbis expressum: non ait Christus, *quos liberaveritis ab obligatione iterum confitendi &c.*; sed *quorum remiseritis peccata &c.*: hic ergo, & non alius sensus esse debet absolutionis.

AR-

ARTICULUS II.

An valida sit Sacramentalis absolutio his solis collata verbis, absolvo te.

AN peccatorum expressio per ly *a peccatis tuis* essentialis sit absolutioni, magna est inter Auctores concertatio; affirmant Salmanticenses Scholastici *disp.3. dub.3.* La Croix *à num.633.*, Gormaz, Martinonus, Perez, aliique cum nostris Verano, & Pasqualigo. At communissima Theologorum sententia negat; sic Theologi 42. quos distinctissimè refert, ac sequitur Diana *tom.1. tract.4. resol.5. ex par.11. tract.6. resol.11.*, Giribaldus *cap.3. dub.1.*, Madernus, Salmanticenses Morales, Contensonius, Labat, & Thomistarum communis cum Gonet *disp.12. art.1.*, Henno, Frassen, Dupasquier, Mastrius, Brancatus, Reiffenstuel, & Scotistæ omnes cum Sporero *num.594.*, Marin *disp.6. sect.2.*, Platellius, Viva, Rhodes, Illsung, Busembau, Dicastillo, Catalanus, Tournely, & communissima Recentiorum apud La Croix *num.631.*, quam sententiam *certam* vocat Tamburrinus; *omninò certam* Escobar; *certissimam* doctissimus Suarez *disp. 10. de censuris sect. 2. num. 7.* Communissimam hanc sententiam libenter & nos probamus.

Ratio desumitur ex Conciliis generalibus, & communissimo Ecclesiarum sensu: siquidem Concilium generale Florentinum in decreto Eugenii, seu potiùs Eugenius in decreto Armenorum (quod Sacro approbante Concilio factum est, ut ibi dicitur, *Sacro hoc approbante Florentino Concilio*) formam assignans Sacramenti Pœnitentiæ, non alia expressit verba, quàm *Ego te absolvo*, additque *& cætera*; sicque expressè tradit quæ sunt essentialia formæ; confusè verò, quæ vel de præcepto, vel laudabiliter addi solent; Item Florentinum per ly *& cætera* additum Sacramentorum formis, designare non solet quæ sunt essentialia formæ; sic cum de Sacramento agit extremæ unctionis, dicit, *Forma hujus Sacramenti est hac: Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum, & cætera*; & similiter in aliis membris; ubi non ly *& cætera*; sed priora verba expressa, quæ sunt formæ essentialia, tradunt: Cum ergo Concilium de Sacramento Pœnitentiæ dicit; *Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, qua Sacerdos profert, cum dicit, Ego te absolvo, & cætera*; non ly *& cætera*, sed solum præcedentia verba expressa, ea tradunt, quæ sunt essentialia formæ: non ergo peccatorum expressio, seu ly *à peccatis* est de absolutionis essentia, sed solum *Absolvo te*.

Concilium Tridentinum *sess.14.cap.3.* dicit, *Formam hujus Sacramenti, in illis Ministri verbis positam esse, Ego te absolvo &c.* ubi non alia tradit verba pro absolutionis essentia, quàm *Ego te absolvo* addito ly *& cætera*; sicque verbis expressis tradit quæ sunt essentialia formæ, confusè verò quæ essentialibus adduntur. Item quibus verbis Florentinum tradit absolutionis formam, tradit etiam Concilium Tridentinum; atqui Florentinum, ut visum est, in illis verbis *Ego te absolvo* tradit adæquatam absolutionis essentiam, independenter à ly *& cætera*; ergo Tridentinum in illis verbis *Ego te ab-*

te absolvo adæquatam absolutionis tradit essentiam independenter à ly *& cætera*: non ergo peccatorum expressio per ly *à peccatis*, est de absolutionis essentia. Nec dicas, Tridentinum per ly *& cætera* additum Sacramentorum formis, designare solet quæ sunt essentialia formæ: sic cum de Sacramento agit extremæ unctionis *sess.* 14. *cap.*1. dicit, *formam deinde esse verba illa, per istam unctionem & cætera*, ubi ly *& cætera* essentialia certissimè designat: idem ergo dicendum de ly *& cætera* in absolutionis forma. Contra, necessitatem formæ deprecativæ probat hoc argumento Morinus; negandum ergo suppositum antecedentis; non enim in illis Tridentini verbis forma traditur Extremæ Unctionis; cum nulla ibi tradatur propositio significativa, & nulla sit in illis verbis significatio, *per istam unctionem*, & nulla propositio; sed solum illius Sacramenti forma indicatur, & quæ satis in Concilio Florentino supponitur expressa: non sic de absolutionis forma dicendum; quam Tridentinum verbis tradit expressis independenter à ly *& cætera*; & quidem iisdem omninò verbis expressis, quibus Florentinum tradit adæquatam absolutionis essentiam. Dices quid ergo Tridentinum intelligit per ly *& cætera*? verba illa intelligit quæ dicuntur ante preces, sed non sunt essentialia formæ, nempè ly *à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; quæ relatè ad essentialia per Concilium eodem modo se habent.

Conciliorum mentem, ut & communem Ecclesiarum sensum in Romano Cathechismo satis expressè habemus; cum mandante Sacro Concilio Tridentino compositus fuerit; Summorum Pontificum Pii V., & Gregorii XIII. auctoritate pro Fidelium instructione editus, ac confirmatus; ab innumeris quoque Synodis, & peculiaribus Ecclesiis ad idem probatus, usuque receptus: hæc habet Romanus Cathecismus de Sacramento Pœnitentiæ *num.*14., *est autem forma, Ego te absolvo: quam non solum ex illis verbis licet colligere, quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælis: sed ex eadem Christi Domini doctrina ab Apostolis traditum accepimus. Ac quoniam Sacramenta id significant, quod efficiunt; & illa verba Ego te absolvo, ostendunt, peccatorum remissionem hujus Sacramenti administratione effici; planum est, hanc esse Pænitentiæ perfectam formam: sunt enim peccata tanquam vincula, quibus constrictæ animæ tenentur, & ex quibus Pænitentiæ Sacramento laxantur.* Ubi vides verba illa *Ego te absolvo*; & quidem omni addito secluso (cum neque ly *& cætera* Catechismus apponat) esse completam formam essentialem Sacramenti Pœnitentiæ, cum his solis verbis assignatis, dicat, *planum est, hanc esse Pænitentiæ perfectam formam*; idque tum ex divina institutione, tum quia illa verba, *Ego te absolvo, peccatorum remissionem ostendunt, & Sacramentorum forma id significant, quod efficiunt*. Hæc ergo mens Conciliorum, hic communis Ecclesiarum sensus: quem sequens Rituale Cameracensis Ecclesiæ editum anno 1622., expressè dicit ly *à peccatis* non esse de necessitate Sacramenti.

Quæ docent Concilia Florentinum, ac Tridentinum, & Romanus Catechismus, longè ante docuerat Angelicus Doctor 3. *parte qu.* 84. *artic.* 3., ubi quærens, *utrum hæc sit forma hujus Sacramenti, Ego te absolvo*; respondet affirmativè, tandem concludens; *unde patet, quod hæc est convenien-*

mientiſſima forma hujus Sacramenti, *Ego te abſolvo*, quid clarius? eadem habet in quartum *ſentent. diſt.22. qu.2. art.2.quæſt.2.*, *& 3. & opuſculo 22.*, quod verò Angelicus Doctor de forma loquatur eſſentiali adæquata, tum ex allatis verbis innoteſcit, in quibus dicit, abſolutionem in illis verbis conſiſtere *Abſolvo te*, & quidem omni addito ſecluſo; cum neque ly *& cætera* apponat; tum quia hoc eodem modo, iiſdemque verbis quærit, ac reſolvit de formis eſſentialibus adæquatis aliorum Sacramentorum; ſic *3.part.qu.66. art.5.* hoc modo quærit de forma baptiſmi, *utrum hæc ſit conveniens forma baptiſmi*, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; affirmativè reſpondet, ac tandem concludit; *unde hæc eſt conveniens forma baptiſmi*, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; eodemque modo loquitur, cum de formis eſſentialibus adæquatis aliorum Sacramentorum agit. Nec dicas, Angelicum Doctorem *cit.artic.3.* non loqui de forma eſſentiali adæquata abſolutionis; hanc enim ibi comparat cum his verbis formæ baptiſmi, *Ego te baptizo*, ut ergo certum eſt ex Divo Thoma non conſiſtere ſolis in his verbis eſſentialem adæquatam formam baptiſmi; ſic neque in illis verbis *Abſolvo te* conſiſtit eſſentialis adæquata forma abſolutionis; tum quia per allata verba formam deprecatoriam, non alia verba eſſentialia formæ Angelicus Doctor excludere intendit. Contra, de forma eſſentiali adæquata ſermonem ibi eſſe, nullus eſt dubitandi locus: comparat illa verba *Abſolvo te* cum aliis *Baptizo te* relatè ad auctoritatem Miniſtri acceptam à Chriſto; ſecus verò in ordine ad eſſentialis formæ adæquationem; cum ſtatim addat, alia verba eſſentialia eſſe baptiſmo ex divina inſtitutione, ſecus autem abſolutioni; ibi, *quia verò non eſt hoc determinatum ex verbis Chriſti* (de expreſſione loquitur Sanctiſſimæ Trinitatis) *ſicut in baptiſmo, talis appoſitio relinquitur arbitrio Sacerdotis*: ubi vides omnia eſſentialia verba expreſſa, tum relatè ad abſolutionis formam, tum relatè ad baptiſmum. Abſolutionem deprecatoriam illis verbis, *Ego te abſolvo* excludere intendit Doctor Angelicus, ſed eſſentialem formam adæquatam; aſſignando alias nihil probaſſet: cum allata verba jam eſſent eſſentialiter inſufficientia; adeoque per formam deprecativam eſſentialiter complenda.

Tandem eſſentialem formam adæquatam Sacramenti Pœnitentiæ conſiſtere in his verbis, *Ego te abſolvo*, efficaciſſima ratione probatur, quam Romanus adducit Cathechiſmus, cum dicit: *quoniam Sacramenta id ſignificant, quod efficiunt*; *& illa verba*, *Ego te abſolvo*, *oſtendunt*, *peccatorum remiſſionem hujus Sacramenti adminiſtratione effici*; *planum eſt*, *hanc eſſe pœnitentiæ formam perfectam*: *ſunt enim peccata &c.* Siquidem illa verba *Ego te abſolvo* in illis dicta circumſtantiis, non aliud ſignificare poſſunt, quam peccatorum remiſſionem, & abſolutionem à peccatis, tum ex inſtitutione Chriſti, tum ex communi ſenſu Eccleſiæ: ut enim pro circumſtantiis collationis baptiſmi ly *baptizo*, aliud ſignificare non poteſt, quam Sacramentalem ablutionem, atque emundationem à ſorde originalis peccati; & pro circumſtantiis conſecrationis, ly *Corpus meum*, non aliud ſignificare poteſt, quàm Corpus Chriſti: ſic & pro circumſtantiis Sacramentalis confeſſionis, ly *Abſolvo te* non aliud ſignificare poteſt, quàm peccatorum remiſſionem, & abſolutionem à peccatis; & ſanè iniquus eſſet qui Sacerdotem

videns,

videns, sic baptizantem, consecrantem, absolventem; in alio sensu allata verba sumeret; ut ergo ly *Absolvo te* principalem effectum Sacramenti Pœnitentiæ adæquatè significat, sic & illius formam essentialem adæquatissimè constituit

Dices, verba illa, *Ego te absolvo*, non satis peccatorum remissionem significant; cum de se indifferentia sint ad significandum absolutionem à peccatis, vel à censuris, à culpa, vel à pœna; non ergo principalem effectum Sacramenti Pœnitentiæ satis determinatè significant; non ergo possunt esse essentialis forma adæquata Sacramenti Pœnitentiæ; cum Sacramentorum formæ causent, quod significant.

At Adversariorum Achilles nobiliores Sacramentorum formas aggreditur; & ab ipsis tum in aliis Sacramentorum formis, tum in ipsa ab omnibus admissa Sacramentali absolutione solvi debet; erit ne insufficiens forma baptismi, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti?* cum ly *baptizo* de se,& ratione sui indifferens sit ad ablutionem corporalem, & spiritualem, naturalem, & supernaturalem, materialem, seu physicam, & Sacramentalem, seu ad emundationem à sorde originalis peccati; nonnè potest mater ad honorem Sanctissimæ Trinitatis singulis diebus proprium abluere infantem, dicendo, *Ego te abluo*, vel (quod idem est) *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti?* Insufficiens erit ipsa consecrationis forma, *Hoc est enim Corpus meum*; cum ly *Corpus meum* de se, & ratione sui indifferens sit ad significandum Corpus Christi, vel cujuscunque Sacerdotis consecrationem proferentis; quid enim si Sacerdos ly *Corpus meum* de suo corpore intendat? Insufficiens erit absolutio hæc Sacramentalis, *Absolvo te à peccatis tuis in nomine Patris &c.*; cum ly *à peccatis tuis* sit ratione sui indifferens ad significandum peccata confessa, vel non confessa, reservata, vel non reservata, post baptismum, vel antè commissa; & ly *Absolvo te* indifferens sit ad potestatem significandam naturalem, vel supernaturalem, ministerialem, vel principalem; & forma Sacramenti, tum effectum, tum subjectum, ac Ministrum saltem implicitè significare debet: patet hoc in forma baptismi, de qua hæc est ab Alexandro VIII. damnata propositio in ordine 27.; *valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus in nomine Patris &c. prætermissis illis, Ego te baptizo &c.*; & longè ante Alexander III. definierat, rescribens ad Pontium Episcopum Claromontanum, & habetur in *cap. 1. de baptismo &c.* per hæc verba: *si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris &c., & non dixerit, Ego te baptizo &c. non est puer baptizatus*: quid ad hæc Adversarii? illorum responsio, erit quoque nostra. Dicendum ergo per illa verba *Absolvo te*, non semper, sed pro determinatis circumstantiis, de se, & ratione sui peccatorum remissionem significari, & absolutionem à peccatis; qui significandi modus cæteris etiam Sacramentorum formis, omnibus fatentibus, communis est.

Redices, quæ adducitur instantia de forma baptismi, & consecrationis, nulla est; cum illæ sint formæ à Christo Domino ultimò determinatæ; adeoque sufficientes ad proprium effectum significandum. Item si sufficeret ratione circumstantiarum *Absolvo te*, sine alia expressione peccatorum per ly *à*

N pec-

peccatis, etiam fatis erit ratione circumftantiarum *Abfolvo*, fine alia expreffione perfonæ abfolutæ per ly *te*; ut fi hominem jam confeffum digito demonftrarem, dicendo *Abfolvo*: & ficuti nullum manet dubium, quod *Abfolvo te*, præcedente confeffione Petri, abfolutionem fignificet à peccatis; fic nulli dubium eft, quod verbum *Abfolvo*, Petri confeffione præcedente, fignificet Abfolutionem Petri: fufficere autem ly *Abfolvo* nullus admittet.

Contra eft, inftantia de formis aliorum Sacramentorum nulla eft, fed quæ Adverfariis faveat; at noftrum mirè probat intentum: quod fint à Chrifto Domino illæ formæ ultimò determinatæ, Adverfariorum argumenta nulla effe oftendit; cum etiam Sacramentorum formas à Chrifto ultimò determinatas aggrediantur, Sacramentalem abfolutionem in iis impugnando, quæ funt illis etiam formis communia. Chriftus inftituit Sacramentorum formas fignificare quod efficiunt; idque maximè in formis à se ultimo determinatis oftendit: femper ac ergo abfolutio Sacramentalis, & ly *Abfolvo te* non minus fuum fignificat effectum, nempè remiffionem peccatorum; quam forma baptifmi, & confecrationis forma proprium fignificant effectum; jam totam habet, quam habere debet, fignificationem. Quæ adducitur paritas inter ly *Abfolvo*, & *Abfolvo te*, ad utranque formam infufficientem, vel utranque fufficientem probandam, nihil evincit: cum iterum Sacramentorum formas à Chrifto ultimò determinatas aggrediatur: nonnè quis de forma baptifmi inter ly *baptizo*, & *baptizo te*, eandem inducere poffet paritatem? Dicendum ergo fubjectum fpecialiter fignificandum effe in Sacramentorum formis, Chrifto fic inftituente; & ficuti fignificare pro determinatis circumftantiis, fatis eft formæ baptifmi relatè ad proprium effectum, fecus autem relatè ad fubjectum, feu perfonam baptizatam; fic & in Sacramentali abfolutione, fignificare pro determinatis circumftantiis, relatè ad proprium effectum fatis eft, fecùs relatè ad fubjectum, feu perfonam abfolutam. Pro cafu faltem neceffitatis fufficere ly *Abfolvo* putant Sotus, & Illuftrifs. Verde, ac probabile dicit Arriaga; imò & fatis effe, fi pœnitenti poft confeffionem dicenti numquid me abfolvis? refpondeat confeffarius *ita*; putat Martinez apud Haunvoldum, & La Croix: fed contra communem omnium fenfum loquuntur; & ex datis rationibus audiendos non effe, puto.

Redices iterum, Chriftus cum Pœnitentiæ Sacramentum inftituit Joannis 20., expreffam fecit peccatorum mentionem, dicens *quorum remiferitis peccata*; eft ergo in abfolutione etiam expreffa peccatorum mentio facienda; ficuti ex quo Chriftus expreffam tunc fecit mentionem perfonæ abfolutæ, eft illa fpecialiter in abfolutione exprimenda; & ex quo cum baptifmum inftituit, fpecialiter fecit Chriftus mentionem Dei Unius, & Trini, Sanctiffimæ Trinitatis expreffio eft de effentia formæ baptifmi.

Contra eft, iterum Sacramentorum formas, quas ultimò determinavit Chriftus, aggreditur argumentum: cum non omnia quæ Chriftus in inftitutione alicujus Sacramenti expreffit, fint in illius forma effentialiter exprimenda; omnia ne quæ Chriftus exprefsit, cum Sacramentum inftituit Euchariftiæ, effentialia funt formæ confecrationis? quis unquam hoc dixit? In confecratione corporis fui hæc Chriftus exprefsit prima *ad Corinth.* 11.,

Ac-

Accipite, & manducate: *hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur*: ſunt ne etiam verba iſta, *quod pro vobis tradetur*, de eſſentia conſecrationis Corporis Chriſti; ut Græci quidam Schiſmatici ex hac ipſa ratione contendunt? Item in conſecratione Sanguinis, Chriſtus hæc expreſsit, Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes*: *hic eſt enim Sanguis meus &c.* erunt ergo, tum illa cauſalis *enim*, tum verba illa *Bibite ex hoc omnes*, conſecrationi ſanguinis eſſentialia? cum omnia illa in hujus Sacramenti inſtitutione Chriſtus expreſſerit. Dicendum ergo non omnia, quæ Chriſtus expreſsit in Sacramenti alicujus inſtitutione eſſe de eſſentia formæ illius Sacramenti, ut patet: uti nec omnia, quæ in inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ expreſsit, de eſſentia ſunt abſolutionis Sacramentalis; neque omnia quæ in inſtitutione baptiſmi expreſsit verba ſunt eſſentialia baptiſmo; aliàs verba concionatoria, & inſtructiva, ut Calviniſtæ contendunt, eſſentialia eſſent baptiſmo; cum Chriſtus inſtitutionem baptiſmi promulgando, ac docendo, expreſsè dixerit, Matth. 28. *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.*; & verba *Accipite Spiritum Sanctum*; eſſentialia eſſent Pœnitentiæ Sacramento; cum illa in hujus Sacramenti inſtitutione Chriſtus expreſſerit, Joannis 20., ibi, *dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta ſunt*: Item de eſſentia eſſet Sacramenti Pœnitentiæ nedum abſolvere, ſed etiam retinere, cum æqualiter utrumque Chriſtus in inſtitutione ipſa expreſſerit. Non ergo quæ in inſtitutione Sacramentorum Chriſtus expreſsit, omnia ſunt illorum formis eſſentialia; ſed ea ſolum, quæ ut eſſentialia Sacramento expreſſit, & quæ in Sacramento conficiendo voluit exprimenda; quæ verò hæc ſint, Patres, Concilia, Cathechiſmi, & communis ſenſus Eccleſiæ docent.

Hinc ad argumentum eſt illatio neganda: ad probationem dico, ly *te* in abſolutione, & Sanctiſſimæ Trinitatis invocationem in baptiſmo, ſpecialiter exprimenda eſſe; cum illa in inſtitutione, ut eſſentialia Chriſtus expreſſerit, & in conficiendis illis Sacramentis voluit exprimenda: item illorum verborum: *quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta ſunt*, hic eſt ſenſus: *quorum retinueritis peccata, retenta ſunt eis*; *quorum remiſeritis, remiſſa ſunt*; hæc autem verba certè nullam in abſolutione important peccatorum expreſſionem: quam abſolutionem certè Chriſtus figuravit, cum Joannis 8. mulieri adulteræ dixit, *Nemo te condemnavit? nec ego te condemnabo*. Item admitto, per illa verba peccatorum expreſsionem ut Sacramento Pœnitentiæ eſſentialem Chriſtum inſtituiſſe; quid inde? ut eſſentialem relatè ad Pœnitentiæ Sacramentum, cum omnibus admitto; eſt enim eſſentialis peccatorum expreſsio per confeſsionem; ut eſſentialem relatè ad Sacramentalem abſolutionem; eſt cum communiſsima Theologorum ſententia negandum; ſiquidem non duplicem peccatorum expreſsionem, ſed unam in Sacramento Pœnitentiæ, ejuſque inſtitutione Chriſtus faciendam eſſe docuit: eſtque illorum verborum ſenſus, *quos abſolveritis verè pœnitentes, & peccata ſua confeſſos, abſolvo*; in quibus eſſentialem Sacramento Pœnitentiæ vides peccatorum expreſsionem, non quidem in abſolutione, ſed in confeſsione faciendam.

Dices, in forma Extremæ Unctionis verba illa *quidquid deliquisti* sunt essentialia formæ, nec dicere sufficit, *per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Deus*; & hoc ratione sui, ut fiat expressa mentio peccati; ergo multo magis ly *à peccatis*, de essentia est absolutionis Sacramentalis, quæ per se, ac directè est ad remissionem peccatorum, & forma est pœnitentiæ, quæ Sacramentum est mortuorum.

Contra est, formam baptismi hæc aggreditur oppositio; cum etiam Sacramentum sit mortuorum, adeoque peccati remissio esset à fortiori in ejus forma exprimenda: directè ly *quidquid deliquisti*, de essentia esse formæ extremæ unctionis, multi cum Bosco negant, inquientes sufficienter esse in verbis illis contentum, *Indulgeat tibi Deus*: sed hoc omisso, nego consequentiam; quam nullam esse etiam in Sacramento ipso baptismi ostendimus: peto simul ab Adversariis, cur ly *quidquid deliquisti* essentiale sit formæ extremæ unctionis? respondent, quia communissimè Theologi docent, & inter essentialia formæ, tum à Romano Cathechismo, tum à Florentino expressis verbis enumeratur: at ex hoc ipso ly *a peccatis* non est de essentia formæ Sacramenti Pœnitentiæ; cum ut in allatis est videre probationibus, communissimè Theologi hoc doceant; & inter essentialia formæ Sacramenti Pœnitentiæ, sive à Romano Catechismo, sive à Concilio Florentino, sive à Concilio Tridentino ly *à peccatis* non sit expressum. Neque mirum per formam extremæ unctionis exprimenda esse peccata, secus verò per formam Sacramenti Pœnitentiæ; cum hæc forma, & non illa, de se, ac ratione sui pro materia Sacramenti supponat peccata jam per confessionem expressa; neque Christus in institutione Sacramenti Pœnitentiæ duplicem peccatorum expressionem, sed unam in hoc Sacramento faciendam requirat.

Redices, etiam peccatorum expressionem in ipsa absolutione Sacramentali faciendam, in Conciliis expressam habemus; uti videre est in Concilio Moguntino *cap.24.*, & Concilio Cabilonensi in Enchiridion titulo *de Pœnitentia*; hoc enim præscribit hanc absolutionis formam, *Absolvo te à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; idem habet Moguntinum. Imo sufficientiam hujus formæ, *Absolvo te* non amplius defendi posse videtur; cum hæc propositio inter sexaginta quinque in ordine prima ab Innocentio XI. damnata fuerit die 2.Martii anno 1679. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore &c.*; certum autem est oppositam opinionem esse nostra tutiorem.

Contra, sunt nè omnia illa verba de absolutionis essentia, *à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti?* si affirmas; ergo etiam ly *tuis*, & Trinitatis expressio, sunt de absolutionis essentia: si negas; ergo neque peccatorum expressio per ly *à peccatis*, de essentia erit absolutionis: quod si respondeas, ly *à peccatis* esse de essentia; quia cum illis ponitur verbis essentialibus, *Absolvo te*: dicam, essentiale non esse; quia cum illis ponitur verbis accidentalibus, *tuis*, *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*; cum ergo non de solis essentialibus formæ absolutionis hæc loquantur Concilia; sed etiam de accidentalibus; nullum pro essentiali-

bus

bus formæ ab illis desumi potest argumentum. Quod contra sufficientiam essentialem illorum verborum *Absolvo te* de propositione opponitur damnata, ad rem non facit: dicimus ne, in absolutione Sacramentali licitum esse etiam solis illis verbis uti *Absolvo te?* nequaquam; sed solum hæc verba totam Sacramentalis absolutionis essentiam continere? licitam non dicimus, sed validam collatam his verbis absolutionem *Absolvo te*; & quidem à licito longè distat validus Sacramentorum usus; nonnè per omnes illicitum est, sed validum in statu peccati mortalis Sacramenta conficere? valida est, quamvis illicita collata in statu peccati mortalis absolutio. Hinc cum illorum verborum *Absolvo te*, opponitur insufficientia post damnatam illam propositionem; fit satis, totum admittendo de insufficientia quoad usum licitum, inculpabilem, honestum; & de qua solum damnata loquitur propositio, ut in illis verbis clarum est, *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore*; est ergo illicitum solis verbis illis absolvere, *Absolvo te*: at de insufficientia valoris, ac essentiæ, totum est ex datis rationibus, & communissimo Theologorum sensu negandum. Qui solis illis verbis absolveret, peccaret quidem, sed validè absolvendo peccaret.

Redices iterum, si peccatorum expressio per ly *à peccatis* non esset de absolutionis essentia, etiam sine peccato posset omitti; sic quia Trinitatis expressio non est de absolutionis essentia, etiam sine culpa omitti potest: ergo si verba illa, *Absolvo te* sufficiunt ad valorem absolutionis, etiam ad licitum usum sufficere debent. Item in forensi judicio criminis absolvendi, vel condemnandi expressa fit mentio; idem ergo de Sacramentali judicio dicendum.

Contra est; ergo illa verba, *Accipite, & manducate ex hoc omnes* in consecratione corporis; & alia, *Accipite, & bibite ex eo omnes*, in consecratione calicis, vel de essentia sunt consecrationis, vel liberè possunt omitti? Certè neutrum Adversarius admittet; negata igitur sequela, causalem nego probationis: sine peccato Trinitatis expressio potest in absolutione omitti, non solum quia non est de absolutionis essentia; sed etiam quia non esse de essentia, est communissimè certum; estò paucissimi sint in oppositum cum Aureolo, Durando, & Llamas; nec ullum extat de hac expressione præceptum: sic etiam possunt sine peccato in absolutione aliæ preces omitti (etsi Theologi non desint cum Morino asserentes, etiam hodie essentialiter deprecatoriam esse absolutionem Sacramentalem) cum preces non esse de absolutionis essentia sit communissimè certum: non sic de peccatorum expressione dici potest relatè ad absolutionem, essentialem non esse efficacissimè probatum est; communissima est Theologorum sententia, quam alii *certam*, alii *certissimam* dicunt: sed communissimè certa dici non potest; cum illam certam esse communiùs negent; non ergo posset sine gravi culpa omitti; cum sine periculo nullitatis Sacramenti omitti non possit; non enim certum est, omissa peccatorum expressione, validam esse Sacramentalem absolutionem. Theologi non desunt asserentes cum Leandro, omissionem illam nullum esse peccatum; sed audiendos non esse, adducta ratio probat.

Quam

Quam adducunt paritatem de judicio forensi, solvere ipsi debent; si dicas, etiam reo non confesso, forense judicium fertur; ergo etiam judicium Sacramentale; in judicio forensi omnia, & singula sunt specialiter exprimenda delicta; ergo etiam in absolutione Sacramentali; in forensi judicio valet sententia lata in scriptis, lata in absentem, lata in reum contumacem; ergo valet absolutio Sacramentalis lata in scriptis, lata in absentem, lata in contumacem: idem ergo de Adversariorum argumento dicendum; in judicio forensi sunt exprimenda crimina; ergo etiam in absolutione Sacramentali: non enim paritas inter hæc judicia, quoad omnia tenet.

ARTICULUS III.

An Sacramentalis absolutio in precibus consistere possit, seu an valida hæc fuerit aliquando absolutio deprecativa Absolvat te Deus.

SAcramentalis absolutio deprecativa, seu verbis data deprecativis, an valida sit, quærunt Theologi: Affirmabat *sæculo* 13. Neotericus quidam, quem Angelicus Doctor *opusc.*22. impugnat; affirmant hodie Recentiores quidam Galliæ Scriptores, Morinus, Launoius, Jueninus, Martene, Moreri supplementum, Tournely, recentissimus Anonymus *ex ordine Prædicatorum*, aliique, contendentes, Ecclesiam ad sæculum usque 12. non alia usam fuisse forma in absolvendo, quàm deprecativa, omnem doctrinam, ac rationes ab uno Morino desumentes: sed communissima Theologorum sententia negat; quibus & peritiores in materia Theologica Galliæ Scriptores accedunt, Simonnet singula Morini solvens argumenta; Boucat principalia solvens; Contensonius, Gonet, P. Baronius, P. Nicolai, Frassen, Dupasquier, aliique passim, doctrinam rejicientes Morini: vastissimæ lectionis, magnæque eruditionis Morinus erat, interque suos commendatissimus: at non satis erat doctrinæ sanioris eruditione imbutus; cum parum in Theologicis præsertim Scholasticis versatus esset; neque mirum, cum jam studiis in Hollandia peractis, Parisios veniens, e Calvinianorum secta ad Catholicorum Castra transierit; & quidem opera doctissimi Cardinalis Perronii; ingressus deinde Congregationem Oratorii Jesu; piè tandem Parisiis anno 1659. decessit. Absolutionem deprecativam etiam nunc hodie valere, contendit Morinus; sed Jueninus, Martene, Tournely, aliique communissimè negant: cum quibus, & communi Theologorum sententia dicendum est, quod nulla sit absolutio verbis data deprecativis.

Siquidem Concilia docent, & communis fidelium sensus ostendit; Concilium Florentinum in decreto Eugenii, & Tridentinum *sess.*14. *cap.*3. cum dant formam essentialem Sacramenti Pœnitentiæ, non aliam assignant, quam *Ego te absolvo &c.* Ubi ly *& cætera* non apponitur ad includendam formam deprecativam (ut Morinus non benè contendit) sed ad illam excludendam; cum Florentinum per additum illud designare non soleat, quæ sunt essentialia formæ, ut visum est; ac Tridentinum verbis expressis deprecativam formam excludat, cum statim addat, *quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur; ad ipsius tamen formæ essentiam*

tiam nequaquam spectant; neque ad hujus Sacramenti administrationem sunt necessaria; quid clarius? Et quidem aliàs cum Sacerdos verba illa profert, *misereatur tui omnipotens Deus &c.*, vel *indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum &c.*, vel *Dominus noster Jesus Christus te absolvat &c.*, jam pœnitens esset absolutus ante verba illa, *ego te absolvo*; quod & Conciliorum doctrinæ, & communi fidelium persuasioni expressè repugnat; non enim fideles ante verba illa *absolvo te*, se putant absolutos: si verò dicas, formulas illas deprecativas non absolvere ex defectu intentionis: Contra, nonnè sacrilegium est, formam Sacramenti sine debita intentione proferre?

Dices, Græci per solam deprecativam formam absolvunt, dicendo apud Arcudium, *Domine Jesu Christe, qui dedisti nobis potestatem absolvendi, absolve hunc à peccatis suis*; vel ut apud Goarium, *Dominus Jesus Christus remittat tibi omnia, quæ coràm mea tenuitate confessus es*; vel, *relaxa, remitte, condona peccata à servis tuis istis commissa &c.*: & Clemens VIII. in instructione pro Ritibus Græcorum edita anno 1595. dicit, *in casu necessitatis Presbyteri Græci Catholici possunt Latinos absolvere: utantur formula absolutionis in generali Concilio Florentino præscripta; & posteà si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujus absolutionis dicere tantum consueverunt.*

Contra, nulla utuntur Græci, in sacramantaliter absolvendo, forma purè deprecativa; siquidem plures sunt expressè indicativæ apud Goarium Græcæ linguæ, ac Græcorum Rituum peritissimum, qui in suo Euchologio has adducit Græcorum formas, *Dominus noster Jesus Christus & Deus, qui mandatum ligandi, & solvendi peccata discipulis tradidit, prætereà omnia peccata tua: Ego verò dedignus ejus servus absolvo te ab omnibus peccatis tuis*: Item, *Dominus justus, qui propter nos carnem assumpsit, & universi Orbis peccatum tollit, delicta tua deleat; ego verò condono tibi omnia peccata tua*: Plures etiam sunt Græcorum formæ apud Arcudium natione Græcum, ac Græcorum Rituum peritissimum *lib.4. de Sacramentis cap.3.*, quarum ferè nulla est, quæ non hæc, vel similia verba importet, *habeo te venia donatum; habeo te absolutum*; quæ, teste Arcudio, idem sonant, ac *absolvo te*; nec enim ly *donatum, absolutum* præteriti sunt temporis, sed præsentis; quid significat, *habeo te segregatum, habeo te excusatum*; nisi *segrego te, excuso te?* Item nulla est Græcorum forma, quæ ministerialem potestatem absolvendi non exprimat Sacerdotis; uti videre est apud Arcudium, Goarium, Morinum, Joeninum, aliosque; cum ergo dicunt Græci in absolvendo, *absolve, remitte, condona, dimitte*, semper intelligunt *per me*, vel *per ministerium meum*; quasi dicerent, *absolve Domine principaliter quem ego ministerialiter, & tua mihi data potestate, absolvo*, ut optimè notant Henno, Contensonius, Frassen. Has Græcorum formas, *absolve, remitte, condona, dimitte &c.* Clemens VIII. pro Latinis non probat; quia non est certum verba illa eumdem habere sensum apud Latinos, quam apud Græcos habent; nec novum est, eadem signa apud diversas nationes diversas habere significationes: sic apud Europeos caput aperire signum est obsequii; oppositum est apud Orientales; apud istos latus sinistrum

nistrum honoratior est locus: oppositum apud Europeos contingit: Græcorum forma deprecativa à Clemente vocatur, sed non purè deprecativa; talis est quoad apparentiam, & quoad significandi modum, secus in se, & quoad rem significatam; cum de forma loquatur, qua Græci absolvere consueverunt.

Hinc & ulteriùs dicendum, quod in Ecclesia, sive Occidentalis sit, sive Orientalis, nulla est, nullaque semper fuit absolutio sacramentalis, verbis data deprecativis: Scriptura, Patres, Concilia, & perpetua Ecclesiæ praxis satis hoc apertè demonstrant: siquidem Christus dixit, cum Sacramentum instituit Pœnitentiæ, Joannis 20., *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: Et Matth. 18. *quacunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlis*, non autem dixit, *pro quibus petieritis*, vel *oraveritis, ut remittantur peccata, remittuntur eis*; vel *quacunque petieritis*, vel *oraveritis, ut solvantur, erunt soluta*: Et sanè, si Christus dixisset, *pro quibus petieritis; ut remittantur peccata: quacunque petieritis, vel deprecati fueritis, ut solvantur &c.*, nulla esset absolutio his data verbis, *absolvo te à peccatis tuis*; cum nulla sit hæc petitio, nulla deprecatio: Cum ergo Christus dixerit *quacunque solveritis*; & *quorum remiseritis peccata*; nulla erit absolutio verbis data deprecativis; quæ petitio est, ac deprecatio pro absolutione obtinenda, non autem sententia est judicialis absolutoria; qualis esse debet tum ex Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5., & 6., & *can.* 9. definiente hoc Sacramentum institutum esse per modum judicii; tum ex illis Christi verbis clarum est, *quacunque ligaveritis super terram, & quacunque solveritis; quorum remiseritis peccata, & quorum retinueritis &c.*, quæ judicialem explicant potestatem.

Nec dicas, satis esset, si formæ deprecativæ peccatorum remissio ex divina institutione sit infallibiliter adnexa; ut in Sacramento contingit Extremæ Unctionis. Contra, oppositores instantia torquet, cum totum hoc in Sacramento habeatur Extremæ Unctionis, in quo certè nulla est à peccatis absolutio; non ergo satis est forma deprecativa ad absolutionem à peccatis. Et quidem in sacris litteris satis diversa est institutio Sacramenti Pœnitentiæ ab illo Extremæ Unctionis: in hoc enim petendo, orando, deprecando, remissio fit peccatorum, Jacob. 5. *orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*: In illo autem remissa sunt peccata per judicialem sententiam, & absolvendo, *quacunque solveritis super terram*, ait Christus, *& quorum remiseritis peccata*; in hoc ergò nulla est forma deprecativa, ut in illo ex divina institutione nulla est forma, quæ non sit deprecativa, cum in eo petitioni solum, ac deprecationi, peccatorum remissio ex divina promissione sit infallibiliter adnexa.

Item unanimis hic est Patrum sensus: omnes ad literam illa Christi verba intelligentes, *quacunque solveritis super terram*, Matth. 18., & *quorum remiseritis peccata*, Joannis 20., quæ apertissimè deprecativam excludunt absolutionem: *Ergo sine causa dictum est* (ait Augustinus *lib.* 50. *homiliarum, homilia* 49.) *quæ solveritis in terra, soluta erunt in Cœlo? ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? frustramus verba Christi &c.* Item nullus unquam Patrum illa Christi verba sic explicavit, *quacunque petie-*

petieritis, vel deprecati fueritis, ut solvantur super terram, erunt soluta & in Cœlis, vel pro quibus petieritis, ut remittantur peccata, remittuntur eis, nullus ergò ex Patribus absolutionem admittit deprecativam. Item Patres dicunt, Sacerdotes remittere peccata per sententiam judicialem, & absolvendo; uti videre est in allatis, ac expensis *articulo* 1. auctoritatibus ex Sancto Cypriano, *Epistola* 2. *lib.* 1., & Sancto Hilario in Matthæum *Canone* 16., Sanctus Joannes Chrysostomus inquit *lib.* 3. *de Sacerdotio cap.* 5. *Cæterum video, ipsum omne judicium à Deo Filio Sacerdotibus traditum esse; & servorum sententiam Deus confirmat; cum dixit, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; & *homilia* 5. *de verbis Isaiæ*; *à terra judicandi principalem auctoritatem sumit Cœlum: Nam judex sedet in terra, Dominus sequitur servum, & quidquid hic in inferioribus judicarit, hoc ille in supernis comprobat*. Non ergo ex Patribus Sacerdotes peccata remittunt, solum orando, petendo deprecando, sed omninò aliter, per sententiam nempè judicialem, & absolvendo.

Idem Concilia docent, siquidem iisdem omninò verbis Concilia sacramentalem absolutionem verbis dandam, esse docent, quam verbis dandam esse indicativis; clarum est, ex Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 3., & Florentino in decreto Eugenii: cum autem docent Sacramentalem absolutionem esse verbis exprimendam, fatentibus omnibus, perpetuam in hoc Ecclesiæ praxim tradere intendunt, atque divinam institutionem; adeoque cum docent verbis indicativis exprimendam esse absolutionem (non enim alia assignantur verba pro absolutione Sacramentali, quam *Ego te absolvo &c.*, quæ non deprecativa sunt, sed indicativa) divinam in hoc institutionem, ac perpetuam Ecclesiæ praxim tradere intendunt: ex Conciliis ergo in Sacramentali absolutione semper forma indicativa, & nunquam deprecativa usa est Ecclesia: sicuti semper sola verbali usa est absolutione. Nec dicas, verba illa, *Ego te absolvo* non esse Concilii Florentini, quod jam solutum erat, atque conclusum anno 1439. pridie nonas Julii; sed Eugenii IV. in decreto pro Armenis edito decimo Kalendas Decembris ejusdem anni. Contra, Episcopo Clodiensi similia objicienti in Concilio Tridentino de Jacobitarum decreto, quod editum est anno 1441., respondit Cardinalis de Monte, *Allucinari eos*, qui putant finem Concilii Florentini esse *unionem Græcorum*; *cum longè post, per tres scilicet ferè annos perduraverit, usque videlicet ad annum* 1442., *quo anno sexto Kalendas Maji, celebrata sessione, translatum est Romam*: idque satis ex utroque decreto, tum Armenorum, tum Jacobitarum compertum est; in quibus expresè ait Pontifex, utrumque editum esse, Sacro hoc approbante Florentino Concilio.

Perpetua Ecclesiæ praxis hoc idem ostendit, tum in Romano Catechismo pro fidelium instructione composito, ac probato; tum in Rituali Romano pro Ministrorum Ecclesiæ usu emanato; in quibus non alia Sacramentalis absolutionis forma præscribitur, quam *Ego te absolvo*. Inductam de novo hanc fuisse formam in Ecclesia, profectò non dices: aliàs petam, quo tempore, vel quo Auctore hæc sit facta mutatio? qua lege, quo Canone facta sit?

cta sit? quis Pontifex, quodnam Concilium, quinam Episcopus universalem hanc legem tulit, de mutanda forma deprecativa? nullum certè dabis: semper ergo adhibita est in Ecclesia, quæ nunc adhibetur forma in absolvendo. Item contra mutationem Sacramentalis deprecativæ absolutionis nulla reclamavit unquam Ecclesia: reclamasset autem, si aliquando facta fuisset; siquidem de Sacramentis, de Sacramentorum essentialibus formis, de maxima re negotium erat; ac de forma pro Sacramento Pœnitentiæ per duodecim jam sæcula ab universis retenta Ecclesiis agebatur excludenda, & in aliam commutanda: nonnè & in levioribus, cum de novitate agebatur inducenda, reclamarunt Ecclesiæ? quot in Asia, Africa, Europa experta sunt contradictiones decreta, vel Papæ Victoris de Paschatis celebratione; vel Stephani de non rebaptizando baptizatos ab hæreticis? nunquam ergo adhibita est in absolvendo Sacramentalis forma deprecativa.

Quæ hucusque diximus, invictissimè Angelicus Doctor confirmat *opusculo* 22. cum Neoterico quodam disputans, contendente formam Sacramentalis absolutionis deprecativam esse debere; dicit *cap.* 1. *Inveni assertionem cujusdam valdè temerariam, dicentis quod Sacerdos absolvendo uti non debeat hac forma, Ego te absolvo, quod quidem præsumptuosum judico*: hæc ne dixisset Angelicus Doctor, si per duodecim jam sæcula sola forma deprecativa usa fuisset Ecclesia? Antiquissimam hanc, atque constantem universalis Ecclesiæ praxim in Pœnitentiæ Sacramento ministrando; qui in rebus erat ad Religionem pertinentibus eruditissimus, ac medio florebat sæculo 13., certissimè ignorare non poterat: dictum Angelicus probat primo ex divina institutione; *præsumptuosum judico, quia repugnat Evangelicis dictis, dicit enim Dominus Petro, quodcumque solveris &c.: non dicit quacunque petieris esse solvenda, sed quacunque solveris &c.*: deinde ex unanimi Ecclesiæ sensu, & praxi ostendit; *ad hoc etiam est communis consuetudo tali forma utentium; cui contradicere non parum præsumptionis est*; cum verò Neotericus (quem in omnibus miserè cum suis secutus est Morinus) objecisset sæculo 12. labente Ecclesiam usam fuisse absolutione deprecativa; intrepidè id negat Angelicus ibidem *cap.*5., rationem addens, *sed certum est, quod jam sunt mille ducenti anni, & amplius, quod dictum est Petro, quodcunque solveris &c.*; ex quibus habes Morini Systema jam à sæculo 13. invictissimè reprobatum.

Opponunt, *Jacobi* 5. habetur, *confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini*: ubi sermo est de Sacramento Pœnitentiæ; & ly *orate* sumptum relatè ad Sacramentalem confessionem non potest significare formam deprecativam: sicuti cum prius dixerat; *orent super eum, ungentes eum oleo &c.* sumptum relatè ad sacram unctionem ly *orent* formam deprecativam significat Sacramenti Extremæ Unctionis, addit sua eruditione Morinus; quod Joannes Apostolus ex Eusebio *lib.*3. *hist. Ecclesiastica cap.*23. magnum quendam peccatorem jam conversum ac pœnitentem, orationibus, ac precibus absolvit, ad Ecclesiam reducit, crebris item precibus Deum pro illo invocat, nec priùs inde decessit, quam illum Ecclesiæ restituisset.

Contra, Sacram Scripturam satis diversè loqui de Sacramento Pœnitentiæ ac

tiæ ac de illo Extremæ Unctionis, visum est; hujus institutionem apertè habemus Jacobi 5., sic ex Apostolica Traditione semper intellexit Ecclesia, ut ait Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 1. *de Extrema Unctione*: ubi relatis *Jacobi* verbis, statim addit, *quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta, Ecclesia didicit, docet materiam, & formam, proprium Ministrum, & effectum hujus salutaris Sacramenti*. Non sic de institutione Sacramenti Pœnitentiæ, quæ clarissimè constat Patribus, ac Conciliis unà testantibus, ex illis Christi verbis Joannis 20. *quorum remiseritis peccata &c.*, & *Matth.* 18. *quæcunque solveritis super terram &c.*; secus autem ex illis Jacobi verbis, *orate pro invicem, ut salvemini*: Doctrina hæc est Sacri Concilii Tridentini *sess.* 14. *cap.* 1. *de Pœnitentia*, ubi allatis Christi verbis, *quorum remiseritis peccata &c.* statim addit, *quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata &c. fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit*: Immò & verba illa Jacobi *orate pro invicem ut salvemini*, esse intelligenda de oratione, non quidem efficaci ex opere operato (ut formæ sunt Sacramentorum) sed ex opere operantis; quæ sequuntur verba clarissimè ostendunt; *multum enim valet deprecatio justi assidua: Elias erat homo similis nobis passibilis, & oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex &c.*: nullus ergo ibi sermo de Sacramento Pœnitentiæ, ejusque forma. Joannes Apostolus pro pœnitente illo oravit; quid inde? precibus absolvit? nequaquam: pro vera illius conversione multum oravit, eumque tandem absolvit.

Opponunt iterum, communis est locutio Patrum, quod Sacerdotes *precibus, ac orationibus* absolvant; sic Clemens Romanus, Tertullianus, Cyprianus, Pacianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, aliique Patres; quorum auctoritates collegit magno labore Morinus; siquidem ait Sanctus Ambrosius *lib.* 1. *de Pœnitentia, cap. ultimo, satis est ad remissionem peccati obsecratio, quæ fit à pluribus*, & *lib.* 3. *de Spiritu Sancto cap.* 19. dicit de Sacerdotibus, *isti rogant, & divinitas donat*; Sanctus Augustinus *lib.* 3. *de baptismo contra Donatistas cap.* 3., *quid est aliud manus impositio* (nempè absolutio) *quam oratio super homine*; & *lib.* 50. *homiliarum, homilia* 23. dicit, *futuri erant homines, qui dicerent Ego peccata dimitto, Ego justifico, Ego sanctifico*: S.Leo *epist.* 99. ait, *Indulgentiam Dei sine supplicationibus Sacerdotum obtineri non posse*.

Contra, eodem quis posset argumento impetere consecrationis formam; nonnè Patres Eucharistiam dicunt, *orationibus*, ac *precibus* consecrari? S.Justinus Martyr *apolog.* 2. *per precem Eucharistiam factum cibum sumimus*, S.Cyrillus Hierosolymitanus *cathechesi* 3. *Mistagogica, Eucharistia post Spiritus Sancti invocationem, non est ampliùs panis communis, sed Corpus Christi*; S.Gregorius Nyssenus *oratione catechetica cap.* 37. *hic panis per verbum Dei, & orationem sanctificatur*; S.Hieronymus *epist.* 85. *ad Evagrium, ad quorum preces, nempè Sacerdotum, Christi Corpus, & Sanguis conficitur*; S. Augustinus *lib.* 3. *de Trinitate cap.* 4. *prece mystica consecratum sumimus ad salutem*: aliæque plures sunt Patrum auctoritates, quas lato calamo post Græcos Schismaticos in suis dissertationibus de consecrationis for-

ma congesserunt P. Le Brun, & Dominus Touttee; quos Theologi omnes (nec ipsis Oppositoribus exceptis) rejiciunt: doctèque in suis de hac re dissertationibus impugnant P. Bougeant, P. Orsi, & Auctor Apologiæ pro Doctoribus Sorbonicis Sanctio, & Isamberto. Formam deprecativam pro absolutione Sacramentali vidimus nunquam admisisse Patres; cum doceant per Sacerdotes peccata remitti, non petendo solum, orando, deprecando, sed per judicialem sententiam, & absolvendo: sic ergo intelligenda est communis locutio Patrum, cum dicunt, Sacerdotes *precibus*, ac *orationibus* remittere peccata; remittunt non quidem orando solùm, sed etiam absolvendo; peccata remittunt per Sacerdotalem absolutionem, quæ solum accidentaliter est, ac extrinsecè deprecativa; cum essentialem absolutionis formam multæ comitentur orationes.

Nec alio modo intelligendos esse Sanctos Ecclesiæ Patres, apertissimè demonstrat Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 3. de Pœnitentia*, cum dicit, *formam hujus Sacramenti in illis Ministri verbis positam esse*, *Ego te absolvo &c.*: *quibus quidem de Ecclesiæ Sanctæ more* (en mos Ecclesiæ, en sensus Patrum) *preces quædam laudabiliter adjunguntur*; *ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant*; *neque ad hujus Sacramenti administrationem sunt necessariæ*. Sic ergo intelligendus Ambrosius, cum dicit, *isti rogant*, *divinitas donat*; cum verò dicit, *satis est obsecratio, quæ fit à pluribus* non de Sacramentali loquitur absolutione, sed de oratione ex opere operantis efficaci, quæ pro vera fit obtinenda conversione peccatoris. Augustinus absolutionem *orationem* vocat, cum essentialis absolutio pluribus sit orationibus admixta, sicque accidentaliter solum, ac extrinsecè deprecativa: damnat verò dicentes, *Ego peccata dimitto &c.*, si hoc propria fiat, ac principali auctoritate; secùs autem, si auctoritate ministeriali, ac nomine Christi; quo eodem modo intelligendus est S. Hieronymus *in commentariis ad caput 16. Matth.* S. Leo supplicationem vocat verba illa, *Ego te absolvo*; forma hæc est essentialis, extrinsecè solum deprecativa; cum pluribus sit precibus, ac supplicationibus immixta.

Tandem opponunt, innumera sunt antiqua Ritualia, & Pontificalia apud Morinum *de Pœnitentia lib. 8. cap. 10.*, *& sequentibus*; & Martene *lib. 1. de antiquis Ecclesiæ Ritibus cap. 6. art. 7.*, in quibus sola forma traditur deprecativa pro Sacramento Pœnitentiæ: est autem incredibile, nullam in illis formam haberi essentialem hujus Sacramenti; signum ergo non aliam tunc fuisse, quam deprecativam, essentialem Sacramenti Pœnitentiæ formam. Hinc Guillelmus Parisiensis, qui sæculo 13. florebat, dicit *cap. 19. de Sacramento Pœnitentiæ*, *neque more Judicum forensecorum pronunciat Confessor*, *Absolvimus te*, *sed magis orationem facit super eum*, *ut Deus absolutionem tribuat*, & Franciscus Mayro *in 4. dist. 14. quæst. 1.* testatur formam istam, *Absolvat te Deus usitatam fuisse in Provincia*; *dicendum quod sic fiebat in Provincia Provinciæ*; *sed improbata fuit ista forma*.

Confirmant, forma Sacramenti Extremæ Unctionis deprecativa est; esto aliquando modo fuerit data indicativo; quod habet pro certo Martene *cit. lib. 1. cap. 7. art. 3.* probatque *art. 4.* antiquis adductis Ritualibus, seu Pontificalibus ferè 30.; idem ergo ex opposito de Sacramentali absolutione di-

ci pos-

ci posset: Item in illis Christi verbis, *quodcunque solveris &c.* etiam facultas data est absolvendi à censuris; ut ergo censuræ, sic & peccata per absolutionem deprecativam absolvi possunt.

Contra, unde habent severioris criticæ Sectatores, & qui toti sunt in antiquis pervolvendis manuscriptis, omnia antiqua Ritualia, & Pontificalia ad nos pervenisse; vel antiqua, quæ ad nos pervenere, integra esse, ac sincera? quo possunt ipsi comprobare documento, Rituales illos, ac Pontificalia, tanto ab ipsis adunata studio, probata, usuque recepta fuisse ab eisdem, in quibus servabantur, Ecclesiis; & non potius (quia illarum praxi, divinæque institutioni difformia) in Archiviis, ac Bibliothecis fuisse relicta tineis otiosa? quid si de antiquis his Ritualibus, ac Pontificalibus ea quis diceret, quæ de Antiquis, quæ circumferuntur, Apostolorum Liturgiis, cum suis asserit Morinus? estò in insignioribus Bibliothecis sint illæ repertæ, studioque multo servatæ. Quo Censores isti antiquitatis monumento evincunt, Romanum Catechismum, & Rituale Romanum ab antiquissimis Ritualibus, ac Pontificalibus desumptum, quoad Sacramentalis absolutionis essentiam aliquid innovasse? his inquirendi animo expositis, dico, Ritualium antiquorum, ac Pontificalium, quæ Martene, ac Morinus adducunt, nec unum esse, quod de Pœnitentiæ Sacramento loquatur; ut legentibus clarum est illorum titulos, *Orationes*, *Præfationes*, *Monita*, *Adnotationes &c.* Item passim orationes illæ sunt pro multis; quales profectò non sunt Sacramentales absolutiones: sunt ergo Rituales illi, ac Pontificalia pro Canonica, & sollemni; secus autem pro Sacramentali Pœnitentia.

At quid, si, esse pro Pœnitentiæ Sacramento, omittamus? certissimè favent; cum & antiquiora forma utantur indicativa; & quidem illis prætermissis, quæ sexcentos non superant annos, quatuor hic produco, apud nostros Criticos Morinum, ac Martene vetustate planè venerabilia; primum est Pontificale Ecclesiæ Ebroicensis, literis Saxonicis pereleganter scriptum, mille annorum ex Martene; secundum est Pontificale Anglicanum Monasterii Gemmeticensis 920. annorum; Tertium est Pontificale Gellonense, ejusdem Ævi ex Martene; Quartum est Pontificale S. Remigii, Tirpini Archiepiscopi vulgò dictum, literis Longobardicis exaratum ejusdem etiam Ævi apud Martene: quatuor hæc Pontificalia hanc formam habent indicativam, *Absolvimus vos*. Item nulla sunt antiqua ritualia, seu Pontificalia apud Morinum, & Martene, quæ ministerialem potestatem absolvendi non exprimant Sacerdotis: cum ergo dicunt, *Absolve Domine &c.*, vel similia, semper intelligendum est, *per me*, seu *per ministerium meum*; fitque sensus, *Absolvat Domine principaliter*, *quem Ego ministerialiter absolvo*; ut cum de Græcorum Euchologio dictum est. Quæ Guillelmus asserit, & nos dicimus; nec enim absolutionem damus, dicendo *Absolvimus*, sed *Absolvo*; & pluribus dictis orationibus, absolutio datur; ut ex Concilio Tridentino, & Rituali Romano compertum est: Mayro nobis favet, cum absolutionem illam reprobatam fuisse dicat ratione novitatis; *sed improbata fuit ista forma &c.*, *quia Sacramentalia sunt stricti juris*, *& ideo non debent immutari*: non ergo antiqua ibi erat forma deprecativa, sed recentissima; quacunque ratione novitatis improbata.

Ad

Ad confirmationem, adhuc validam esse Extremam Unctionem verbis datam indicativis, plures affirmant cum Contensonio, Becano, Dupasquier, Boucat; talis hæc esset forma, *ungo te indulgentiam delictorum, quæ admisisti per visum &c.* Sed negandum est cum Simonnet, Henno, Supplemento Sporeri, Clericato, La Croix, Aversa, Dicastillo; & communissima Theologorum sententia post Angelicum Doctorem *in 4. dist. 23. part. 1. art. 4. quæst. 2.*, Divũ Bonaventurã, & Albertũ Magnũ *in 4. dist. 23. qu. 1. art. 4.*, atque dicendum, in Sacramento Extremæ Unctionis non valere, nec unquam formam valuisse indicativam. Quod satis ex hujus Sacramenti deducitur institutione, promulgata Jacobi *cap. 5.* ubi dicitur, *Infirmatur quis in vobis &c. orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini &c.*; quibus verbis petitioni solum, ac deprecationi Sacerdotis effectus promittitur Sacramenti, si oleo ungat infirmum; *orent super eum, ungentes:* non ergo valet, nec unquam forma valuit indicativa; cum in illa nulla sit petitio, nulla deprecatio; quæ si addatur, hæc, & non illa, forma erit Extremæ Unctionis, satis per ly *orent* expressa.

Perpetua hæc fuit Ecclesiæ praxis, atque doctrina, tum in Conciliis Florentino in decreto Eugenii, & Tridentino *sess. 14. cap. 1. de Sacramento Extremæ Unctionis*; tum in Rituali Romano, & Cathecismo; in quibus non alia assignatur forma pro Sacramento Extremæ Unctionis, quàm deprecativa: ac deducitur, ut in Tridentino, & Romano Catechismo, ex ejus institutione promulgata Jacobi 5.; siquidem mutatio formæ indicativæ in deprecativam nunquam pro Sacramento Extremæ Unctionis facta est in Ecclesia; nam quo Auctore, vel quo tempore facta sit, assignari non potest; nec unquam contra talem in re gravissima mutationem in Ecclesiis facta est reclamatio. Formulæ quædam indicativæ in antiquis ritualibus expresse apud Martene, & Boucat non evincunt oppositum; cum nulla sit, quæ aliquam non contineat deprecationem, verbis illis expressam, vel similibus, *Indulgeat tibi Deus*; ut legentibus patet; latèque ostendunt Simonnet, & Clericatus: non ergo indicativa, sed quæ admiscetur oratio Sacramenti Extremæ Unctionis, forma erit essentialis. Nec dicas, ex quo Christus dixit, *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, totum hoc exprimendum est in baptismo per formam indicativam: ergo etiam in Sacramento Extremæ Unctionis; cum dictum sit, *ungentes eum oleo in nomine Domini*: Contra, cum pro uno, & non altero Sacramento hæc forma tradatur, *orent super eum*.

Quod additur in confirmatione de censura, nihil evincit; cum censura etiam invito, & absenti, & sine ullis verbis remitti queant; estò peccata per absolutionem sic remitti non possint: modus remittendi censuras, est de jure Ecclesiastico; modus verò peccata remittendi de jure divino; censuræ tolli possunt, sive per absolutionem, sive per simplicem remissionem; peccata verò mortalia commissa post baptismum, à Sacerdote per solam remitti possunt absolutionem.

AP-

APPENDIX XV.

INTER NOVAS *Post num.* 3067.

Quinam sit dolor in Sacramento Pœnitentiæ justificativus.

EX motivo charitatis esse debere recentiores Galli communius propugnant, Jueninus *in commentar. de Sacramentis disp.6.qu.4.cap.4.art.2.*, Lupus, Morinus; Launoyus, Neercastel, Merbesius, Arnaldus, Opsanete, Vanroy, Le Dreu, Farvacquez, Havermans, de la Verdure, Coen, Natalis, Contensonus, Nicolas, Huigens, plurešque Anonymi. Optimum esse hujusmodi dolorem ex motivo charitatis, sed minimè necessarium esse in Sacramento Pœnitentiæ; cum in eo satis sit dolor ex Inferni metu conceptus, dummodo supernaturalis sit, cum spe veniæ, ac omnem excludens voluntatem peccandi, passim cæteri Theologi docent, sive Antiqui sint, sive Recentes cum Salmanticensibus *disp.7.dub.1.*; Gonet *disp.7.art.3.*; Frassen *art. 3. sect. 1. quæst. 4.*; Tournely *quæst. 5. art. 3.*, Boucat *part.3. dissert.4. art.4. sect.3.*, Platellius *à num.655.*, Gormaz *part.1. de Pœnitentia à num.430.*, La Croix *à num. 835.*, & communissima apud ipsos. Idipsum per integra volumina propugnant Pinthereau, Le Dent, Francolinus, Dupasquier, Estrix, aliique.

Novam hanc esse sententiam, dicunt primi, ac minimè tutam: adeoque vitandam, juxta primam propositionem ex 65, ab Innocentio XI. damnatis. Sed antiquam esse, Francolinus ostendit *de dolore lib.1. 2. à cap. 4.*; pro qua centum gravissimos Auctores, adductis locis, ac verbis refert Pinthereau *à pag.* 8., qui ab anno Christi floruere 1200., & *à pag.* 93. novendecim, qui Concilio Tridentino interfuerunt, adducit; pro eadem Auctores supra 160. referuntur à Gormaz *à num.* 446., & quidem ordine alphabetico, nominibus, locis, ac verbis fideliter adductis. Eandem sententiam omninò tutam esse, adeoque à prima propositione, quam damnavit Innocentius XI., longè alienam; Theologorum judicia probant apud Gormaz ibidem, & La Croix *à num.* 873.; *indubitatam* illam vocat Esparsa; *securam, & satis certam* Tannerus; *moraliter certam*, Præpositus, Prado, Solas; absolutè *certam* Suarez, Raynaudus, Martinonus; Perez, Illsung; *communem, & certam* Sporer, Bosco, Cardinalis de Lugo; *certissimam* Leander, de Palatio, & Seraphinus à Conceptione; *Doctrinam Sanctorum, & maximè S. Thomæ* Silvester de Prieras; *communem Catholicorum sensum* Gabriel à S.Vincentio, Meratius; *communem Ecclesiæ sensum* Canus Petrus à S.Joseph, aliique plures. Theologi quidam antiqui contritionem requirunt; sed quis neget attritionem veram esse contritionem? verum est animal equus, esto longè sit imperfectior homine: contritionem charitate perfectam requirunt alii, sed ut etiam justificativa sit extra Sacramentum. Plures esse in oppositum juniores, fateor: sed contra torrentem Theologorum prævalere non poterunt.

Scri-

Scripturas, & Patres cum secunda sententia pugnare; clamant primi; cum dicatur *Deutor. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.*; Joannis 1. *cap. 3. qui non diligit, manet in morte; & 1. ad Chor. 13. si charitatem non habuero, nihil sum; nihil mihi prodest*: S. Augustinus *tract. 9. in Joannem*, & *lib. 2. contra Cresconium cap. 12. si autem illa desit* (charitas) *omnia frustra fiunt*; *lib. 1. de Civitate Dei cap. 27. nisi desistant à peccatis habendo charitatem; nihil eis prodesse potest*; sic cæteri Patres: S. Thomas 3. *part. qu.* 84. *art.* 10. *cum ad veram pœnitentiam charitas requiratur, sine qua non delentur peccata*; & *in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæst. 1., confessio non valet sine charitate*.

At illos Scripturis, ac Patribus illudere velle probat duplici integro justæ molis volumine Dupasquier *de Attritionis sufficientia*; Salmanticenses, Gonettus, Frassen: Deum super omnia diligendum, Patres, & Scripturæ clamant; at sic diligendum esse in Sacramento Pœnitentiæ, nullibi docent: ut summum bonum super omnia diligendus est Deus; sed aliquando, ex: gr: singulis annis, & si vis, singulis mensibus, tale præceptum urget; secus autem pro Sacramento Pœnitentiæ, uti neque pro singulis diebus, horis, ac momentis obligat: sicque intelligendum illud Deutor. *diliges Dominum Deum tuum &c.*; & illud Joannis, *qui non diligit* (cùm debet) *manet in morte*. De charitate, non quidem actuali; sed habituali ait Apostolus, sine charitate nihil prodesse; cum sine ipsa nullum opus bonum vitam æternam de condigno mereatur. Sancti Augustinus, ac Thomas *de Pœnitentia* loquuntur, non quæ sit Sacramentum, sed quæ sit per se justificativa, & ex opere operantis; cum charitatem in illa requirunt. In omni lege charitas requisita fuit ad justificationem, sed extra Pœnitentiæ Sacramentum. Lex nova lex vocatur Amoris, non quia ad justificationem semper sit requisita charitas; sed ob innumera divini amoris signa (inter quæ Verbi Divini Incarnatio, Sacramentorum, Eucharistiæ præsertim institutio) quibus data nobis fuit.

Nec dubitandum esse, dicunt, Scripturas, & Patres secundam patrocinari sententiam; cum ex illis nec dubitari possit, per Sacerdotis absolutionem verè pecata remitti, & non solùm remissa enunciari; *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, Christus Sacerdotibus ait Joannis 20.; *& quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo, Matthæi* 18.: ubi S. Hilarius *Canone* 16. de Petro loquens Sacerdotum Principe, inquit, *O beatus Cæli Janitor, cuius arbitrio claves æterni aditus traduntur; cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in Cælo? ut quæ in terris aut ligata sunt, aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant & in Cælo*: sic cæteri Patres apud Bellarmiuum *lib. 3. de Pœnitentia cap. 2.*, aliosque. Non ergo Sacerdotis absolutio supponit jam remissa peccata; supponeret autem, si contritio ex motivo charitatis esset absolutioni præmittenda; cum per hujusmodi contritionem justificetur homo; *Ego diligentes me, diligo*, dicitur *Proverb.* 8.; *qui diligit me, diligetur à Patre meo. & Ego diligam eum &c.*, Joan. 14.; *charitas operit multitudinem peccatorum*, 1. Petri 4.; *omnis qui diligit, ex Deo natus est*, 1. Joan. 4.: ubi S. Augustinus ait *tract. 9. diligendo Deum, amici facti sumus; & tract.* 76. in Joannem,

nem,

nem, *dilectio Sanctos discernit à Mundo*; sic & passim alibi: sermonem hic esse de intensissima charitate, vel tantùm pro casu extremæ necessitatis; est gratis assertum; & cum allatis auctoritatibus, ac obvio illarum sensu clarè satis pugnat. Peccata etiam remissa iterum, atque iterum absolvi posse, non dubito; at remissionem peccatorum absolutioni necessariò præmittendam esse, simulque per absolutionem peccata remitti, implicat in terminis; quomodo enim remittit, si necessariò semper ea remissa supponit?

Cum Augustinus ait *tract.13. in Joannem*, *quantumcunque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: non illi dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum*; *& lib.9. confess. cap.4.* de se ipso adhuc Catechumeno dicit, *ea fides me securum esse, non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per baptismum tuum remissa nondum erant*, estò etiam tunc magna æstuaret ipse charitate, ut ait ibidem *cap.2. Sagittaveras tu cor meum charitate tua*: veram charitatem nunquam à justificando excludit, aliàs idem esset de charitate intensissima dicendum: sed primo loco de Catechumeno id ait, baptismum suscipere contemnente, ut præcedentia illa verba ostendunt, *ne quis arrogans, eo quod habeat abundantiam alicujus gratiæ, dedignaretur baptizari baptismo Domini*: in altero autem de remissione loquitur peccatorum plenissima, seu quoad omnia peccata etiam venialia, & quoad omnem etiam temporalem pœnam, quæ baptismo confertur. Hinc & secundæ sententiæ clarè favet Augustinus *Epistola 254. aliàs 104., quæ est 2. ad Nectarium*, ibi, *Pœnitentiæ dolorem fructuosum esse credimus, quod inest cordibus eorum fides, qua considerare possent, quid de divino judicio formidare deberent*; de qua priùs dixerat, quod *impetrat veniam, & purgat admissum*; & *lib. de catechizandis rudibus cap. 17.*, *qui volunt esse christiani, ut promereantur homines, à quibus temporalia commoda expectant, reprobi sunt; qui autem vult fieri christianus, ut non eat in ignem æternum, verè ipse christianus est*; uterque validus est baptismo; sed unus, non alter suscipientem sanctificat: de baptismo, & pœnitentia, fatentibus Adversariis, eadem est ratio. Favet Angelicus Doctor *in 4. dist. 6. q. 1. art.3. q. p. ad 5.*, *Ad hoc* (inquit) *quod homo præparet se ad gratiam in baptismo percipiendam præexigitur fides, sed non charitas, quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio*; idem habet *dist. 17. quæst. 3. art. 5.*; *& dist. 22. quæst. 2. art. 1. quæst. 3.*: sermonem hic esse de charitate actuali, clarum est cum de charitate loquatur, quæ præparatio est ad gratiam.

Per Concilium Tridentinum, ejusque historiam posteriorem everti sententiam, urgent primi; siquidem *sess. 6. cap. 6.* ad baptismi susceptionem actum requirit, *quo Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiamus*; *& cap. 7. fidem* ad baptismum requirit *vitam æternam præstantem, quam sine spe, & charitate fides præstare non potest*; & *sess.14. cap.4. de partibus Sacramenti Pœnitentiæ loquens*, ait, *fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius*. Item ex Pallavicino in historia Tridentini *lib.12.cap.10.*, in decreto jam delineato dicebatur, *Attritionem sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem*; quod Patres sic mutarunt, *disponere ad gratiam in Sacramento*. Item dicebatur, attritionem *concipi solùm* ex metu gehennæ, ac turpitudinis peccati consideratione;

ratione ; sed Patres delerunt ly *solùm* ; ut etiam alia illa verba *timor servilis*, quæ de Inferni metu dicebantur.

At oppositum constare tum ex Tridentino, tum ex illius historia doctissimus Estrix ostendit tum in *dissertatione Historico - Theologica* pro mente Concilii Tridentini de vi attritionis ; tum *mentem Concilii Tridentini dilucidatam* ex historia ejusdem Concilii per modum Appendicis ; tum *confutationem suppositæ veritatis, & charitatis*, seu defensio Tridentini ; tùm *minimè Paradoxum Paradoxo nupero* de attritione dissipando ; tum *summulam summarum de controversia attritionis subductam fideliter &c.* Dilectionem Dei Concilium requirit *cap.* 6. ; sed ubinam dicit illam ex motivo charitatis esse debere ? cum Deus tum ut sibi bonum, & propter se, tum ut bonum nobis, & amore concupiscentiæ diligi possit ; & secundum sufficere, illa Tridentini verba insinuant, *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, seu omnis nostræ justificationis, & gratiæ ; siquidem relatè ad nos Deus fons est *omnis justitiæ* : nonnè qui Deum timet pœnis Inferni punientem, ipsum ut pœnas illas avertentem amat ? de charitate loquitur *cap.* 7. non quacumque, sed habituali, vocans eam *christianam justitiam*, & *stolam candidam* ante Tribunal Christi perferendam &c. ; quam in Sacramento non requiri, omnibus certum est. De contritione loquitur *sess.* 14. *cap.* 4., sed quam dividit ibidem in perfectam charitate, & imperfectam, seu attritionem ; adeoque ut est communis utrique. Nil majus obtinet Historia Tridentini ; ly *sufficere* deletum est ; cum de dispositione ad gratiam, non de constitutivis Sacramenti sermo foret ; nec propria erat ea locutio, cum de nulla parte propriè dici possit sufficere ad constitutionem totius : ly *solùm* deletum est, ac appositum *communiter*, cum attritio etiam ex aliis motivis concipi possit, ex:gr: ex æternæ beatitudinis spe : deletum est quoque ly *timor servilis*, ne timor Inferni cum illo confunderetur timore à Patribus reprobato, qui *timor serviliter servilis* à Theologis vocatur.

Immò & secundæ sententiæ favere Concilium, dubitari non posse videtur : siquidem *in cit. cap.* 4. contritionem dividit in perfectam, seu ex motivo charitatis, & imperfectam, seu ex alio motivo elicitam ; primam dicit justificare extra Sacramentum, alteram verò in Sacramento Pœnitentiæ, secus extra ; *si contritionem hanc aliquando* (inquit) *charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur &c. Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ : declarat non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem ; verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat ; & quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit* ; & deinde, *quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu*

susci-

suscipientium gratiam conferre. Hinc dilectio Dei ex motivo charitatis extra Sacramentum semper hominem justificat, & non solùm aliquando; non enim Concilium ait charitatem aliquando reconciliare, sed contritionem, si aliquando charitate perficiatur; siquidem justificat quæcunque sit charitas, etiam non intensissima; ait enim *contritionem* reconciliare Deo, *si aliquando charitate perfectam esse contingat*; non autem, *si aliquando ex perfecta charitate esse contingat*: contritio verò imperfecta, ex alio supernaturali motivo concepta, ex:gr: ex Inferni metu, verum est donum Dei, in Sacramento Pœnitentiæ, secus extra, justificare valens, *tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pænitentiæ impetrandam disponit*: sermonem hic esse de proxima dispositione ad gratiam, clarum est; siquidem quæ justificandi virtus tribuitur contritioni extra Sacramentum, attritioni in Sacramento datur; adeoque vel utraque, vel nulla est dispositio proxima: item quæ virtus justificandi tribuitur attritioni in Sacramento, denegatur illi extra Sacramentum, adeoque cum extra Sacramentum solùm denegetur ei virtus proximè justificandi, hæc est illi tribuenda virtus in Sacramento: nec dici potest Concilium de attritione loqui, quæ etiam ex motivo charitatis procedat; cum allata verba Concilii clarè sint in oppositum; si enim dolor etiam ex charitate procederet, non in solo Sacramento justificaret; tum quia Concilium de illa loquitur attritione, quam definit contra Lutherum, esse donum Dei, ac Spiritus Sancti impulsum; talis autem est attritio, quamvis non sit ex motivo charitatis; nec Lutherus attritionem, quæ sit ex motivo charitatis, damnavit unquam.

Favet Historia Tridentini *lib.* 12. *cap.* 10. decretum de attritione sic delineatum erat, *cum sine aliquo dilectionis motu esse vix queat*; sed emendatum fuit, ac verba ista deleta, cum Episcopus Tudetanus Patres *monuit falsò dici hujusmodi dolorem sine amore Dei vix unquam concipi posse*, & *lib.* 8. *cap.* 13. quatuor instabant Patres, quibus & 23. alii accessere, ut in decreto *sess.* 6. *cap.* 6. *actus charitatis* apponeretur; sed reclamantibus Patribus supra ducentos, emendatum fuit, verbis illis appositis, *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant*.

Quæ opponere solent alia, parvi sunt momenti; Romanus Catechismus *de Pænitentia num.* 27. *de contritione*, quæ pars est hujus Sacramenti, ait, *summum verò, & maximum dolorem ex peccatis, quæ commissa sunt, suscipiendum esse, ita ut nullus major excogitari possit*. Contra, de dolore non quidem necessario, sed solùm magis laudabile, ac majoris gratiæ collativo, hic sermonem esse ex eo patet; quod de dolore intensissimo, ac vehementissimo loquatur; qui, fatentibus etiam Oppositoribus, minimè requisitus est ad Pœnitentiæ Sacramentum. Quàm secundæ sententiæ Catechismus faveat, Francolinus ostendit *lib.* 1. *de dolore cap.* 6. *num.* 34.; siquidem contritionem perfectam sic definit ibidem, *perfecta contritio est charitatis actio, quæ ab eo timore, qui filiorum est, proficiscitur*; & post pauca *num.*28., *quanquam si id minus consequi nobis liceat, ut perfecta sit; vera tamen, & efficax contritio esse potest*, & hoc quamvis non sit contritio perfecta, seu quæ sit *charitatis actio*; ly *si minus* idem esse, ac *si non* sciunt omnes, qui latinè loquuntur. In oppositum est declaratio Cleri Gallicani

in comitiis generalibus facta anno 1700. Nequaquam; cum dicat, nullum esse propositum, *si pœnitens primi, ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat; nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia, se se excitet, ac provocet*; siquidem nullum esse propositum, fatentur omnes, si pœnitens servandi mandata, ac præsertim illud, quod primum est, Deum super omnia diligendi, *nullam curam gerat*; sed mandata, cum urgent, servanda sunt, secus autem singulis diebus, horis, momentis. Metus, dicunt, causat involuntarium; ut in eo patet, qui timore tempestatis projicit merces, quas amat; idem ergo dicendum de metu Inferni relatè ad peccatorum detestationem: *qui gehennam metuit, non peccare metuit, sed ardere*; ait S. Augustinus *epistola* 144.: saltem Inferni metus non excludit peccandi voluntatem; cum desiderium præmii, & pœnæ timor reducantur ad spem, quæ non minus, ac fides, esse potest cum voluntate peccandi. Contra, involuntarium metus causat, cum opposita voluntas inductiva non est ejusdem periculi; sic urgente naufragio, merces in mare projicit etiam qui retinet ad illas amorem; cum merces sua gravitate, ac pondere, secus amor illarum, naufragandi periculum inducat: idem est de fure, qui à furto, non à furandi desiderio abstinet, timore suspendii; non sic Inferni metus, ad quem tum peccata commissa, tum omnis peccandi voluntas, & non peccandi displicentia efficaciter inducunt: de timentibus Infernum, quem existere nollent ad liberius peccandum, loquitur Augustinus. Metus inferni si efficax sit, & absolutus, omnem excludit peccandi voluntatem; secus autem si limitatus esset, & inefficax, ut si quis Infernum, non pro semper, sed solùm pro aliquo tempore vitare vellet, ex:gr: in futurum; hic, & non ille metus, etiam cum diuturna esse potest voluntate peccandi: sic infirmus non dicitur efficaciter, & absolutè velle sanitatem, qui, cum possit, non vult nunc adhibere medicinam, qua sanetur; quamvis postea adhibere velit. Spes virtus est particularis, si sumatur secundum suos actus particulares, & prout opponitur desperationi; secus autem si sumatur secundum principalem suum actum, qualis est ultimi finis assecutio, quæ cum omni peccato certissimè pugnat.

Timor non convertit ad eum, qui timetur, sed potius avertit, si per illius fugam pœna vitatur; *nemo eum, quem metuit, amat* ait Philosophus 2. *Rethoric. cap.* 4.; secus verò dicendum, si pœnam per illius fugam incurrat; sic convertitur ad Deum qui timet illum punitorem; siquidem amando Deum, ut nobis bonum, ac propitium, nostrique liberatorem, vitatur Infernus, si rebellis Regi dicat, *doleo de rebellione, non gratia tui, sed propter me, & ne me punias*, non est venia dignus; cum Regis gratiam potius iste contemnere videatur: non sic dolens ex Inferni metu; qui Deum ut summum bonum, ac infinitè propter se amabilem, utique profitetur. Nec dicas, quando displicet pœna, quam Deus infligit, non displicet Deus; adeoque & quando displicet pœna, quam peccatum causat, non displicet peccatum: item peccaminosam hanc voluntatem, *peccarem, si non esset Infernus*, gehennæ metus expellere nequit. Contra, ad primum est illatio neganda; cum displicentia de peccato medium sit necessarium ad vitandum

Infer-

Infernum; secus autem displicentia de Deo ad pœnam vitandam: alterum falsum est; cum ad Infernum etiam actus ille inducat. Nec refert, attritionem in amore proprio fundari: cum amor ille ordinatus sit, ac supernaturalis, donum Dei, ac impulsus Spiritus Sancti; ut per Concilium Tridentinum sancta profitetur Ecclesia. Ut omne mortale peccatum avertit à Deo, & convertit ad creaturam: sic ex divina institutione avertit à creatura, & ad Deum convertit, quicunque sit dolor justificativus. Habitus charitatis per peccatum amissus, etiam sine prævio charitatis actu recuperari potest; cum etiam aliarum virtutum supernaturales habitus, ex: gr: temperantiæ, humilitatis &c., sine præviis specialibus illarum actibus recuperari possint: secus dicendum de habitu fidei, ac spei; cum sine istis, vel illarum actibus nullus sit dolor justificativus.

Dices sententia de attritionis sufficientia tuta non est, nisi etiam sit moraliter certa; aliàs Sacramentum periculo frustrationis exponeret; non est autem moraliter certa; cum verè sit probabilis opposita sententia; aliàs cur tanta cura Alexander VII. anno 1667. sententiam illam censuris affici, vel injuriis, suo decreto prohibuisset? Adde, Summum Pontificem Clementem X., teste Farvacquez, Lovaniensibus declarasse, *se in ea esse sententia, quod requirntur aliquis amor Dei propter se in Sacramento*. Contra, sententiam illam censuris affici, vel injuriis prohibuit Alexander, non quia probabilis erat; sed ad pacem servandam, & quia non adhuc erat, uti nec est hodie, ab Apostolica Sede proscripta: cum Clementis X. sententiam adducit Farvacquez, nulla debetur ipsi fides; cum in causa propria, & sine idoneo teste loquatur; nec dubitandum, quod ly *propter se* apposuit de suo Farvacquez. Cæterum qui metuens Infernum, Deum punitorem, ac vindicem timet, jam ipsum ut sibi bonum, ac propitium amat; atque implicitè saltem, ut suum diligit liberatorem.

APPENDIX XVI.

INTER NOVAS *Post num.* 3108.

De Infirmo pro articulo mortis absolvendo.

An moribundus absolvi possit, qui præsente Sacerdote nullum dare potest signum pœnitentiæ, modò ante dederit, præsentibus aliis, dubitatum est aliquando; ac negarunt Fay, Coquerus, Alvarez, aliique apud Diana *tom. 1. tract. 4. resol. 62.*: sed affirmat hodie communis, ac certa Theologorum sententia; cum Giribaldo *cap.9. dubio 4.*, & La Croix *num. 1156.*; *subitò obmutescens*, (ait Concilium Arausicanum I. *Can. 12.*) *baptizari, aut pænitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat Sacerdos, aut præsentis in suo nutu*: idem habent Leo Magnus in Epistola ad Theodorum Episcopum Forojuliensem; Concilium Carthaginense IV. *Can. 76.*; ac expressè Ritualis Romanus Pauli V., ibi, *vel etiamsi confitendi desiderium vel per se, vel per alios ostenderit, absolven-*

solvendus est: non ergo amplius dubitandum, cum allata clarissima sint documenta; neque ad rem faciunt, ut alibi expendimus, quæ de decreto Clementis VIII. opponunt.

Sed quid si moribundus nec ante dederit coram aliis signa pœnitentiæ; longè majus est dubium, an possit absolvi; negant Simonnet *disp. 6. art. 12.*, & innumeris congestis Salmanticenses Scholastici *disp. 8. num.* 240. At dicendum absolvi posse sub conditione *si capax es*, immò & absolvendum esse, modo ipsum Catholicum esse, ac piè vixisse constet; sic innumeris allatis Illustrissimus Verde *Institutionum Canonicarum lib. 2. à num.* 1952.; Cardenas Crisis *disp.* 48. adductis Auctoribus 38.; Henno *disp. 5. quæst.* 10., Dupasquier *disp. 5. quæst.* 9.; La Croix *in tract. Theologico lib. 1. à quæst.* 33.; Viva *in Appendice ad propositiones damnatas*, §. 11., Giribaldus *cap. 9. dubio* 5.; Clericatus *decis. 32. à num.* 7.; Sabinus *tract. 72. num.* 28., Reiffenstuel *dist. 7. à nu.* 70.; Keslingerus in illius supplemento *num.* 76.; Sporer *cap. 5. à num.* 645.; Kazemberger illius suppletor *cap. 2. de Sacramentis num.* 141., Jueninus *quæst. 7. cap. 4. artic. 4. §. 3.*, & passim alii apud ipsos. Siquidem qui piè vixit, velle piè mori, præsumendum est; & impotentia illa moribundi, anxia illa respiratio, clamores, angustiæ, gemitus, estò effectus sint naturales, attamen simul esse possunt signa pœnitentiæ, non quidem specialia, & certa, sed æquivoca, atque dubia: adeoque & moribundus poterit, non quidem absolutè, sed apposita conditione, absolvi.

Quod & graviora documenta firmant; S. Augustinus *lib. 1. de adulterinis conjugiis cap.* 26., de catechumeno subitò obmutescente, ait baptizandum esse, eo quod *multò satius est nolenti dare, quàm volenti negare, ubi velit, an nolit, sic non apparet*; idem habet *cap.* 28. additque, *quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit*; ubi maximè sermonem esse de reconciliatione Sacramentali, & non de canonica solùm, paritas ostendit baptismi. Item statuta Synodalia Ecclesiæ Lemovicensis anno 1620. *cap.* 21. sic habent, *poterit quoque idem applicari remedium* (nempè absolutionis) *ei, qui judicio, omniumque sensuum usu statim captus est, non petitâ pœnitentia, nulloque signo contritionis edito &c.; ferrique potest judicium ex actionibus vitæ, & moribus eum libenter pœnitentiæ Sacramentum petiturum fore, si tempus, & violentia morbi permisissent: licet in hoc casu nihil de absolutionis effectu promittere possimus: sed animarum salvandarum causa nullum remedium omittere debemus, quod Deus potestati nostræ commisit &c.*; sic apud Morinum *de Pœnitentia lib. 10. cap.* 10., latè sententiam hanc propugnantem. Item Alexander Ludovisius tunc Archiepiscopus Bononiensis, postea Summus Pontifex Gregorius XV. in memoriali Confessariorum Bononiæ edito anno 1623. sic habet *cap. 1. num.* 16., *quia contingere potest moribundum esse tantum attritum, unde damnaretur, nisi absolvatur*; idque probat auctoritate Sacerdotalis Romani ex D. Antonino dicentis, *infirmus, qui amisit loquelam, vel usum rationis, si bene vivebat, quamvis non petierit Sacramenta, debet præsumi contritus; & Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia, & peccato*; dat quoque infirmo suscipere potenti Eucharistiam,

niam; quamvis non esset confessione materialiter integra confessus, *deinde debet dari ei Eucharistia &c. quamvis non sit confessus, quia non potuit.* Addit Henno *cit. quæst.* 10. *concl.* 2., *& Gaspar Nemius Antuerpiensis Episcopus, ac posteà Archiepiscopus Cameracensis declaravit coram omnibus in disputatione publica in Conventu nostro Antuerpiensi habita anno* 1652. *die* 5. *Februarii illam esse probabilem, & in praxi tutam.* Ex quibus clarum est, hujusmodi moribundum saltem esse sub conditione absolvendum.

Nec dicas, Leo Pontifex, duo allata Concilia Carthaginense, & Arausicanum, ut & Ritualis Romanus, ad moribundi absolutionem, quod signa ostenderit pœnitentiæ *per se, vel per alios*, omninò requirunt: contra, nobis favent; hujusmodi signa & nos requirimus; quæ vel certa sunt, ac specialia, & tunc absolutè absolvendus est infirmus; vel dubia sunt, & communia, & tunc est, apposita conditione, absolvendus. Extremam Unctionem huic moribundo assignat Ritualis Romanus, sed non aliis Sacramentis exclusis; cum etiam Eucharistia danda sit, si possit infirmus, *debet dari ei Eucharistia &c. quamvis non sit confessus, quia non potuit*; ait in suo memoriali confessariorum Gregorius XV. Pauli V. successor: si Extrema Unctio danda est ex Rituali Romano (de qua an per accidens mortalia remittere possit, dubium est, cùm Sacramentum sit vivorum) quantò magis Sacramentalis danda erit absolutio? Quam satis in verbis illis præscripserat, *etiamsì confitendi desiderium vel per se, vel per alios ostenderit*, per signa quidem specialia, vel communia; dubia, vel certa.

Dices iterum, Confessio Sacramentalis, cùm pars sit Sacramenti Pœnitentiæ, sensibilis esse debet: Contra, libenter admitto; sensibilis esse debet; per signa, sive specialia, & certa, & tunc absolutè danda est absolutio; sive dubia, & communia; & tunc non nisi extrema urgente necessitate, & sub conditione solum est absolutio danda. Si dicas, angustias, gemitus, clamores in moribundo, nulla esse signa pœnitentiæ: verum est, si de signo certo, ac indubitato loquaris; si de signo dubio dicis, verum est quoque relatè ad moribundum, qui vel impiè vixit, vel certa signa pœnitentiæ dare potest; secus verò de illo moribundo dicendum, qui piè, & catholicè vixit, nec potest alia signa dare pœnitentiæ, quàm angustias illas, gemitus, clamores; cum ex una parte satis verisimile sit, velle piè mori, qui piè vixit; idque ostendere velle per ea signa, quæ potest: ex altera parte, estò sint ea signa naturalia, nec de se significativa pœnitentiæ; certum non est naturalia ea signa nec ab infirmo, qui viribus destitutus est, ac impotens alia signa edere pœnitentiæ, ad illam ordinari: non est certum; ergo dubium, immò & satis inverisimile oppositum in eo, qui piè, & catholicè vixit; siquidem hi omnes, experientia teste, omni modo, quo possunt, petunt in extremis absolvi.

Dices tandem, ergo & absolvendus erit qui in actuali peccato mortali, ex: gr: in duello, adulterio, furto, subitò sensibus est destitutus; cum de quolibet christiano præsumatur, saltem piè velle mori. Contra, illationem ullam sine dubitatione admittunt Keslingerus *ad cit. num.* 76., La Croix, Henno, Giribaldus, Stoz, Gormaz, & passim alii apud ipsos; siquidem sic in actuali peccato destitutus, vel signa dat cer-

ta

ta finalis pœnitentiæ; vel signa certa finalis impœnitentiæ; vel factus impotens nulla dat certa signa; si primum, erit utique, & sine ulla conditione absolvendus; si secundum, absolutio est illi neganda; si tertium, ex datis rationibus erit utique sub conditione absolvendus; cum fortè pœnitentiam per communia illa signa petat: quod in actuali sit peccato destitutus, signum non est certum finalis impœnitentiæ; cum etiam in eo statu gravissimè vulnerati, si loqui possint, petere soleant absolutionem: absolutè absolvendus est, si tunc per certa signa petat; si ergo per signa dubia, & communia petat, erit utique sub conditione absolvendus. Innumeri quos adducunt, in oppositum auctores facilis sunt explicationis; omnes, ut moribundus absolvatur, signa requirunt pœnitentiæ; idipsum & nos petimus: signa requirunt; at non indubitata semper, ac certa, nisi esset absolutè & sine conditione absolvendus. Hujusmodi absolutionem valoris esse incerti, ac periculo frustrationis expositum, frustrà clamant oppositores: Siquidem; semper ac possumus, certi valoris esse debet quæ datur absolutio sacramentalis; & in prima propositione inter 65. ab Innocentio XI. proscriptas, damnatur oppositum; at quid si extrema necessitate urgente, periculum immineat animarum, & indubitati valoris absolutio dari non possit? Erit utique danda omni meliori modo, quo potest, dummodo non sit certè invalida; ac tutissima tunc erit absolutio illa moribundi; cum per appositam conditionem, periculum vitetur frustrandi Sacramentum, (sic enim absolvens, absolvere non intendit supposita incapacitate subjecti) ac æternæ saluti decedentium, quantum possumus, consulatur: nonnè dubii valoris est, & nonnisi sub conditione dandus, baptismus in manu, vel pede collatus? Attamen sic dandus est, si periclitetur, cum nascitur, infans: latiùs de hoc argumento dictum est Appendice XIII. inter novas ac Dissertatione II.

APPENDIX XVII.

INTER NOVAS *Post num.* 3126.

An, & quomodo inferior Sacerdos à reservatis indirectè absolvere possit.

ABsolvere posse in quocunque casu, manente tamen obligatione comparendi apud Superiorem, ut à reservatis directè pœnitens absolvatur, asserunt Bordonus *tom.*1. *resol.*39. *num.*43., Antonius à Spiritu Sancto *disp.* 16. *sect.*9. *num.*1380. Januarius de casibus reservatis *resol.*7., Novar., Cajetanus, Sà, Valentia, Zerola, Medina, Sayrus, aliique apud ipsos, & Marin. Pro nullo casu, etiam necessitatis extra mortis periculum, sic absolvi posse à simplici Confessario, tenent alii, Simonnet *disp.* 9. *art.*7., Vasquez *quæst.*91. *art.*3., Riccardus, Durandus, Adrianus; & de reservatis cum censura idem affirmant Sotus, Canus, Silvius, & alii apud Aversa *quæst.*17. *sect.*9., & Marin. *disp.* 11. *à num.* 140., sicque debere pœnitentem

po-

potius neceſſitate urgente, cum ſola contritione, & nulla confeſſione præmiſſa ad communionem accedere; cum deficit Superior poteſtatem habens in reſervata, quem poſſit adire. At nonniſi ex rationabili cauſa, & neceſſitate urgente, ex:gr: vitandi ſcandalum, abſolvere poſſe, ac manente pœnitentis obligatione adeundi Superiorem, ut à reſervatis abſolvatur; communis, & vera ſententia docet, Rotarius Theologiæ Regularium *tom.*3.*lib.*1. *cap.*1.*pun.* 6. *num.*4., Platellius *à num.*911., Viva *part.*5.*art.*7. *à num.*6., Giribaldus *cap.*16. *dub.*6., Salmanticenſes Morales *cap.* 13. *pun.*6., La Croix *in tract. theologico à quæſt.*23., Matin. *diſp.*11. *à num.*134., Salmanticenſes Scholaſtici *diſp.*8. *num.*70. *&* 218., Catalanus *cap.* 15. *num.* 20., Ciera *de caſibus reſervatis diſſert.*1. *quæſt.*10., & innumeri apud ipſos.

Et quidem Bordoni ſententiam non videtur facile ſuſtineri poſſe; ſiquidem confeſſionis integritas etiam materialis eſt de jure divino; ut ergo ſine gravi cauſa, ac neceſſitate urgente, peccatorum confeſſio dimidiari non poteſt in se, ſic neque dimidiari poteſt relatè ad Sacramentalem abſolutionem, ut aliqua ſolùm peccata ſint directè, & Sacramentaliter abſoluta; ſecus alia, quæ adhuc abſolvenda manerent: quam verò praxim ſibi favorabilem adducit Bordonus, Rotarius negat. Pari modo rejicienda eſt ſententia Vaſquii: eo quia ut gravi cauſa urgente Sacramentalis confeſſio dimidiari poteſt in se, ſic & relatè ad Sacramentalem abſolutionem, modo jam explicato, dimidiari poteſt: nullam eſſe abſolutionem ex defectu juriſdictionis in abſolvente, ait Vaſquez; ſed immeritò; cum defectus juriſdictionis in caſum reſervatum, in caſus non reſervatos juriſdictionem minimè tollat; nonnè valet abſolutio, ſi, cum non reſervata ſubjiciuntur clavibus, reſervatum ex oblivione, ignorantia; vel alia juſta cauſa fuerit omiſſum? Negat hanc inſtantiam Simonnet; ſed malè, & contra omnes: cum eadem ſit ratio de non reſervato, ſi ex iiſdem fuerit cauſis omiſſum; ut enim in ſimplici confeſſario nulla eſt in reſervata poteſtas, ſic & nulla eſt in peccata, quæ non ſunt clavibus ſubjecta: hæc autem eſſe indirectè, ſeu per accidens remiſſa per directam aliorum peccatorum, quæ ſubjecta ſunt clavibus, abſolutionem, certum eſt ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *de Pœnitentia cap.* 5. in illis verbis, *reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur*: idem ergo dicendum de reſervatis juſta de cauſa omiſſis; cum ampliſſima illa ſit locutio, *reliqua autem peccata &c.*

Dices ex Tridentino ibidem *cap.* 7., Sacerdos inferior extra mortis periculum nihil poteſt in caſus reſervatos; adeoque nec indirectè ab illis abſolvere poteſt; aliàs proculdubio aliquid in reſervata poſſet. Contra, de ſola abſolutione directa loqui Concilium, clarum eſt; & quod pro abſolutione, quæ nonniſi directa eſt, ſit Superior adeundus: *extra quem articulum* (Tridentinum ait) *Sacerdotes cum nihil poſſint in caſibus reſervatis; id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos judices pro beneficio abſolutionis accedant.* Abſolutionem hanc eſſe directam, vident omnes, eamque ſolam, cum de confeſſario loquitur inferiore, excluſam eſſe à Tridentino: abſolvat quantum poteſt inferior à non reſervatis, ſicque indirectè, ac per accidens etiam à reſervatis; ſemper eadem eſt in

pœnitente obligatio, Superiorem pro reservatorum absolutione adeundi: nihil confessarius in peccata, justis de causis, clavibus non subjecta potest, cum de illis nullum queat formare judicium, quamvis indirectè ab illis absolvat. Indirecta reservatorum absolutio nullam arguit in illa jurisdictionem, sed in alia solùm peccata, quæ nisi dimittantur omnia, etiam reservata, dimitti non possunt. Neque valet, in forensi judicio Judicem à delictis, quæ suæ non sunt jurisdictionis, absolvere non posse, estò cum aliis sint delictis, quæ suæ jurisdictionis erant: cum Judici Sacramentali, secus autem forensi indirectè absolvendi sit collata potestas, in aliquibus saltem casibus, ab omnibus admittenda. Poterit ergo pro casu magnæ necessitatis, puta tuendæ vitæ, vel famæ servandæ, aut scandali vitandi, vel præcepti annuæ confessionis, aut communionis adimplendi &c., confessarius inferior à non reservatis absolvere, pœnitente de obligatione monito Superiorem pro absolutione à reservatis adeundi.

Posse in his casibus simplicem confessarium à reservatis etiam directè absolvere, & sine onere adeundi pro absolutione Superiorem; non benè ait Illustrissimus Verde in opusculo pro Caramuele pluribus citatis, quorum sententia *mihi non displicet*, ait Sporer *num. 756.*, & amplectitur Marchantius Tribunalis *tract.1. tract.4. qu. 8.*: cum oppositum in allatis Tridentini verbis videatur satis clarè decisum: hoc ipsum expressè decidit Sacra Congregatio in epistola ad Cardinalem Filamarinum Neapolitanum Archiepiscopum apud Felicem Potestatem *tom. 1. num. 345.*, Donatum, Peyrinum, aliosque; data est die 7. Decembris an. 1646.; sicque habet, *faccia intendere a tutti li Confessori di costì, siano quanto si vogliano privilegiati, ed esenti, che onninamente si conformino a' suddetti decreti* (idest Clementis VIII., & Pauli V. *de casibus reservatis*) *e non ardiscano di contravenire sotto qualsivoglia pretesto, o caso, etiam di precisa necessità, fuorche in articulo mortis, con reincidenza, si convaluerint*: & prius dicitur, *questi miei Eminentissimi Signori di commissione espressa di Sua Beatitudine mi hanno imposto di scriverle &c.*

Hinc habens mortalia non reservata, & simul etiam reservata, si necessitas urgeat celebrandi, vel communicandi, neque copia sit Superioris, tenetur illa omnia simplici confessario, si adesset, aperire; ut communiùs, ac probabiliùs Theologi docent, Salmanticenses Scholastici *disp.8. nu. 70.*, *& 218.*, La Croix *cit.q.23.*, Catalanus *num.21.*, & innumeri apud ipsos, contra Vasquium, Palaum, aliosque. Cum in his casibus nulla sit necessitas dimittendi, vel dimidiandi confessionem; nec ullus conscientiam habens peccati mortalis, non præmissa confessione Sacramentali, celebrare possit, vel communicare: *etiamsi Sacerdos* (ait Angelicus Doctor supplementi *qu.9. art.2. ad 4.*) *non possit de omnibus absolvere, tamen tenetur pœnitens ei omnia confiteri*. Semel peccata sunt clavibus subjicienda; verum est, regulariter, & per se loquendo, secus verò per accidens, ut in casu nostro. Dices, confessio illa reservatorum legitima non esset, ac Sacramentalis, cum facta non sit apud Judicem competentem: contra, facta proculdubio foret apud Judicem competentem, per se quidem relatè ad non reservata, quoad reservata verò per accidens, modo jam explicato: ex quo

ex quo autem etiam reservata simplici confessario essent aperienda, non ideò essent absoluta directè; siquidem in ea nullam habet confessarius jurisdictionem: Sacramentalis quidem esset confessio reservatorum relatè ad non reservata, quæ aliàs defectu debitæ integritatis ipsius confessionis ritè absoluta non essent.

APPENDIX XVIII.

INTER NOVAS *Post num.* 3145.,

ET

APPENDICEM XLIII.

INTER ANTIQUAS:

De illicita copula in confessione specialiter explicanda.

CUm inter propositiones ab Alexandro VII. damnatas die 24. Septembris anno 1665. sic habeat 25., *qui habuit copulam cum soluta satisfacit confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam*: à propositione in superiori Appendice contenta maximè cavendum, in qua versu *quid* sic habetur, *an autem sufficiat fornicanti dicere, se deliquisse contra castitatem, valdè dubium est, etiamsi addat, se interius, ac exteriùs graviter deliquisse*: siquidem non sufficere non dubium est, sed certum; cum & jam fuerit per allatam damnationem ab Apostolica Sede certissimè definitum. Nonnè interiùs, ac exteriùs graviter contra castitatem deliquisset, per tactus, & oscula ob veneream delectationem habita sive cum masculo, sive cum fæmina, quin iniquus alius habeatur congressus? sitque de fide omnia, & singula mortalia tum quoad numerum, tum quoad speciem explicanda esse in confessione. Tactus, & oscula ob veneream delectationem habita, peccatum esse grave contra castitatem, minimè negabis; ne in propositionem incidas 40. inter damnatas ab Alexandro VII. die 18. Martii anno 1666., sic habentem, *est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis*. Quod omnia ista ejusdem sint speciei contra castitatem, nec dicere potes; cum contra virtutem castitatis innumera sint peccata diversæ speciei; satis constat ex 24. propositione ab eodem Pontifice damnata, sic habente, *mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem*: Illa cum castitate pugnant, sed satis diverso modo; cum copula actus sit principalis, & completus; illi verò actus solùm præviæ sint dispositiones; scribentes vide in allatam propositionem 25.

APPENDIX XIX.

INTER NOVAS *Post num.* 3337.

An, & quando ab hæresi absolvere possit Episcopus.

TRiplex est forus, quem respicit absolutio; siquidem forus alius est contentiosus, qui & vocatur externus, alius est Sacramentalis, qui in Pœnitentiæ Sacramento habetur; alius inter utrunque mediat, & dicitur forus conscientiæ, in quo etiam à non confessario haberi potest absolutio ab ordinariam potestatem habente; ut si à Vicario Generali non Sacerdote à censuris quis esset absolutus; sic communissimè Theologi cum Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio disp.* 34. *num.* 29., & Miranda *tom.* 1. *quæst. regular. quæst.* 46. *art.* 7. Hinc & absolutio pro foro conscientiæ data, minimè pro externo foro valet; & hæreticus ab habentibus potestatem absolutus pro foro conscientiæ, si deinde fuerit in foro externo accusatus, minimè hujus fori pœnas evadet; sic Reiffenstuel *tit. de hæreticis num.* 349., Pirhing *eodem tit. num.* 44., & passim Theologi; siquidem diversos habent hæc judicia fines; salutem animarum præcipuè respicit conscientiæ forus; publicam vindictam, ac scandali reparationem respicit forus externus.

Cum facta sit Episcopis à Tridentino facultas absolvendi à quibusvis casibus occultis Apostolicæ Sedi reservatis, nec hæresi excepta; sic enim habet *sess.* 24. *de reformatione cap.* 6. *Liceat Episcopis &c. in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari: idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ, eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum*: dubium insurgit an hæc sit revocata facultas per Bullam Cœnæ Domini quoad casus in ea contentos, ac hæresis crimen specialiter in ea reservatum: Negant Sbogar *tract.* 140. *num.* 34., Huth *tit. de hæreticis quæst.* 6.; & innumeris congestis Giribaldus *tract.* 4. *in Decalog. cap.* 2. *à num.* 52.; Salmanticenses *tract.* 10. *cap.* 2. *à num.* 56., & *tract.* 21. *cap.* 3. *à num.* 81.; aliique. Sed pluribus aliis adductis affirmant nostri del Bene *de Officio S. Inquisitionis part.* 1. *dubio* 55., Pistachius *de superstitione p.* 1. *cap.* 29. *num.* 5., & Diana *tom.* 5. *tract.* 8. *resol.* 15., & 17.; Reiffenstuel *supra à num.* 351.; Matthæuccius *cap.* 38. *Officialis Curiæ Ecclesiasticæ num.* 26.; Roncaglia *quæst.* 1. *de censuris cap.* 6. *quær.* 4., Lugo *de fide disput.* 23. *sect.* 3. *à num.* 56.; Barbosa *de officio, & potestate Episcopi allegatione* 40. *à num.* 21., quadraginta sex Doctoribus congestis; aliique plures.

Cum quibus omninò sentiendum est; cum pluries hoc ipsum fuerit à Sacra Congregatione Concilii, & à Sancta Romana universali Inquisitione decisum; idem habet Fagnanus in *cap. quoniam de constitutionibus num.* 29.,

& cap.

& cap. dilectus de tempor. ordinat. num. 31. addens *unde frustrà nonnulli ex recentioribus Theologis hunc articulum in controversiam adducant ; cum habeamus claram determinationem Sacræ Congregationis* : idem habet Cardinalis Sperellus *dec.* 112. *num.* 61. per hæc verba : *& ita in supremo Inquisitionis Prætorio Romano pronunciatum fuisse testatur Pegna &c. ; & sic declarasse Gregorium XIII., & Clementem VIII. , testatur Fuscus &c. ; & ita dum ego essem unus ex Prælatis Consultoribus in eodem supremo Romanæ, & universalis Inquisitionis Prætorio , declaratum fuit die lunæ 28. Octobris* 1641.: idem habet Jacobus Pignatellus *tom.* 1. *consultatione* 294. , aitque , *quare hodie frustrà laborant viri doctissimi in astruenda contraria sententia , quæ olim , ac nuper à supremis Tribunalibus Urbis , atque à praxi explosa est : sæpe enim suprema , ac Romana Inquisitio declaravit &c.* Non ergo amplius de hac re dubitandum .

Quod & Bulla ipsa Cœnæ Domini satis docet ; in qua illorum casuum absolutio soli Romano Pontifici reservatur ; & quibuscunque aliis prohibetur , *etiam Episcopali , vel alia majori dignitate præditis* ; cum expressa clausula derogatoria , *non obstantibus cujusvis Concilii decretis* : Sermonem ibi esse etiam de absolutione in foro conscientiæ , tum universalissima locutio Bullæ , tum clausula illa derogatoria *cujusvis Concilii* in oppositum , satis clarè demonstrant . Nec dicas , cum derogatur Conciliis generalibus , præsertim Tridentino , expressa , ac specifica illorum mentio requiritur . Contra , vanum effugium ; admittenda hæc est regula , cum est dubia inter priorem , ac posteriorem legem oppositio , secus autem si clara sit oppositio , & una lex sit cum altera incompossibilis ; tunc enim semper verum est quod per legem posteriorem priori legi derogatur ; uti videre est apud Fagnanum *in cap. ex part.* 18 *de privilegiis num.* 26. ; quod sæpius à Sacra Congregatione Concilii decisum est, ut etiam à Rota Romana die 16. Decembris 1594. apud eundem *in cap. nulla* 2. *de concess. Præb. num.* 86. , & Matthæuccium *Officialis cap.* 35. *num.* 7. ; solvit objecta Reiffenst. *tit. de constitutionibus num.* 526. : item verba illa *cujusvis Concilii* , solum Tridentinum designare possunt ; cum solum ab illo sit Episcopis data potestas absolvendi ab hæresi occulta , & quidem in foro conscientiæ *tantùm* ; ut optimè cum aliis noster Diana *cit. resol.* 17.

Paucissimi hodie sunt in oppositum Auctores; cum & damnatum videatur in tertia propositione inter damnatas ab Alexandro VII. die 24. Septembris anno 1665. , sic habente , *sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis , & aliorum criminum , quando publica sunt ; & id non derogare facultati Tridentini , in qua de occultis criminibus sermo est , anno 1629. 28. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Emin. Cardinalium visa , & tolerata est* : sicque sentiunt Reiffenst. *tit. de Hæreticis num.* 262. , Gobat *tract.* 7. *Theologiæ experim. num.* 270. *editionis ultimæ*, Illsung *de Pœnitentia num.* 214., Cardenas *tract.* 1. *Crisis Theolog. disp.* 9. *cap.* 20. *num.* 345., Sabinus, Lastra, Filguera, Araña, Lumbier, Theatrum Morale, Lucerna Moralis, aliique passim in tertiam illam propositionem damnatam scribentes : & quidem meritò ; siquidem quod sententia nobis opposita à Sacra Congregatione visa fuerit, ac tolerata, ut scandalosum in hac propositione damnatur ; scandalosa igi-

igitur quæ in ea dicitur ſententia tolerata; aliàs cur ſcandaloſum, illam non prohibere ſententiam? Item quæ ab Alexandro VII. damnantur propoſitiones, principaliter quoad praxim damnatæ ſunt; praxis igitur eſt oppoſitæ nobis ſententiæ, quæ in tertia propoſitione damnatur; ſecus autem quod viſa illa fuerit, ac tolerata; aliàs ad quid tanta ſollicitudo in illa propoſitione damnanda? Item quod ea ſententia viſa, ac tolerata ſit, eſt certè damnatum; atqui damnatum non eſt quod à Sacra Congregatione viſa fuerit; atque diſcuſſa; hoc enim certum eſſe oſtendimus, & utraque ſententia dicit; eſt ergo damnatum quod à Sacra Congregatione prohibita non ſit, ſed tolerata, atque permiſſa, quæ nobis adverſatur ſententia: adeoque ex oppoſito dicendum, oppoſitam ſententiam à Sacra Congregatione prohibitam fuiſſe, atque damnatam: quod & Sacræ Congregationis, ac Sanctæ Romanæ Univerſalis Inquiſitionis allatæ deciſiones oſtendunt.

Idem de Inquiſitoribus dicendum noſter Piſtachius evincit *cit. cap.* 29. *num.*7. ex Santarello, Farinacio, Zecchio, Novario, Ricciullo, Riccio, Suario, Barboſa, Ferdinando de Caſtro, & noſtro Alphonſo de Leone; idque ſatis allatæ declarationes probant: quam verò conceſſionem Clementis VII. incipientem *cum ſicut &c.* editam anno 1530. Salmanticenſes adducunt *cit. cap.*3. *num.* 90., de abſolutione in externo foro communiùs explicant. Quid ergo cum Hæreticis faciendum, ſi pœnitentes ad Eccleſiam redire velint? Reſpondetur, quod poſſit Epiſcopus hæreticum etiam notorium abſolvere pro foro externo, idque de jure communi ut delegatus Apoſtolicæ Sedis, dummodò hæreticus ſuam prius hæreſim coram Notario, ac Teſtibus abjuret: ſic Pignatellus *cit. conſult.*294., Reiffenſtuel *tit. de Hæreticis nu.*369.; Roncaglia *cit. quær.*4.; noſter Piſtachius *num.*2., & communiſſimè; ac pluriès fuit à Sacra Congregatione deciſum apud Pignatellum. Poſſunt hoc ipſum Inquiſitores, ut certum eſt ex cit. Conſtitutione Clementis VII., *cum ſicut &c.* Hæc autem abſolutio pro foro externo data, etiam pro foro interno juvat; cum per illam omnis ablata ſit reſervatio; ſicque à ſimplici etiam Confeſſario abſolvi poterit; Reiffenſtuel, Pirhing, Palaus, Farinacius, & paſſim alii.

Dubitatum aliquando fuit, an ſi in Bulla Jubilari, vel alia, ab omnibus caſibus in Bulla Cœnæ reſervatis abſolvendi ſit conceſſa facultas, poteſtas etiam abſolvendi ab hæreſi pro foro conſcientiæ conceſſa intelligatur, quin ſit ſpecialiter expreſſa: affirmantibus aliis cum Soto, Farinacio, Reginaldo, Filliucio, Fagundez; aliis verò negantibus cum Suario, Vaſquio, Navarro, Garcias, Barboſa, Sanchez, & noſtro Diana. At hodiè negativa hæc ſententia certa eſt Theologis, Reiffenſtuel *num.*405.; Salmanticenſ. *cit. cap.*3. *num.*89.; Campiono *par.*1. *Inſtructionis Confeſſar. cap.*21. *num.*14., Matthæuccio *lib.*1. *Cautelæ Confeſſarii cap.*34 *num.*29., Catalano *par.*4. *quæſt.*12. *cap.*9. *num.*4.; Felice Poteſtate *tom.*1. *Examinis num.*3825., *&* *tom.*2. *num.*296.; aliiſque: Cum ſit à Sancta Romana Univerſali Inquiſitione expreſsè deciſum de mandato Alexandri VII. die 23. Maii an. 1656., per hæc verba, *cum crimen hæreſis præ cæteris graviſſimum ſpeciali nota dignum ſit, decrevit facultatem abſolvendi ab hæreſi, in Jubilæis, vel aliis ſimilibus conceſſionibus, non cenſeri comprehenſam, niſi præciſis verbis concedatur facultas abſolvendi ab hæreſi.* Non amplius ergo dubitandum; ſiquidem de hujus decreti exiſtentia dubitari

non

non potest; cum per extensum ipsum referant, Matthæuccius, & Campionus Romæ scribentes, Reiffenstuel, & Salmanticenses supra; Keslingerus *de Indulgentiis*, *ad num.* 129. supplementi Reiff.; singulis quoque annis feria 6. post octavam Assumptionis tum in Hispania, tum in Sicilia publicatur, uti Salmanticenses testantur, ac Felix Potestas *cit. num.* 296. Quo stante decreto, quis de illius obligatione dubitare audebit? eo per extensum allato, addunt Salmanticenses, *ex quibus manet ablata omnis probabilitas sententiæ contrariæ*; & Reiffenstuel quam sequitur sententiam, *quasi certam, & in praxi omninò sequendam* dicit. Adde hoc ipsum ante fuisse à Sancta Romana Inquisitione de mandato Innocentii X. decisum die 23. Maii an. 1652. ad instantiam Inquisitoris Toletani; quam per extensum habes apud nostrum Diana *tom.* 9. *tract.* 7. *resol.* 118., *ex par.* 12. *tract.* 2. *resol.* 25.; qui & fatetur illam in forma authentica præ manibus habuisse. Oppositum sentiunt Germaniæ Scriptores, La Croix *num.* 1451., Kazenberger, Gobat, aliique; sed de suis loquuntur Regionibus, in quibus impunè grassantur hæreses; secus verò de nostris; uti expresse notant Vanrast *quæst.* 10. *de Jubilæo num.* 40., & Keslingerus *cit. num.* 129.; sicque & alii sentiunt Auctores, apud Reiffenst. *num.* 404.

APPENDIX XX.

INTER NOVAS *Post num.* 3354.

De Sacerdote pro articulo mortis absolvente.

Sacerdotem hæreticum, vel excommunicatum vitandum absolvere posse in articulo mortis, omni alio deficiente Sacerdote, mordicùs negant pluribus citatis Capisucchius *in selectis par.* 1.; Fagnanus *in cap. non est vobis de Sponsalibus*; Pignatellus *tom.* 10. *consult.* 163.; Clericatus *decis.* 45.; Matthæuccius *cap.* 2. *Officialis num.* 19.: At à communi Theologorum sententia minimè recedendum, affirmante, quod absolvere possit; sic innumeris citatis Salmanticenses Scholastici *disp.* 12. *à n.* 61., Salmanticenses Morales *cap.* 11. *à num.* 19., Catalanus *cap.* 13. *num.* 5., Sporer *num.* 723., La Croix *n.* 1560., Marin. *disp.* 10. *num.* 8., Henno *disp.* 8. *quæst.* 3., Campionus *par.* 1. *Instructionis Confess. cap.* 41. *num.* 12.; imò & clarè docet Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 7. notabilibus illis verbis, *Ne aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt*; ubi ut nullus excipitur pœnitens, vel casus reservatus etiam hæresis; sic & nullus Sacerdos, qui absolvat, cum etiam Sacerdotes hæretici, vel excommunicati veri sint Sacerdotes.

Nec dicas Tridentinum ibi loqui de casibus reservatis; adeoque & de solis Sacerdotibus jurisdictionem habentibus; quam hæretici, vel excommunicati nec in articulo mortis habent, ut decisum est à Sacra Congregatione; quam decisionem Fagnanus per extensum adducit; eamque apud se habere in forma authen-

authentica, testatur Capisucchius. Contra, non de solis Sacerdotibus jurisdictionem habentibus loquitur ibi Tridentinum; alii sunt etiam ibi comprehensi Sacerdotes; aliàs illis deficientibus nec simplices Sacerdotes in articulo mortis absolvere possent; ut ergo etiam isti jurisdictionem habent delegatam in eo casu pro mortis articulo, sic hæretici, & excommunicati vitandi, aliis Sacerdotibus deficientibus: si verò alii præsentes sint Sacerdotes, hæretici, & excommunicati etiam pro articulo mortis, cum omni careant jurisdictione, nulliter absolvunt; quod solum est à Sacra Congregatione decisum; celebre factum est, quod Campionus *cit. n. 12.* his verbis adducit, *Occasione cujusdam Episcopi, qui in examine interrogatus, an Sacerdos nominatim excommunicatus posset absolvere in articulo mortis, respondit affirmativè; fuit excitatum murmur ob doctrinam Fagnani; & dubio delato ad Innocentium XI., hic jussit supprimi quæstionem; nec ampliùs dubitari de opinione affirmativa.* Nec dicas iterum, ea mandat Tridentinum, quæ ante fiebant, *Custoditum semper fuit*; & quod hæretici, vel excommunicati vitandi absolvere possint in articulo mortis, nunquam in Ecclesia servatum est; ut constat ex Can. *si quem fortè*, 24. *qu.* 1.; Can. *præter dist.* 32.; & Can. *Arrianos*, 1. *q.* 1., ubi dicitur, *ideoque talibus solus baptismus ratus esse permittitur*. Contra, etiam hoc *custoditum semper fuit* (aliis deficientibus Sacerdotibus) *ne aliquis pereat*; Can. *si quem fortè* apertissimè favet; hunc enim titulum habet *in extremo positus etiam ab hæretico pœnitentiam accipere valet*: de baptismo diversa est ratio, baptismus, præsentibus aliis, ab hæretico, vel excommunicato vitando collatus, ratus est, quamvis illicitus; absolutio verò sic data etiam pro mortis articulo, irrita est, ac nulla; valida tamen foret, si omni alio Sacerdote deficiente, daretur.

Simplicem Sacerdotem non approbatum posse in articulo mortis absolvere, præsente Confessario approbato; affirmant, Sabinus Lucis moralis *tract.* 67. *à num.* 13., Marchinus de Peste *par.* 3. *cap.* 3. *à num.* 10., Navar. Sà, Ledesma, Rodriquez, Vega, Henriquez, Barbosa, Villalobos, Coriolanus, Comitolus, Antonius à Spiritu Sancto, noster Diana, aliique plures: sed communissimè, & quidem meritò negant alii, Giribaldus *cap.* 13. *à num.* 19., Salmant. Scholastici *disp.* 12. *num.* 64., Salmant. Morales *cap.* 11. *à num.* 30., Sporer *num.* 724., La Croix *num.* 1562., Suar., Vasquez, Coninch, Aversa, Sanchez, Graffius, Sotus, Ugolinus, Madernus, Lugo, Leander, Palaus, & innumeri apud ipsos. Siquidem in eo casu non deficeret copia Confessarii, nec periculum immineret animarum, si simplex Sacerdos absolvere non posset: Accedunt Romanus Catechismus de Sacramento Pœnitentiæ *num.* 55., & Ritualis Romanus in rubricis de hoc Sacramento, in quibus tantùm agnoscitur in simplici Sacerdote hujusmodi facultas absolvendi, casu quo Sacerdos deficiat approbatus: hoc idem fuisse à Sacra Congregatione decisum, testatur Nicolius Lucubrationum *par.* 2. *libro* 5. *tit.* 39. *num.* 43., ut etiam à Gregorio XIII., scribit Molina *tom.* 4. *de justitia disp.* 63., & oppositam sententiam fuisse ab eodem Pontifice damnatam, ait Turrianus *in Selectis centuria* 2. *dubio* 77.: at à censuris abstinendum; cum de illis certò non constet. Nec dicas, idem ergo dicendum, si moribundus casus habeat reservatos, qui absolvi non posset à simplici Confessario, præsente Sacerdote in reservata potestatem

ha-

habente: cum idipsum ut probabilius afferant Lugo *disp.* 28. *num.* 24., & Roncaglia *qu.* 5. *cap.* 1. *quær.* 3., aliique, ex eadem adducta ratione. Cæterum placet Sabini consilium, petente moribundo absolutionem, *ne hac occasione aliquis pereat, omnes accurrere debere; & prior, ac velocior pedibus, ardentior charitate, audiat, & absolvat*: mittant quoque Superiores subditos etiam simplices Sacerdotes, si approbatos vel non habeant, vel commodè mittere non possint; cum & simplex Sacerdos moribundum absolvere possit, si nullus sit moribundo præsens approbatus.

Confessarius estò plenissimam potestatem habeat in reservata, nullitèr in articulo mortis absolvit, alio præsente Confessario, a peccato in re venerea, cujus ipse fuit complex; & hoc quocumque privilegio non obstante, sivè Confessarius sæcularis sit, sivè regularis; ut expressè decisum est à Summo Pontifice Benedicto XIV. hoc anno 1741. die prima Junii per Bullam incipientem, *Sacramentum Pœnitentiæ &c.*, quam dabimus infrà, per hæc verba, *omnibus, & singulis Sacerdotibus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus cujuscumque ordinis, ac dignitatis, tametsì alioquin ad confessiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, & Indulto, etiam speciali expressione, & specialissima nota, & mentione digno suffultis, auctoritate Apostolica, & nostra potestatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum extrà casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto contrà sextum Decalogi Præceptum commisso excipere audeat, sublatâ propterea illi ipso jure quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeò quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omninò sit, tamquam impertita à Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad validè absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per præsentes has nostras adimere intendimus.*

In articulo mortis absoluti à non habente in reservata potestatem; Superiorem adire tenentur, cum cessat impedimentum, si casus censuram habeant reservatam, secus aliàs; sic ferè omnes cum Giribaldo *cap.* 16. *de pœnitentia num.* 43., & Ciera *de casibus reservatis dissert.* 1. *quæst.* 15. Contra Vasquium, aliosque paucos: cum solùm de censuris reservatis hoc sit in jure dispositum *in cap.* 22. *de sentent. excom. in* 6., *aliisque eod. tit.*; ac dicatur in Bulla Cœnæ Domini, *cæterum à prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in articulo mortis constitutus &c. absolvi possit*; non dicit *à peccatis, sed à sententiis*, seù excommunicationibus. Immò & pro sola excommunicatione, secus pro interdicto, ac suspensione hanc statutam esse obligationem, sentiunt cum aliis Ciera *num.* 132., Suar., Coninch, Reginaldus; cum jura de sola loquantur excommunicatione.

Cum singuli Sacerdotes moribundum absolvere possint *à quibusvis peccatis, & censuris*, ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 7.; dubium est quid ibi veniat nomine *censuræ*; de sola excommunicatione loqui Tridentinum, sentit Cardinalis de Lugo *disp.* 20. *de pœnitentia num.* 203.; de excommunicatione,

ac interdicto ſermonem eſſe, putat Sanchez *lib.2. Summa cap. 13. num. 12.*; etiam de ſuſpenſione intelligendum eſſe Concilium, aſſerunt Keslingerus *diſt.2. de cenſuris ad num.75. Supplementi Reiff.*, *&* Giribaldus *cit. cap.16. num.42.*, poſt Ugolinum *de cenſuris tabula 1. cap.4.*, *&* Mazzucchellum *diſp. 1. quæſt. 3. diff.29.*; cum locutio Tridentini univerſaliſſima ſit, nec ullam excipiat cenſuram; ſicque extendi debere (in foro nempè conſcientiæ) ad omnem cenſuram, omnemque ſuſpenſionem ſive ab ordine, ſive ab officio, ſive a beneficio: nec referre dicunt verba illa Concilii *ne hac occaſione aliquis pereat*, ad quod abſolutio ab interdicto, vel ſuſpenſione conducere non valet; cum ea verba eſſe non poſſint menſura conceſſionis; aliàs nec ab excommunicatione abſolvi poſſet indefinitè, & quoad omnes illius effectus (inter quos etiam ſuſpenſio eſt, ac interdictum) ſed quoad ſolam Sacramentorum perceptionem; cum hæc ſufficeret, ne periculum immineat animarum.

Secus dicendum eſt de irregularitate, depoſitione, degradatione, ac de inhabilitate ad officia, vel beneficia; cum non ſint cenſuræ; nec abſolutione, ſed diſpenſatione tollantur. Idem eſt de privatione officii, vel beneficii, ex eadem ratione; non enim niſi à potente officium, vel beneficium conferre, tolli hæc privatio poteſt. Idem eſt de abſolutione à cenſuris relatè ad forum externum, & contentioſum; cum hæc non niſi à proprio Judice competente queat haberi; ſic Theologi omnes. Idem quoque dicendum de ſuſpenſione purè pœnali, ut ſi quis per triennium eſſet à celebratione ſuſpenſus; cum cenſura non eſſet, ſed ſimplex pœna, quæ ob delictum merè præteritum dari ſolet: qui tamen ſic ſuſpenſus celebraret, irregularitatem incurreret; quod pro certo habent Catalanus *quæſt.9. de cenſuris cap. 5. num.6.*, Suarez, Filliucius, Alterius, Sayrus, Bonacina, Palaus; & ſatis colligitur *ex cap.1.de ſentent.& re judic.& cap.1.de ſentent.excomm.in 6.*; nec quoad incurrendam irregularitatem, inter cenſuram ſuſpenſionis, & ſuſpenſionem merè pœnalem jura diſtinguunt.

Cum dicatur in Bulla Cænæ Domini, *niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſa tisfaciendo cautione præſtita, abſolvi poſſit*; quibus concordat *cap. de cætero, cap. ea noſcitur, cap. quamvis, & cap. quod de his, in tit. de ſententia excom. &c.* Non debet quis tunc a reſervatis abſolvi, niſi cautione juramento præſtita de ſtando mandatis Eccleſiæ, nempè ſuperiorem adeundi, ac ſatisfaciendi, ſi quæ ſit, parti læſæ, e. g. per homicidium, furtum, infamiam, contumeliam &c.: quod ſi deindè Superiorem adire omiſerit, cum poteſt, iterùm in eandem, nempè ſimilem incidet excommunicationem; *at in cap.eos qui, de ſententia excom. in 6.*, ſtatutum eſt. Superiorem adire debet, ut obedientem ſe oſtendat, & mandatum, non verò abſolutionem (cum jam fuerat, & quidem directè abſolutus, nulla enim eſt reſervatio in mortis articulo) de ſatisfaciendo ab eodem recipiat; ſic Pichler *tit. de ſent. excom. num.14.*, & paſſim Theologi. Immo intelligendum hoc eſſe de ſolo excommunicato publicè denunciato, non pauci ſentiunt cum Keslingero ad *cit. num.75. quær.2.*, Pichler *num.14.*, Sporer *de Pœnitentia num. 752.*, Salmanticenſes *cap. 2. de cenſuris num.18.*, Viva *qu. 8. de Pœnitentia artic.2. num.6.*

num.6., aliique; cum jura sic loqui videantur. Item quæ cautio danda est, sive pignoratitia, sive fidejussoria, sive juratoria de satisfaciendo parti læsæ, solùm est pro foro externo; Kazenberger *supplementi Decalogis cap. 3. num.* 60.; Keslingerus, Sporer, Navarr., Valerus, Henriquez, aliique innumeri; cum pœnitenti etiam non jurato, & cautionato, sit in Sacramentali foro credendum.

APPENDIX XXI.

INTER NOVAS *Post num.* 3698.

AC

DISSERTATIO IV.

De statu parvulorum in alia vita sine baptismo decedentium.

PRima sententia illis promittit Regnum Cœlorum; sed in oppositum est divinum eloquium Joannis 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in Regnum Dei*; & Divus Augustinus *lib.* 1. *de anima, & ejus origine cap.*9., quendam Vincentium refellens ait, *de illis parvulis, qui morte præveniuntur &c. ausus est eis promittere, non solùm Paradisum, verum etiam Regnum Cælorum*: habet hanc sententiam, ut probabilem Zuinglius relatè ad filios infidelium, ut certam verò relatè ad fidelium parvulos; quod secundum Calvinus amplectitur, Bucerus, aliique Sectarii.

Secunda sententia illos excludit infantes à Regno Cœlorum; secus autem à vita beata Sanctis promissa; quasi nomine Regni Cœlorum non veniat in scripturis illa vita beata, quæ promittitur Sanctis; sic de Pelagianis loquitur S. Augustinus *lib. de hæresibus cap.*88., *nam etiamsi non baptizentur, promittunt eis extrà Regnum quidem Dei, sed tamen æternam, & beatam quandam vitam suam*: quid verò nomine vitæ beatæ intelligant isti, videtur expressum in quodam Canone Concilii Africani apud Berninum sæculo 5. *cap.*1., ibi, *si quis dicat, ideò dixisse Dominum, in domo patris mei mansiones multæ sunt, ut intelligatur, quod in Regno Cælorum erit aliquis medius, aut altus, aut alicubi locus, ubi beatè vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, anathema sit*: certum est quoque, nomine vitæ beatæ illos beatitudinem intellexisse ab omni peccato etiam originali immunem, teste Augustino *sermone* 14. *de verbis Apostoli*, ibi, *baptizandos quidem fatentur, sed non propter vitam æternam; sed propter Regnum Cælorum: Quid de vita æterna? habebunt, inquiunt; quare habebunt? quia nullum peccatum habent, nec ad damnationem pertinere possunt*. Nullam damnationem, neque sensus, neque damni dant illis infantibus Pelagiani; cum

dicunt, illos omni culpa carere; quamvis ex defectu baptismi à Regno Cœlorum excludant.

Tertia sententia extremè opposita est, infantes sine baptismo decedentes, puniri, tum pœna damni, seu per carentiam visionis Dei; tùm pœna sensus, seù per ignis æterni combustionem; sicque sentiunt recentiores quidam Theologi cum Juenino *de peccato originali quæst.* 5., & Serrio *in historia de auxiliis lib.*4. prioris editionis *cap.*17., *& lib.*5. posterioris, *sect.*7. *cap.* 4.; post Jansenium *lib.* 2. *de natura lapsa*, *cap.* 25., & Florentium Conrium Minoritam, quem Jansenius laudat ibidem, in tractatu *de statu parvulorum sine baptismo decedentium*: hanc sententiam esse S. Augustini, & aliorum Patrum, probat Gregorius Ariminensis *in* 2. *sent. dist.*33. *qu.*3., & cum eo alii, quos recenset Cardinalis Norisius *in vindiciis Augustinianis cap.* 3. §. 5.

At hæc sententia, quæ hodie communis est inter Bajanos, & Jansenistas, non benè apud Theologos sentit; ejusque propugnatores, *Parvulorum Tortores* vocat Magister Sotus *lib.* 1. *de natura*, *& gratia cap.* 14.; & Bellarminus *tom.* 4. *controversiarum lib.* 1. *de amissione gratiæ cap.* 1., sententiam dicit esse hæreticorum, ibi, *Hæretici nostri temporis extremis sententiis maximè delectantur*; *& ideo parvulos non baptizatos, aut in Cælo cum beatis locant, ut diximus de Zuinglio, & Calvino*; *aut igni sempiterno illos addicunt, ut colligitur ex Luthero, & Melanctone*; & Tilmannus Hesusius in blasphemo suo *libro de sexcentis erroribus Pontificiorum*, inter illos oppositam sententiam reponit. Firmat hoc ipsum tractatus Conrii *de statu parvulorum*; Probatores summo studio Minorita quæsivit ubique, in Italia, Belgio, Gallia, Hispania; sed cum nullum habere potuisset Catholicum approbatorem, teste Jansenio *in suis epistolis* 17., 20., 36., 38., *&* 46., tandem furtivè suum edidit opus: at mirum! quod reprobarunt Catholici, mirè placuit Jansenio; unde illud probat, ac laudat *cit. lib.*2. *cap.* 25.; mirè & Bajanis placuit, qui ut Jansenii operibus, triplicem furtivam dederunt editionem, nempè Lovaniensem anno 1640., Parisiensem anno 1641., & Rothomagensem an.1642.; sic & ad calcem illorum, opus Minoritæ Conrii iterum, atque iterum ediderunt; & quidem ut Bajana doctrina in utrisque fulgeret. Sententiam hanc infantibus crudelem, Theologis exosam, Luthero, Melanctoni, ac Bajanis amicam, paucis, sed gravissimis verbis redarguit doctissimus, ac piissimus Cardinalis Sfondrati in aureo illo *opusculo nodus prædestinationis dissolutus* (quod Romæ editum est an.1696., Sanctæ Romanæ Inquisitionis permissu) *part.* 1. §. 1. *num. ult.*, inquiens, *quis enim audivit unquam propter originalem culpam reprehensum aliquem ab Ecclesia, aut à Patribus esse? si ergo propter culpam originalem, quam vitare non potuit, nemo potest vituperari, quanto minus torqueri? planè longè atrocius flammæ dolent præsertim diuturnæ, quam verba. Quis ergo tam absurdè sentiat, ut dicat posse torqueri parvulos, qui non possunt reprehendi? posse puniri flammis, qui non possunt verbis?* secus dicendum est de pœna damni; cum pœna non sit exprobrativa, qua nempè tristetur infans, vel torqueatur.

Quarta sententia est, infantes cum originali peccato sine baptismo dece-

cedentes, non puniri pœna sensus, seu per ignis æterni combustionem; sic Illustrissimus Godoy *disp.* 38. *de peccato originali num.* 88., inquiens, *estque his temporibus apud Theologos ita communis, ut ab illa recedere tutum non sit*; Berninus *sæculo* 5. *cap.* 1.; Cabassutius *sæculo* 6. *in Historica, ac Theologica delineatione hæresis Pelagianæ*; Adnotator Natalis *tom.* 5. *Historiæ Ecclesiasticæ pag.* 142.: Auctor Analysis *operum Jansenii lib.* 1. *pag.* 55., *& lib.*3. *pag.* 529.; Salmanticenses *disp.* 18. *dub.* 3., Gonet *disp.*7. *artic.*7., Veranus *disp.* 30. *sect.* 8., Frassen *quæst.* 5., Henno *quæst.* 5., Dupasquier *quæst.* 6., Platellius *à num.* 367., Livinius Meyerus contra Serrium *in Historia de auxiliis vindicata lib.* 3. *cap.* 31. Accedunt Thomistæ omnes cum D. Thoma, Scotistæ omnes cum D. Bonaventura, & Scoto; & Scholastici ferè omnes cum Magistro senten. *in* 2. *dist.* 33., dicente *pro originali quod à parentibus trahitur, parvuli damnabuntur; sed pro eo nullam ignis materialis, vel conscientiæ vermis pœnam sensuri; nisi quod Dei visione carebunt in perpetuum*: sentit hoc ipsum recentissimus Auctor. *Joan.* 3., *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*; non æternos cruciatus, non ignem, non combustionem verba illa minantur, sed solam æternæ beatitudinis privationem. Ignem, æternamque combustionem passim scriptura decernit, sed nunquam pro infantibus sine baptismo decedentibus; pro solis decernitur peccatis actualibus; *Apocalypsis* 18. *quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*; non datur tormentum, nisi pro suæ delectationis mensura: quandonam se delectarunt, vel in deliciis hujusmodi fuerunt infantes? & *cap.*20. quinam mittuntur *in stagnum ignis*? illi soli, *qui judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum*; & deindè *judicatum est de singulis secundum opera ipsorum*: *Matthæi* 25. quinam à supremo Judice sunt æternis cruciatibus addicti? *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus*: tantum illi, quibus dictum est, *esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, sitivi, & non dedistis mihi bibere &c.*: possunt ne ista de infantibus sine baptismo decedentibus verificari? pro solis ergo peccatis actualibus, ignis, combustionis, cruciatus pœna decernitur.

Sancti Ecclesiæ Patres apertissimè testantur idipsum; S.Gregorius Nyssenus *in oratione de infantibus* ait, *immatura mors infantium demonstrat, nequaquam in doloribus, & mæstitia futuros esse eos, qui sic vivere desierunt*; certè non possunt infantes sine baptismo decedentes, sine ullo dolore, ac mæstitia æternis esse cruciatibus addicti: S. Gregorius Nazianzenus *oratione* 40. *in sanctum lavacrum de his infantibus* ait, *nec cælesti gloria, nec suppliciis à justo Judice afficientur; utpotè qui licèt baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen carent; atque hanc jacturam potiùs passi fuerint, quam fecerint*: peccarunt, & quidem peccato proprio, peccarunt infantes illi; at non spontè, non liberè, non propria voluntate peccarunt; unde & personali *carent improbitate*; justitiam amiserunt originalem; sed non fuit ex illorum malis operibus hæc jactura; aliena voluntate, aliena malitia facta est; *& hanc jacturam potius passi fuerint, quam fecerint*; ideo nullis tormentis, nullis *afficientur suppliciis*; cum nullis actualibus peccatis infi-

inficiantur; ficuti, & cum baptifmo careant, *nec cœlesti gloria donantur*; si nullis erunt infantes illi suppliciis, ac tormentis afflicti, quomodo combustionem patientur æternam? S. Ambrosius eadem habet tum *in epistolam ad Romanos cap. 5., est & alia mors, quæ secunda dicitur, quam non peccato Adæ patimur, sed ejus occasione propriis peccatis acquiritur*; idest non originali peccato, sed actualibus, & propria voluntate commissis datur Infernus; tum *lib. 2. de Abraham cap. ultimo* dicens, illos infantes *immunitatem habere pœnarum*; sed non Regni honorem: nec refert, quod legatur in textu, *nescio an habeant Regni honorem*: cum ly *nescio an* legendum sit, *non autem*, ut catholicum habeat sensum: quod si vis omnia verba textus retinere, dic, sensum esse, non ex hoc quod habeant immunitatem pęnarum, scio Regni honorem, seu celestem gloriam illos habituros. Sic recentissimus Auctor Kilianus Kazenberger *in Appendice centifolia ad supplementum* Sporeri *assertione 33.*, additque, *ita Doctores Seraphicus, Angelicus, & Subtilis*; *estque communissima*; & Simonnet *disp. 5. art. 12. respons. 2. sententia quæ tenet, parvulos non baptizatos non puniri pœna sensus, post seculum 12. brevi sic invaluit, ut eam omnes, aut ferè omnes Doctores Scholastici amplexi sint*.

Communis profectò jam erat hæc sententia temporibus D. Thomæ, D. Bonaventuræ, & Scoti; siquidem ait Angelicus Doctor *qu. 5. de malo art. 2., dicendum, quod sicut communiter dicitur, peccato originali non debetur pœna sensus, sed solùm pœna damni, scilicet carentia visionis divinæ*; sicque passim alibi: Doctor Seraphicus *in 2. sentent. dist. 33. art. 3. qu. 1., alia est* (inquit) *positio mitior, quæ magis concordat pietati, fidei, & judicio rationis, quod quia parvuli decedentes cum originali, carent justitia, & Spiritus Sancti gratia, quæ est pignus hæreditatis æternæ, privantur in æternum Dei visione; quia verò in carne fuit fœditas, ideo ponentur in loco vili; sed quia non habuerunt in se actualem delectationem peccati, nec in spiritu, nec in carne, ideo non sentient pœnæ ignis acerbitatem*: additque, *hunc modum dicendi magis approbant Magistri communiter*. Doctor subtilis *in 2. sentent. dist. 33. quæst. unica*, ait, *hæc videtur Magistrorum esse sententia, quod damnati pro solo peccato originali nullam habebunt pœnam sensus exterioris, puta ignis, quia nullam delectationem inordinatam habuerunt; cui delectationi correspondeat acerbitas ignis affligentis, ut propria pœna*.

Immò & communem hanc sententiam jam declaraverat sæculo 13. ineunte, Summus Pontifex Innocentius III. *in cap. majores, de baptismo*, cum ait, *pœna originalis peccati, est carentia divinæ visionis; actualis verò peccati pœna gehennæ perpetuæ cruciatus*: ubi vides gehennæ cruciatus solùm respicere actuale peccatum; & cum pęna ignis æterni etiam carentiam supponat divinæ visionis, utraque pęna sensus, ac damni actuali culpæ debetur: originale verò peccatum solum respicit pęna damni; siquidem illa verba, *actualis verò peccati pœna*, ulteriorem pęnam peccato actuali, & quidem comparativè, seu per oppositionem ad originale peccatum, evidenter assignant. Nec alio sensu intelligendum Concilium generale Florentinum sub Eugenio IV. in decreto sanctæ unionis, cum definitur, *decedentes in mortali, vel originali, mox in Infernum descendere, sed pœnis inæquali-*

bus

bus puniendos: siquidem inæqualitas illa pœnarum intelligi non potest, inclusa pena sensus relatè ad peccatum originale; cum etiam actualia peccata sic puniantur; adeoque intelligenda per exclusionem penæ sensus relatè ad originale peccatum; unde & cum solo decedentes originali ex Florentino immunes sunt à pena sensus; estò in infernum, seu in inferiores partes descendant.

Scripto Dei verbo communis hæc sententia satis clarè firmatur: siquidem non alia pena decreta est infantibus sine baptismo decedentibus, quam æternæ Sanctorum Beatitudinis privatio; secus autem combustio, cruciatus; nec ab uno ad alterum Pelagianorum illatio tenet. S. Bernardus *serm. 3. de resurrectione*, ait, *cesset voluntas propria, & infernus non erit; in quem enim ignis ille deseviet, nisi in propriam voluntatem? Sed* (inquit Doctor Angelicus *cit. art. 2.*) *originale peccatum non est peccatum propriæ voluntatis, immò consequitur ex voluntate aliena*: non ergo peccato originali debetur infernus: nec refert, quod voluntas Adami fuerit moraliter nostra: cum hoc non obstante, nullo modo dicatur, quod peccatum originale fuerit ab infantibus propria voluntate commissum; sicut nec liberum illis fuit, nec ab illis spontè patratum: *qui nihil* (de his infantibus ait S. Gregorius Magnus *lib. 9. Moralium cap. 12.*) *ex propria voluntate peccaverunt*.

Favet S. Augustinus (quidquid Ariminensis, Norisius, & Simonnetus dicant) cum *lib. 5. contrà Julianum cap. 11.* Juliano objicienti, parvulos nulli futuros pœnæ obnoxios, ne de illis verificetur, melius illis esse, si nati non fuissent; respondeat, *non dico parvulos sine Christi Baptismate morientes, tanta pœna esse plectendos. ut eis non nasci potiùs expediret &c.*; & deindè, *quis dubitaverit, parvulos non baptizatos, qui nullum habent actuale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros? quæ, qualis, & quanta erit, quamvis definire non possim; non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, quam ut ibi essent potiùs expediret*: excipit ergo Infantes sine baptismo decedentes ab æternis Inferni cruciatibus, & quidem *quià nullum habent actuale peccatum, nec ullis propriis aggravantur*; aliàs nec illorum pœna esset *omnium levissima*; nec ignoraretur, *quæ, qualis, & quanta erit*; nec melius eis esset *ibi esse, quam non esse*: cum ex Augustino neque actualis peccati pœna *sit omnium levissima*; nec ignoretur *quæ, qualis, & quanta erit*, nec melius Adultis est *ibi esse, quam non esse*: siquidem omnibus melius est non esse, quam æternis ignibus cruciari: gravissima hæc pœna, etsi major sit, vel minor juxtà delictorum gravitatem, nunquam etiam respectivè *levissima* dici potest: cum nec Adulti pœna in Inferno *levissima* dici possit, quamvis sceleratiores longè majorem patiantur pœnam. Cum ergo Infantes pœnam habeant omnium *levissimam* ex Augustino *in cit. cap. 11.*; *& omnium mitissimam*, ut ipse ait in Enchiridion *cap. 93.*, *& lib. 1. de peccatorum meritis cap. 16.*, sunt ab æterno ignis cruciatu excludendi: ut optimè in his verbis Seraphicus Doctor observat *cit. quæst. 1. argumento sed contrà*, cum ait, *mitissima sanè eorum erit pœna, qui proptèr peccatum, quod originalitèr traxerunt, nullum insupèr addiderunt: Sed si parvuli carerent visione Dei, & punirentur igne materiali, non haberent mitissimam pœnam: Si igitur nemo dubitat, eos visione Dei pri-*

van-

vandos, videtur nullo modo ipsos corporali supplicio puniendos.

Idem longè antè docuerat *lib.3. de libero arbitrio cap.23.*, ubi Manichæo quærenti, *qualis in futuro judicio deputabitur, cui nec intèr justos locus est, quoniam nihil rectè fecit, neque inter malos, quoniam nihil peccavit*: respondet, *superfluè quæri de meritis ejus, qui nihil meruerit: non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quædam intèr rectè factum, atque peccatum; & sententia Judicis media esse non possit intèr præmium, atque supplicium*: agnoscit ergo Augustinus sententiam Judicis mediam *intèr præmium, atque supplicium*, quæ nempè, nec remunerativa sit, nec sensibili pena, seù cruciatibus punitiva Infantium sine baptismo decedentium; sicut in illis nullum actuale, seu personale meritum, vel demeritum agnoscit. Nec loquitur Augustinus pro alia hypothesi, sed pro præsenti providentia; cum petenti *qualis in futuro judicio deputabitur*, respondeat: ly *deputabitur*, & quidem *in judicio futuro*, præsentem providentiam satis clarè designat: de hac ergo providentia loquitur Augustinus.

Dices, de Infantium pœna dubitavit Augustinus, cum libros illos conscripsit: quid inde, nonne provectior factus potuit mutasse sententiam? testatur ipse in libro *de bono perseverantiæ cap. 12.*, *si quando* (inquit) *libros de libero arbitrio laicus Romæ cœpi, & in Africa Presbyter explicavi, adhuc de damnatione Infantium non renascentium, & de nascentium liberatione dubitarem; nemo, ut opinor, est tam injustus, atque invidus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi esse judicaret: absit* (prosequitur) *ut causam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum, utrum in Christo regenerati, si moriantur parvuli, transeant in æternam salutem; non regenerati autem transeant in mortem secundam: quoniam &c.*; quid verò Augustinus intelligat per mortem secundam, explicat *lib.13. de Civitate cap.2.* illis Christi verbis, *eum timete, qui habet potestatem & corpus, & animam perdere in gehennam.* Emendavit ergo Augustinus, quod antè in libris illis dubitando scripserat.

At nunquam dubitasse Augustinum de Infantium pœna, clarum est; non enim dubitavit de pœna damni, quam expresſè hic contrà Pelagianos asserit; nec de sensibili Infantium pœna dubitavit unquam; cum expresſè illam *cit.lib.3.cap.23.* neget Infantibus, ut clarissimè verba illa demonstrant, *non enim metuendum est &c.*; quibus sine ulla hæsitatione omne supplicium, omne tormentum denegatur Infantibus sine baptismo decedentibus: in his libris dubitasse Augustinum de Infantium pœnis, dixere Pelagiani, putantes de omni pœna, ac damnatione illum esse locutum, teste Hilario in sua ad Augustinum Epistola, sic de Massiliensibus loquente, *Parvulorum causam ad exemplum majorum non patiuntur afferri, quam & tuam sanctitatem dicunt eatenùs attigisse, ut incertum volueris, ac potiùs de eorum pœnis malueris dubitari, quod in lib.3. de libero Arbitrio ita positum meministi, ut hanc eis occasionem potuerit exhibere.* Hæreticorum calumniam non curat Augustinus, ut Catholicam veritatem validioribus propugnet argumentis; se in illis libris de Infantium pœna dubitasse Pelagianis omittit; cum etiam hoc dato, jam sit de Catholica veritate securus; quam & certissimis documentis in *lib. de Bono perseverantiæ cit. cap.12.* contrà illos ostendit: hinc secundam mortem,

tem, gehennam, veramque damnationem illis Infantibus certissimè tribuit Augustinus, non quidem à Patribus, cæterisque Catholicis reprobatam, qualis esset sensibilis pœna infantium, sed à Patribus assertam, & quam omni argumentorum genere conabantur negare Pelagiani; qualis est damnatio ad pœnam damni, seu ad Divinæ visionis, æternæque Sanctorum beatitudinis privationem, quæ & vera est damnatio; nonne diceretur quis damnatus ad Regis Palatium non amplius accedendum, si jam fuisset illud adire prohibitus? Sic & verè damnatus est qui in commissi criminis pœnam, ad Regna Cœlorum, æternamque Sanctorum beatitudinem ingredi prohibetur.

Sententiam, quam tradit Augustinus de sensibili pœna Infantium *lib. 3. de libero Arbitrio*, *cap. 23.* satis confirmasse constat in libris contrà Pelagianorum errata scriptis; nonne ex probatis tum *lib. 5. contrà Julianum cap. 11.*, tum Enchiridion *cap. 93.*, tum *lib. 1. de peccatorum meritis cap. 16.* idipsum affirmat? Eosdem libros de libero Arbitrio rigorosè ad trutinam deindè revocat, ut videre est in primo Retractationum libro; nec aliquid in ea sententia corrigit. Item in Epistola 28. ad S. Hieronymum, eam retractat bonam compensationem, quam in *cit. cap. 23.* parvulis non denegare videbatur; *qui post gravissimos cruciatus* (ad Hieronymum scribit) *sine Sacramento Christianæ societatis expirant, quæ circa eos compensatio cogitanda est, quibus insuper & damnatio præparata est?* de illorum pœna sensibili in alia vita, nec verbum facit: neque tamen implicitè priorem sententiam confirmat. Nec dicas de pœna Infantium sensibili in alia vita, etiam in allata Epistola dubitasse videtur Augustinus, *cum ad pœnas* (ait) *ventum est parvulorum, magnis mihi crede coarctor angustiis, nec quid respondeam prorsùs invenio*: nam contrà, non de æterna illa pœna sensibili dubitat Augustinus, sed de aliis, nempè de illorum sensibili pœna in hac vita, & de pœna, seu tristitia ex illorum damnatione ad carentiam divinæ visionis in illis resultante; *non solum* inquit *eas pœnas dico, quas habet post hanc vitam illa damnatio, quo necesse est trahantur, si de corpore exierint sine Christianæ gratiæ Sacramento; sed eas ipsas, quæ in hac vita dolentibus nobis versantur antè oculos*: quo eodem sensu intelligenda sunt quæ habentur *cit. lib. 5. contrà Julianum cap. 11.* quæ (nempè damnatio) *qualis, & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, quam ut ibi essent potiùs expediret*; cum posteriora verba certissimè æternam excludant combustionem.

At quæ nobis opponantur videamus; & quidem ex scripturis primò, *Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis, Apocalypsis 20.*; omnes qui non sunt in libro vitæ scripti, quales certè non sunt Infantes sine Baptismo decedentes, mittuntur in stagnum ignis: *Matth.* 25. duo sunt omnium judicandorum ordines, unus à dextris Electorum, alter à sinistris Reproborum; quibus dicetur, *Ite maledicti in ignem æternum*; certum est autem illos Infantes non à dextris esse, sed à sinistris: *Matthæi* 3. comparatur genus humanum areæ, in qua grana sunt, & paleæ, grana quidem recludenda in horreum, idest Cœlum; paleæ verò, inter quas illi sunt Pueri, mittentur in ignem, *paleas autem comburet igne inextinguibili*: comparatur etiam *Matthæi* 13. *Sagenæ missæ in Mare ex omni genere piscium*

 con-

congreganti; quorum boni ponuntur in vasis, mali verò foras mittuntur; sic erit in extremo judicio, *exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & stridor dentium*: Cum ergò Infantes illi non sint justi, in caminum ignis etiam ipsi mittentur.

Sed omnes facili negotio solvuntur; Qui non sunt in libro vitæ scripti, mittuntur *in stagnum ignis*; sed quinam mittuntur? illi, qui non sunt in libro vitæ scripti propter illorum mala opera; ibi, *& judicatum est de singulis secundum opera ipsorum*; sivè nobiles sint, sive plebeii, de quibus ibi dicitur, *vidi magnos, & pusillos &c. & judicati sunt*: quinam in stagnum ignis mittuntur? tantum illi, qui in deliciis fuerunt, *qui glorificavit se, & in deliciis fuit*, ut dicitur *Apocalypsis* 18.: sunt ergo infantes illi excipiendi: de quibus nec mentio est *Matthæi* 25. in illis verbis, *Ite in ignem æternum*; non enim hoc dicitur omnibus, qui sunt à sinistris, sed tantùm illis, quibus dictum est, *esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, sitivi, & non dedistis mihi bibere &c.*; quæ parvulis certissimè exprobrari non possunt. Quod dicitur *Matthæi* 3. & 13., facilè intelligi potest de Ecclesia, in qua boni sunt & mali; & in Ecclesia certè non sunt Infantes, qui sine baptismo decedunt; sed omisso, de toto humano genere illud esse intelligendum dico, paleam illam, illos malos *in caminum ignis* esse mittendos, *ad comburendum igne inextinguibili, qui judicati sunt secundum opera ipsorum, & qui in deliciis fuerunt*; & qui sunt de ipsorum malis operibus exprobrandi, *esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*; quales esse nequeunt infantes sine baptismo decedentes.

Secundò, sententiam, infantes illos ab æterna combustione liberantem, errorem dicunt esse Pelagianorum à Patribus improbatum: S. Augustinus *serm.* 14. *de verbis Apostoli*, sic Pelagianos alloquitur, *venturus est Dominus, & judicaturus de vivis, & mortuis, sicut Evangelium loquitur, duas partes facturus est, dexteram, & sinistram; sinistris dicturus; Ite in ignem æternum; dextris dicturus, venite benedicti Patris mei: hanc, regnum nominat, hanc, cum Diabolo damnationem: nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes &c.: ecce in dextera Regnum Cælorum; qui ibi non est, in sinistra est; quid erit in sinistra? Ite in ignem æternum: qui non in dextera, proculdubio in sinistra; ergo qui non in regno, proculdubio in ignem æternum: tunc, inquit, abibunt isti in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam. Ecce exposuit tibi quid sit regnum, & quid ignis æternus, ut quando confiteris, parvulum non futurum in regno, fatearis futurum in ignem æternum*; eadem de parvulis Augustinus habet *libro de bono perseverantiæ cap.* 12., *epistola* 217. *ad Vitalem lib. de origine animæ cap.* 9. & *tract.* 67. *in Joan. lib.* 13. *de Civitate Dei cap.* 2., & *lib.* 3. *operis imperfecti num.* 199. Sic & S. Fulgentius Augustini discipulus *in lib. de fide ad Petrum cap.* 27., inquiens *firmissimè tene; & nullatenus dubites, non solùm homines jam ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui sine Sacramento baptismatis de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio esse puniendos*. Idem expresè habent quindecim Episcopi Africani in Sardinia exules, quorum unus erat ipse Fulgentius *in lib.*

de In-

de Incarnatione, & gratia apud eundem Fulgentium *cap.30.*: sic & Sanctus Gregorius Magnus *lib.9.Moralium cap.12.*, S. Isidorus Hispalensis *lib.1. differentiarum num. 26.*, S. Anselmus *lib. de conceptu Virginis, & peccato originali cap.22.*; aliique Patres.

Quod est adversariorum Achilles argumentum, ipsos urget oppositores; quodve pejus est, Patres cum Patribus; immò & cum catholica ipsa committit Ecclesia: siquidem de illa pęna, ac damnatione loquuntur Sancti Ecclesiæ Patres Augustinus, Fulgentius, Episcopi Africani, Gregorius Magnus, Isidorus, Anselmus, quam fides docet, & universa tenet Ecclesia contra Pelagianos, ut illorum verba demonstrant: siquidem Augustinus *cit. serm.* 14. id habet, ut veritatem evangelicam, seu clarè in Evangelio contentam; & *cit. cap.* 12. *de bono perseverantiæ* in illis verbis, *absit, ut causam parvulorum sic relinquamus &c. & tractatu* 67. *in Joannem, id respuendum esse* (ait) *a corde christiano: firmissimè tene, & nullatenus dubites*, Fulgentius ait Augustini discipulus; nec enim majori certitudine de infantium peccato originali, ac à Regno Cœlorum exclusione, quam de illorum combustione, ac sensibili pęna loquuntur. Quod autem fides docet, & universa tenet Ecclesia contra Pelagianos, non est de pęna sensus, non de pęna sensibili, non de pęna *ignis, combustionis, & cruciatus*, sed de sola est pęna damni, de sola æternæ beatitudinis Sanctorum carentia; ut omnibus compertum est; alias à quingentis annis, ut patet, Theologi omnes cum Div.Thoma, & Div.Bonaventura Ecclesiæ Doctoribus, hæretici essent, ac Pelagiani: quod est dicere iniquissimum. Non ergo de pęna sensus, sed de sola damni pęna loquuntur Sancti Ecclesiæ Patres, cum dicunt infantes sine baptismo decedentes, *inferno, igni, combustioni, æternisque cruciatibus* esse addictos. Quod & longè antè docuerat Angelicus Doctor *qu. 5. de malo cit.art.3. in responsione ad primum, dicendum, quod nomen tormenti, supplicii, gehennæ, & cruciatus, vel si quid simile in dictis Sanctorum inveniatur, est largè accipiendum pro pœna, ut ponatur species pro genere: ideò autem Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi*.

Cum in publicis disputationibus hæc Div.Thomæ aliquando objecta fuisset auctoritas; fuit primo responsum, clarè loqui Augustinum, ac præferendum esse discipulo magistrum. Præferendus quidem esset, si loquerentur opposita: sed ubinam inter illos oppositio? S. Augustinum nec aliter sensisse, nec aliter sentire potuisse, jam dicta demonstrant; non igitur Augustino Hipponensi, sed Augustino Iprensi, & Conrio præferendus est Angelicus Doctor. Secundo responsum fuit, Div.Thomam non habuisse præ manibus ultimum S. Augustini opus contra Julianum, quod dictum est opus imperfectum, cujus quatuor posteriores libri, in quibus Augustinus plenissimè de hac re suam aperit mentem, diu latuerunt. Sed quid hac responsione ineptius? nonne hoc dictum est divinando? hoc ipsum de cæteris Augustini operibus dici posset; quod nempè Angelico Doctori fuerint etiam illa ignota: diu latuerunt nobis quatuor illi posteriores libri contra Julianum; quid inde? ergo & Angelico Doctori latuerunt? novum hoc est illationis genus:

quæ dantur ab Angelico explicationes, illum etiam libros contra Julianum legisse, satis ostendunt: at non legisse omittamus; nulla ex hoc illatio: nonne S. Augustinus tum *serm. 14. de verbis Apostoli*, tum *lib. de bono perseverantiæ cap. 12.*, tum *in libris de Civit. Dei*, plenissimè de hac re jam suam explicaverat mentem; nec aliquid novi in posterioribus contra Julianum libris edicit.

Patres cum Patribus committit argumentum; siquidem si expressiones illæ Patrum, præsertim Augustini, ac Fulgentii summo rigore, & in Janseniano sensu explicentur; nonne Sancti Ecclesiæ Patres Nazianzenus, Nyssenus, Ambrosius, Bernardus, Div. Thomas, Div. Bonaventura, aliique Patres, immò & Augustinus ipse cum Pelagianis errassent? committit cum Ecclesia Catholica Patres illos: jam enim à quingentis annis cum Pelagianis Ecclesia sensisset. Immò & à primis Ecclesiæ sæculis usque ad Augustini tempora Pelagianis erroribus involuta fuisset Ecclesia. Omnes igitur Catholici, præsertim qui obsequentiores sunt Sancti Augustini discipuli, illum explicare debent. At quam debile tale sit argumentorum genus, hæc omnia demonstrant; uti & facilis quæ potest illis adhiberi solutio. Infantes sine baptismo decedentes, *Inferno, igni, combustioni, æternis esse cruciatibus* addictos, dicunt Patres, non quidem ad exclusionem sensus Catholici à Patribus admissi, nullam agnoscentis in infantibus illis pœnam sensus, seu sensibilem pœnam: sed ad solam Pelagiani sensus exclusionem, nullam admittentis in infantibus illis pœnam, neque damni: addictos dicunt Patres ad expressionem pœnæ damni à Pelagianis improbatæ; non ad pœnæ sensus inclusionem à Patribus rejectæ: sicque Achilleum argumentum una distinctio solvit. Dicitur autem illorum infantium pœna *Infernus, ignis, combustio, cruciatus*, quia pœna damni, seù divinæ visionis carentia, præcipua, immò & maxima est pœna, quam sustinent in Inferno damnati: *tanta mihi videtur pœna* (ait S. Joannes Chrysostomus *homil. 47. ad Populum Antiochenum*) *ab ea gloria cecidisse, ut gehennam nihil æstimem in comparatione illius*: tùm etiam quia pœna damni semper in adultis est cum Inferno, igne, combustione, & cruciatibus conjuncta: latrones dicuntur, & fures, etiam qui non semper actu furantur; sic pœna damni dicitur Infernus, ignis, combustio, cruciatus, etsì non sit cum illis semper actu conjuncta.

Inquies, infantes illos non solum æterna beatitudine privari, certissimè contendit Augustinus; adeoque & puniri pœna sensus. At nullam esse illationem ostendo: contendit, & quidem meritò Augustinus, infantes illos non solùm æterna beatitudine privari; cum hoc & commune esset infantibus, qui in statu naturæ puræ conditi fuissent: at non ideò pœna sensus illos puniri contendit; sed potius quod in veram damnationem, atque in pœnam originalis peccati, (de cujus existentia tota erat, ut ex Augustino vidimus est, cum Pelagianis controversia) illam infantes habeant æternæ beatitudinis privationem. Sicque infantes illos non solùm æterna Sanctorum beatitudine privari, contendit Augustinus; sed etiam in ea privatione in pœnam originalis peccati æterna damnatione puniri: *quare habebunt* (videlicet vitam æternam extrà Regnum Cœlorum) *quia nullum peccatum habent, nec ad damnationem pertinere possunt*; inquiunt Pelagiani apud Augustinum *serm. 14. de verbis Apostoli*: quibus ille respondet ibidem; *qui non in Regno pro-*

[illegible]

procul dubio in ignem æternum; *tunc*, *inquit*, *abibunt isti in combustionem æternam*; *justi autem in vitam æternam*; & *lib.* 2. *operis imperfecti num.* 190. Juliano idem objicienti respondet, esse extra Regnum Cœlorum, idem esse, *ac æterno igne cruciari*; combustione quidem, & cruciatu, quem fides docet, & universa tenet Ecclesia contra Pelagianos; qualis non est pœna sensus, pœna non est sensibilis, sed æternæ solùm damnationis punitio.

Tertiò, etiam infantes sine baptismo decedentes sunt filii iræ, filii vindictæ, de massa perditionis, ac sibi Deum habent infensum: verum est; ideoque sunt in æternum damnati, non quidem ad pœnam sensus, sed ad solam damni pœnam. Dicunt, peccatum originale gravis est offensa Dei; meretur ergo utramque pœnam sensus. & damni: contra, potuit Deus pro peccato originali utramque decernere pœnam; sed solam decrevisse pœnam damni, jam dicta demonstrant. Dicunt, *infernus*, *ignis*, *combustio*, *tormenta*, *cruciatus*, si etiam pro sola damni pœna possent explicari, idem de adultis dici posset: Nequaquam; cum quæ de infantibus exceptio constat, oppositum de adultis evincat. Dicunt, peccatum originale in hac vita punitur fame, siti, morte, aliisque doloribus; adeoque etiam in alia vita pœna sensus puniatur; alias & feliciorem tunc statum haberent infantes: contra, nulla est illatio; quia fames, sitis, mors, infirmitas, & similia, defectus sunt naturales; unde & fuissent in statu puræ naturæ: sunt autem ordinati in peccati originalis pœnam, cum ex ablatione justitiæ originalis, naturaliter descendant: non sic in alia vita, cum ignis, combustio, infernus defectus non sint naturales, seu qui natura sua sequantur, sive ad ablationem justitiæ originalis, sive ad naturalem corporis mortalis compositionem: nec ideo felicior esset alterius vitæ status, defectibus illis deficientibus; cum defectus isti in hac vita cum spe perpetuæ felicitatis uniantur. Dicunt, Christus passus est pœnam sensus pro peccato originali; debetur ergo peccato originali hujusmodi pœna; alias & nullum esset discrimen inter infantes cum originali decedentes, & eos, qui nati fuissent in statu puræ naturæ: contra, sensibilem pœnam passus est Christus; quia sic satisfacere voluit, non quia decreta hæc erat pœna pro peccato originali; aliàs & carentiam divinæ visionis pati debuisset: de infantibus, qui nati fuissent in statu naturæ puræ, aliter dicendum; divina visione in alia carerent, defectus naturæ in hac vita paterentur; sed istorum omnium nihil esset in pœnam justitiæ originalis amissæ. Dicunt, beatitudo essentialis, quæ in Dei visione consistit, trahit etiam corporis glorificationem; adeoque damnatio, quæ in carentia consistit divinæ visionis, corporis etiam trahit cruciatum; & quid in aliàs non magis puniretur adultus decedens cum peccato originali, & personali, quam si cum solo personali decederet: contra, corporis glorificationem, proprietatem esse beatitudinis essentialis, scripturæ docent, & Patres; at pœnam sensus sequi debere divinæ visionis carentiam, est gratis assertum; aliàs etiam infantes, qui in statu naturæ puræ decessissent, æternis cruciatibus fuissent addicti: Qui cum duplici peccato actuali decedunt, non majorem habent ratione objecti pœnam damni, quam & cum unico actuali decedentes; sic & in casu, decedentes cum peccato originali, & personali, non majorem habent pœnam, quam qui cum solo personali decedunt; licet illa, quæ datur pœna damni pro peccato

cato perſonali; immò & pro multis perſonalibus peccatis, datur etiam pro multis peccatis, quorum unum originale ſit, alterum perſonale. Dicunt, pęna damni longè major eſt pęna ſenſibili; cum ergo infantes illam habeant, & iſtam habebunt; nonne peccatum veniale trahit pęnam ſenſus? Quanto magis de peccato originali, quod eſt longè gravius, hoc erit dicendum? Contra, ſuperat pęnam ſenſus damni pęna, ſed quando, ut in adultis pro actualibus peccatis, eſt cum triſtitia, ac deſperatione conjuncta: veniale peccatum punitur pęna ſenſus, non quia originali levius eſt, vel gravius, ſed quia ſpontè, ac propria voluntate commiſſum. Dicunt etiam, originale peccatum eſt averſio à Deo, & converſio ad creaturam; adeoque ut averſio à Deo punitur pęna damni, ſic & converſio ad creaturam eſt pęna ſenſus punienda: contra, ſi peccatum originale converſio ſit ad creaturam (quod negat Angelicus Doctor *cit.art.2.*) converſio non eſt propria voluntate commiſſa; quæ ſola punitur pęna ſenſus, *Apocalypſis* 18. *&* 20., *& Matthæi* 25.

Tandem opponunt, ſententiam de pęna ſenſus infantium ſine baptiſmo decedentium ſuos habere patronos, inter quos Janſenius Epiſcopus Iprenſis, Florentius Conrius Minorita etiam ipſe Epiſcopus, Jueninus, Serrius; & inter antiquos Scholaſticos Gregorius Ariminenſis, aliique. At alios eſſe ſcio ejuſdem ſententiæ propugnatores, nempè Lutherum, Melanctonem, omneſque Bajanos; poterant oppoſitores & hos adducere ſuæ ſententiæ patronos: docent quidem, ſed innumeris reclamantibus melioris notæ Theologis poſt Eccleſiæ Doctores Div.Thomam, ac Div.Bonaventuram: docent, ſed contra venerandam SS. Patrum auctoritatem: contra apertiſſima ſacræ Scripturæ teſtimonia, docent.

Docet Janſenius: at innumeros eſſe errores, quos ipſe tradit, notum eſt Catholicis: & doctiſſimus Auctor Analyſis Auguſtini Janſenii latè demonſtrat. Docet Minorita Conrius: at Janſenio teſte, nullum ſuis operis invenire potuit Catholicum approbatorem; unde & cum Auguſtino Janſenio, ad cujus calcem appoſitus erat, fuit tractatus ille damnatus. Docet Jueninus: at in damnato ſuo opere *Inſtitutiones Theologicæ*; & quidem damnato per Edictum Sanctæ Romanæ univerſalis Inquiſitionis die 25. Septembris 1708; quodve ſint *Inſtitutiones* illæ Bajanis erroribus refertæ, in ſuis inſtructionibus Paſtoralibus Galliarum Epiſcopi demonſtrant, præſertim Paulus Epiſcopus Carnutenſis in ſua die 25. Junii 1708., & Biſſy Epiſcopus Meldenſis, poſtea Cardinalis, in ſua 1710., quam & ſpeciali Brevi ad eundem dato, laudat Summus Pontifex Clemens XI. anno 1712.: unde, & ſuppoſita eſt hujus Pontificis approbatio, quam hodiernæ præferunt Juenini *Inſtitutiones*. Docet Serrius: at quam novis, praviſque opinionibus fuerit recentior iſte abductus, ſatis damnatum ipſius opus oſtendit, *exercitationes hiſtoricæ, Criticæ, Polemicæ, de Chriſto, ejuſque Virgine Matre &c.* ſiquidem die 11. Martii 1722. per decretum Sanctæ Romanæ univerſalis Inquiſitionis damnatum eſt ut plura continens *temeraria, ſcandaloſa, pernicioſa, ſanctioribus, ac celebrioribus Eccleſiæ Scriptoribus injurioſa, piarum aurium offenſiva, atque ad ſimplicium fidelium perverſionem tendentia*, ut videre eſt apud recentiſſimum Auctorem Bibliothecæ Janſenianæ *tom.* 1. *pag.* 187. *editionis* 3. *num.*82. fuiſſe quoque ſemper illi animo Bajanos errores, ex nupero

pero ejus opere damnato satis innotescit, *Theologia supplex coram Clemente XII. Pontif. Max. Clementinæ Constitutionis Unigenitus Dei Filius explicationem, atque intelligentiam rogans*; editum est anno 1736., ac Romæ damnatum die 14. Januarii 1737.: unde ejus opera gravissimos habuerunt ex eodem Prædicatorum ordine impugnatores. Docet Ariminensis, sed faventia nobis; cum oppositam sententiam tutam non esse dicat *in 2. sentent. dist. 33. quæst. 3.*, en ejus verba: *tertio quæro, utrum decedentes cum solo originali peccato, puniantur aliqua pœna sensus &c. resp., opinio Magistri sententiarum est negativa &c.: cum eo concordant omnes moderni Doctores, quorum scripta circa materiam istam perlegi &c.*; Modernos Doctores Scholasticos vocat, quotquot ipse noverat: & deinde *contrà etiam non est tutum contraire communi opinioni, & consensioni Magistrorum nostrorum; neutri parti alteram præferens, dijudicationem earum Lectori relinquo*: nihil ergo determinat Ariminensis; *cum non sit tutum communi opinioni, & consensioni Magistrorum nostrorum contraire*: sicne sentiunt oppositores? Est autem Ariminensis, quem aliqui secuti sunt, in eo deceptus, quod putaret in oppositum esse Patres.

Quid ergo de his infantibus erit? dico futuros in inferno: sic habet Concilium generale Florentinum in definitione fidei; *illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere; pœnis tamen disparibus puniendos*: in inferno tamen erunt infantium; utque in uno palatio plura sunt cubicula inferiora, ac superiora, & plures in eadem Civitate domus, pluresque in eodem Regno Civitates; sic in diverso à cæteris damnatis loco erunt infantes: *Quatruplex est infernus damnatorum* (inquit Angelicus Doctor in *3. sentent. dist. 22. quæst. 2. art. 1. ad 2. qu.*) *unus in quo sunt tenebræ, & quantum ad carentiam divinæ visionis, & quantum ad carentiam gratiæ, & est ibi pœna sensibilis, & hic infernus est locus damnatorum: alius est infernus supra istum, in quo sunt tenebræ, & propter carentiam divinæ visionis, & propter carentiam gratiæ; sed non est ibi pœna sensibilis, & dicitur Limbus puerorum: alius supra hunc est, in quo sunt tenebræ quantum ad carentiam divinæ visionis, sed non quantum ad carentiam gratiæ; sed est ibi pœna sensus, & dicitur Purgatorium: alius magis supra est, in quo est tenebra quantum ad carentiam divinæ visionis, sed non quantum ad carentiam gratiæ; neque est ibi pœna sensibilis; & hic est infernus Sanctorum Patrum*. Ibi erunt infantes, ibique in æternum manebunt (quidquid Catharinus dicat, Campensis, ac Savonarola, quorum sententia graviter apud Theologos audit). *Post diem judicii* (inquit S. Anselmus *lib. de conceptu Virginis cap. 22.*) *nullus erit Angelus, aut homo, nisi aut in Regno Dei, aut in inferno*: & *Ecclesiast. 11.* dicitur, *ubicunque ceciderit lignum; sive ad austrum, sivè ad Aquilonem, ibi erit*.

Erunt ergo in inferno tristes, ac dolentes? Nequaquam: immò & nullam tristitiam passuri sunt ex divinæ visionis carentia (quidquid contra communiorem dicant Bellarminus, Simonnet, Jueninus). Cognoscent quidem se divina esse visione privatos; *quidam dicunt* (ait Angelicus Doctor *cit. dist. 33. quæst. 2. art. 2.*) *quod pueri nullum dolorem sustinebunt,*

quia

quia in eis ratio adeo obtenebrata est, ut non cognoscant se amisisse, quod amiserunt; quod probabile non videtur, ut anima ab onere corporis absoluta ea non cognoscat, quæ saltem ratione investigari possunt, & etiam multo plura: & Div. Bonaventura *cit. dist. 33. art. 3. quæst. 2.*, *parvuli benè scient ex causa se esse privatos*, nempe, de qua loquitur, visione Dei; tum quia hoc ipsum in generali judicio audituri sunt infantes. At nullum dolorem, nullam tristitiam patientur; *nihil omnino dolebunt de carentia visionis*, ait ibi Div. Thomas Div. Bonaventura ibidem, *æqua lance divino judicio eorum cognitio, & affectio libratur, & in tali statu perpetuatur, ut nec tristitia deficiat, nec lætitia reficiat*; & Scotus *cit. dist. 33. num. 2.* post exclusam exteriorem pęnam, etiam interiorem excludit, *nullam etiam habebunt interiorem, ut tristitiam &c.*

Hoc ipsum veneranda SS. Patrum firmat auctoritas: nonne, ut visum est, Nyssenus ait, *immatura mors infantium demonstrat, neque in doloribus, & mœstitia futuros esse eos, qui sic vivere desierunt?* Nazianzenus, *nec cœlesti gloria, nec suppliciis à justo Judice afficientur*: & Augustinus illorum pęnam *levissimam* dicit, atque *mitissimam*: mitior autem esset pęna sola Dei visione privari, quam simul etiam æternis his cruciatibus puniri. Quod amissio summi boni non possit non esse maximè dolorosa; verum est, si de bono ex natura debito agatur; si vero bonum esset supernaturale, nec naturæ viribus acquisibile, sed ex gratia solùm; dolorosa esset amissio, si propria fuisset voluntate evitabilis, ut in adultis damnatis, Angelisque reprobis contingit: secus dicendum, si propria voluntate vitari non potuit: tristatur ne plebejus, si in Regem, vel Imperatorem non fuerit electus? Æterna Sanctorum beatitudo nunquam ab infantibus illis sperari potuit, nec unquam ab illis fuit propria voluntate æternæ beatitudinis amissio, nec ex gratia evitabilis: non ergo de amissione illa summi boni tristari possunt, vel dolere infantes: *Recta ratio non patitur* (ait Angelicus Doctor *cit. art. 2.*), *ut aliquis perturbetur de eo, quod in ipso non fuit, ut vitaretur; propter quod Seneca probat, quod perturbatio in sapientem cadit; sed in pueris est ratio recta* (prosequitur) *nullo actuali peccato obliquata; ergo &c.* In statu naturæ puræ minimè fuissent homines ad æternam Sanctorum beatitudinem elevati; nec ideo dolentes essent, ac tristes.

Dices, *filii iræ, filii vindictæ, de massa perditionis, & sub potestate diaboli* manebunt infantes illi, eruntque in æternum *inimici Dei*; erunt ergo saltem ex hoc infelices: tùm etiam quia erunt in inferno, seu in loco subterraneo, & obscuro, ubi nihil post corporum reassumptionem videre poterunt; ex quo nequeunt non esse tristes, & afflicti; ut in hominibus, notum est, viatoribus sic in carcere detentis. Contra, erunt quidem ex hoc infelices, non quidem ratione cruciatus, doloris, ac tristitiæ, sed ratione status; nonne & tales sunt in hac vita adulti etiam peccatores? si hæc adulti, quanto magis infantes illi, qui nunquam potuerunt propria voluntate, nec ex gratia tanta mala vitare? displicet infantibus illis, quod Deum habeant infensum, filii sint iræ, ac vindictæ &c.; non ideo de ipsorum statu tristantur, ac dolent: detestantur pecata commissa Beati, quin de illis tristentur, ac doleant: Deo summo bono displicent peccata hominum, eaque dete-

deteſtatur; at neque de illis dolet, neque triſtatur: *in tali ſtatu perpetuatur* (de his infantibus inquit Div. Bonaventura) *ut nec triſtitia dejiciat, nec lætitia reficiat*; ſic diſponente Deo. Homines in hac vita, ſi ſint in carcere detenti, triſtantur, ac dolent; cum coactè ibi ſint, ac propria repugnante voluntate; non ſic infantes illi, qui cum ſint divinæ voluntati conformes, libentiſſimè in eo ſunt carcere, quem Deus illis ab æterno decrevit: *recta ratio non patitur, ut aliquis perturbetur, de eo, quod in ipſo non fuit, ut vitaretur; & in pueris eſt ratio recta nullo actuali peccato obliquata*; ait Angelicus Doctor. Pannis ligatus adultus dolet, ac triſtatur; ſi à pannis ſolvatur dolet, ac triſtatur infans. Tenebroſus eſt carcer puerorum infernus, non quidem luce deficiente ſenſibili, ſed ex carentia lucis gratiæ, atque gloriæ: *in quo ſunt tenebræ* (ait Div. Thomas *cit. diſt. 22. quæſt. 2. art. 1.*) *& propter carentiam divinæ viſionis, & propter carentiam gratiæ; ſed non eſt ibi pœna ſenſibilis.*

Cognoſcent ne Deum infantes illi? Cognoſcent quidem, atque amabunt, non ſalutaribus actibus, cum in termino ſint, ac omni ſupernaturali gratia expertes; ſed cognitione, atque dilectione naturali: Deum cognoſcent; nonnè omnibus hominibus etiam rudibus notus eſt Deus? *omnes homines vident Deum*, dicitur *Job 36.*, itaut *ſint inexcuſabiles*, ait *Apoſt. ad Rom. 1.*; *quem ignorare non poſſunt*, Tertullianus inquit *Apolog. cap. 17.*, & Damaſcenus *lib. 1. de fide cap. 1. notitia Dei omnibus a natura inſita eſt, neque id aliquis ratione utens ignorare poteſt*: ſi hæc rudes etiam homines; quanto magis infantes illi, qui ſine baptiſmo deceſſerunt? *Probabile non videtur* (ait Angelicus Doctor *cit. diſt. 33. quæſt. 2. art. 2.*) *ut anima ab onere corporis abſoluta, ea non cognoſcat, quæ ſaltem ratione inveſtigari poſſunt, & etiam multo plura*: & *quæſt. 5. de malo art. 3.*, idem habet, *non videtur convenienter dici, primo quidem, quia cum in pueris non ſit peccatum actuale, quod eſt propriè peccatum perſonale, non debetur eis, ut detrimentum aliquod patiantur in naturalibus bonis; eſt autem naturale animæ ſeparatæ, ut non minus, ſed magis in cognitione vigeat, quam animæ, quæ ſunt hic; & ideo non eſt probabile, quod tantam ignorantiam patiantur.*

Si Deum infantes illi cognoſcent, cur & ſummum, quod cognoſcunt, bonum non amabunt? cum ſit in pueris ratio recta nullo actuali peccato obliquata: *dicendum* (inquit Div. Thomas *cit. art. 3. in reſp. ad 4.*) *quod pueri in originali decedentes, ſunt quidem ſeparati a Deo perpetuo, quantum ad amiſſionem gloriæ, quàm ignorant; non tamen quantum ad participationem naturalem bonorum quæ cognoſcunt*: & *in cit. art. 2. reſp. ad 5.*, *quamvis non baptizati ſint ſeparati a Deo quantum ad illam conjunctionem, quæ eſt per gloriam; non tamen ab eo penitus ſunt ſeparati; immò ſibi conjunguntur per participationem naturalem bonorum; & ita etiam de ipſo gaudere poterunt naturali cognitione, ac dilectione.* Si autem dicas, in ſtatu naturæ lapſæ Deum diligi non poſſe, niſi ex gratia: verum dicis, ſi de ſupernaturali, ac ſalutari dilectione loquaris; ſecus verò ſi omnem naturalem Dei dilectionem, & ſolius naturæ viribus elicitam, excludere velis; nonne damnata hæc eſſet Bay doctrina jam pluries à Summis Pontificibus confixa, & quam tota reprobavit Eccleſia? Sic enim habet inter damna-

tas 34. *distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris litteris, & plurimis veterum testimoniis, excogitata*: & 36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur; ex sola philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur a nonullis Doctoribus*.

S. Augustinus cum ait *lib. de gratia, & libero arbitrio cap.19. In Pelagianis tenebræ dicunt, dilectio nobis ex nobis est*: & *cap.18.*, *unde est in hominibus charitas Dei, & proximi, nisi ex ipso Deo? nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo; vicimus Pelagianos*: est de salutari dilectione intelligendus, nisi in damnato sensu Bay explicare velis Augustinum; uti videre est apud doctissimos Theologos Cardinalem de Aguirre, Frassenium, Dupasquier, Platellium, Henno. Non ad simplicem dilectionem Dei super omnia; sed ad Deum super omnia diligendum, salutari dilectione, seu ut ad salutem oportet, Dei adjutorium, & gratiam sacrum requirit Concilium Tridentinum *can. 3. de justificatione*, sic definiens, *si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit*: ubi notandum ly *sicut oportet*.

Erunt ergo infantes illi beatitudine naturali beati? Nequaquam: cum inimici sint Dei, & vera damni pœna puniantur: Beatitudo autem status est omnium bonorum aggregatione perfectus.

APPENDIX XXII.

INTER NOVAS *Post num.* 3951.

Sacramenti matrimonii quinam sit Minister.

PArochum Ministrum esse hujus Sacramenti, secus verò contrahentes ipsos; plures asserunt juniores cum Tournely *quæst. 3. de matrimonio art.2.*, Juenino *dissert.11. q.3.*, Vanroy, & Natali, post Sylvium, Estium, Canum. Sed in oppositum, & quidem merito, communissima est Theologorum sententia cum Boucat *de Sacramentis 3. part. dissert. 7. art. 5.*, Simonnet *disp.2.*, Henno *disp.2. qu.6.*, Frassen, Dupasquier, Gonet, Sporer, La Croix: nec doctissimi desunt Theologi (quidquid Bannelius dicat) cum Soto, Vasquez, & Pontio, oppositam sententiam temeritatis nota inurentes.

Siquidem Sacramentum matrimonii essentialiter consistit in matrimoniali contractu baptizatorum, cujus naturam non immutavit, sed solum ad Sacramenti rationem Christus elevavit; certum est autem, non Sacerdotem, vel Parochum, sed ipsos contrahentes Ministros esse contractus matrimonialis. *Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur* (ait Angelicus Doctor *in 4. dist. 26. qu.2. artic. 1. ad 1.*) *sunt forma hujus Sacramenti; non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale:*

& dist.

& *dist.28. qu.1. artic.3.* ait de ipsa, *est tantum de solemnitate Sacramenti; unde si omittatur, verum est matrimonium*: clarum est, Sanctum Doctorem *de matrimonio loqui*, qua Sacramentum est; nec explicari posse de aliis orationibus, quæ dicuntur à Sacerdote; cum clarissimè doceat, non verba Sacerdotis, sed illa contrahentium, ex quibus consensus matrimonialis exprimitur, formam esse hujus Sacramenti.

Concilium Florentinum in decreto Eugenii docet, matrimonium esse septimum Sacramentum, & quod ejus *causa efficiens est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*: causa verò efficiens, & Minister Sacramenti idem sunt: nec dici potest ibi sermonem esse de matrimonio solùm, ut est contractus; cum ibi loquatur Concilium de matrimonio, ut est septimum novæ legis Sacramentum; cujus materiam, formam, ac Ministrum, ut in cæteris Sacramentis assignare intendit; tum quia nullo modo distinguit Concilium inter matrimonium baptizatorum, ut est contractus, & ut est Sacramentum. Item Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 1.* de matrimonio loquens, quod docet enumerandum inter novæ legis Sacramenta; dicit matrimonia clandestina, quæ videlicèt fiebant sine præsentia Parochi, ac testium, fuisse valida, quando Ecclesia non adhuc fecerat ea irrita; & nulla; ut ergo ante Tridentinum Parochus non erat hujus Sacramenti Minister; aliàs sine præsentia Parochi, etiam tunc irritum fuisset, ac nullum; sic neque post Tridentinum Parochus est hujus Sacramenti Minister, sed soli contrahentes. Quo eodem sensu validum esse matrimonium coram Parocho etiam silente, vel contradicente, initum, pluries fuisse à Sacra Congregatione decisum, nulli dubium est.

Dicunt primò, multa Concilia Provincialia, pleraque Ritualia vocant Parochum hujus Sacramenti Ministrum: secundò, in benedictione Sacerdotis sponsis gratiam conferri; adeoque benedictio illa est intrinsecè Sacramentum: tertiò, Parochus dicit: *Ego vos in matrimonium conjungo*; adeoque ipse matrimonium efficit: quartò, in aliis Sacramentis Minister distinguitur à suscipiente; adeoque etiam in matrimonio: quintò, conficere Sacramentum matrimonii est actio sacra, cum sit actio Sacramentalis; sacram ergo personam pro Ministro requirit: sextò, sponsi etiam dormientes possunt contrahere matrimonium, at si contrahant per Procuratorem; atqui dormientes non possunt conficere Sacramentum; ergo contrahentes matrimonium diversi sunt à conficientibus hoc Sacramentum.

Contra, ad primum, Parochus dicitur Sacramenti matrimonii Minister lato modo; cum Minister sit solemnitatis, ac benedictionis, ad matrimonii Sacramentum requisitæ; adeoque accidentalis est Minister, & cæremonialis, secus verò essentialis. Ad secundum, in benedictione Sacerdotali gratia dicitur infundi, cum eo tempore matrimonium mutuo conjugali consensu compleatur; sicque per mutuum ipsorum consensum, non verò per benedictionem infunditur gratia; qui verò benedictionem culpabiliter omittit, gratiam non recipit, non quidem ex defectu Sacramenti, sed obice, quem ponit adversante. Ad tertium, verba illa Parochi, *Ego vos conjungo* solum declarativa sunt, ac probativa matrimonii mutuo conjugali consensu completi jam, atque perfecti. Ad quartum disparitas est, quia

ſolum matrimonium Sacramentum eſt inſtitutum per modum contractus: nec in matrimonio ſolum, etiam in Euchariſtiæ Sacramento iidem Miniſtri ſunt, ac ſuſcipientes. Ad quintum, matrimonium eſt actio ſacra, ſed Miniſtrum ſacratum minimè requirit: Sacramentum eſt baptiſmus, & actio ſacra, quamvis à laico etiam fæmina validè conferatur. Ad ſextum minorem diſtinguo; dormientes non poſſunt conficere Sacramentum quod non ſit contractus, admitto; quod rationem habeat contractus, minorem nego, ejuſque illationem; mirum non eſt, ſi dormientes contrahant, dummodo id fiat inter abſentes per Procuratorem, vel alio modo; adeoque neque mirum, ſi dormientes Sacramentum conficiant, quod rationem habet contractus; quem non mutat ratio Sacramenti: de qua difficultate in ſequenti Appendice ſermo redibit.

Dices, benedictionem Sacerdotalem eſſentialem eſſe Sacramento matrimonii; ſiquidem Chriſtus Dominus cum nuptias benedixit in domo Cana Galilææ, Sacramentum inſtituit matrimonii; quæ ſunt autem de inſtitutione alicujus Sacramenti, ſunt illi eſſentialia; ut in cæteris Sacramentis inductione conſtat: adeoque Sacerdos Miniſter eſt matrimonii eſſentialis, ſecus verò accidentalis. Contra, omitto in nuptiis Cana Chriſtum Dominum Sacramentum inſtituiſſe matrimonii (quod communius Theologi negant cum Sanchez; Marin, Henno, Sporer, Reiffenſtuel, Salmanticenſes, Giribaldus); ſed negandum Sacerdotalem benedictionem eſſentialem eſſe matrimonio: Chriſtus Dominus, cum Sacramentum inſtituit Euchariſtiæ, ad cœlum oculos elevavit, gratias egit Patri, benedixit panem, ac fregit; ſuntne hæc omnia de conſecrationis eſſentia? nequaquam; nec iſtorum unum ut eſſentiale Euchariſtiæ Sacramento, à Sacerdote peragendum eſt. Non quæ Chriſtus fecit Sacramenta inſtituendo, ſed quæ etiam facienda eſſe voluit, cum Sacramenta fiunt, ſunt illis eſſentialia; ut in præmiſſa *diſſertatione* 3. *art.* 2. in reſponſis latè fuit oſtenſum. Hinc & quicunque fuerit locus, in quo Chriſtus Dominus Sacramentum inſtituit matrimonii, illud proculdubio per modum contractus inſtituit, nempè ad rationem Sacramenti matrimonialem elevando contractum: adeoque non Sacerdotem, ſed ipſos contrahentes Miniſtros eſſe voluit hujus Sacramenti.

APPENDIX XXIII.

INTER NOVAS *Poſt num.* 3953.

De matrimonio inter abſentes.

MAtrimonium inter abſentes initum ſive per Nuntium, ſive per Epiſtolam, ſive per Procuratorem, Sacramentum eſſe negant juniores aliqui cum Vanroy poſt Sylvium, Eſtium, Canum, Durandum, Cajetanum, alioſque. Sed in oppoſitum eſt, & quidem meritò communis Theologorum ſententia cum Boucat *diſſert.* 7. *art.*3. *ſect.*3., Henno *diſp.* 2. *qu.* 7., Tour-

nely

nely *qu.* 2. *art.* 2., Verde *Institutionum Canonicarum lib.* 2. *num.* 3509., Salmanticensibus *cap.*3. *a num.*84., Sporero *a num.*321., Giribaldo *cap.* 3. *dub.*6., Roncaglia *qu.*2. *cap.*1. *quær.*6., Reiffenstuel *distinct.* 13. *num.*26., Marin *disput.* 5. *sect.* 16., Catalano *quæst.*9. *cap.*5., La Croix *a num.*266., Dupasquier, Gonet, Gobat; & innumeris apud ipsos.

Ratio est, quia hujusmodi matrimonium certissimè valet in ratione contractus; ut omnes contra Ledesma fatentur, & decisum est in *cap. fin. de procurat. in* 6., *& in can. honorantur* 32. *qu.* 2.; contrahi posse inter absentes est contractibus omnibus commune, in quibus expressa non est exceptio in contrarium: adeoque & certissimè valet in ratione Sacramenti; cum hoc in ipso matrimoniali contractu baptizatorum essentialiter consistat; cujus natura à Christo immutata non fuit, sed solùm ad Sacramenti rationem elevata. Item quod ratum habet Ecclesia, ab omnibus tenendum est; & ratum haberi ab Ecclesia matrimonium inter absentes, plura confirmant exempla; sic enim habitum est matrimonium inter Carolum Borbonium utriusque Siciliæ Regem, & Mariam Amaliam Poloniæ Regis filiam; inter Ludovicum XIV. Galliæ Regem, & Mariam Teresiam ex Austriaca stirpe oriundam; inter Delphinum Ludovici filium primogenitum, & Bavariæ Ducissam; sic & alia innumera sunt exempla: quod sanè non permitteret Ecclesia, si Sacramentum non esset matrimonium inter absentes; quia vel matrimonium nullum esset, ut asserunt negantes contractum matrimonialem baptizatorum inseparabilem esse à ratione Sacramenti; vel certè illicitum esset, ac peccaminosum; cum, fatentibus omnibus, hæc duo sine gravi culpa separari non possint.

Dices, *accipio te in meam, & accipio te in meum*, forma sunt Sacramenti matrimonii, ut decisum est in *cap.* 3. *de sponsa duorum*; adeoque ut in cæteris Sacramentis hujusmodi formæ *baptizo te, confirmo te, absolvo te*, solùm præsens significant subjectum, nec valent inter absentes; sic & de matrimonio dicendum. At verba illa, formam esse necessariam Sacramenti matrimonii, falsum est; cum mutos etiam, & surdos Sacramentum matrimonii contrahere posse, sit clarè decisum ab Innocentio III. *in cap.* 23., *& cap.*25. *de sponsalibus, & matrimonio*; ac illa externa signa sufficiant, quæ internum mutuum consensum, ut in cæteris contractibus, exprimere valent; sic rescribit Innocentius III. Brixiensi Episcopo in *cit. cap.*25. *surdi, & muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis*: non sic in cæteris Sacramentis; in quibus, fatentibus omnibus, essentialiter in verbis forma consistit; nisi dicere velis, quod etiam baptizare, confirmare, & absolvere possit mutus: in *cit. cap.*3. de forma non quidem necessaria, sed de communi, ac usitata contrahendi matrimonium, loquitur Alexander III.

Dices iterum, sententia judicialis etiam in absentem ferri potest, nisi de Sacramentali judicio agatur, ut est Sacramentum Pœnitentiæ: adeoque etsi contractus inter absentes esse possit, secus est de contractu Sacramentali dicendum, ut Sacramentum est matrimonii: utrius ratio est, quia confectio Sacramenti actio est personalis. At illationem nego, ejusque probationem; est enim inter utrunque Sacramentum lata disparitas; cum latissima

sit

fit inter Sacramentale, ac forense judicium; ut enim in forensi judicio, etiam sine verbis lata sententia tenet, secus in Sacramentali; sic in illo in absentem lata sententia valet, secus in isto, ut fuit à Clemente VIII., & Paulo V. decisum; & quidem meritò, cum in solo Sacramentali judicio actualis sit dispositio requisita, idemque sit reus, accusator, ac testis. Sed inter matrimonii Sacramentum, ac baptizatorum matrimonialem contractum, nulla est disparitas, cum unum, idemque sint; nec naturam contractus Christus mutaverit, sed solùm dignificavit, illam ad Sacramenti dignitatem elevando: adeoque, ut in cæteris contractibus actio non requiritur personalis, nec erit in Sacramento matrimonii requisita.

Dices tandem, sequeretur quod etiam dormiens, vel ebrius, vel amens Sacramentum conficere posset; ut si procurator tunc illius nomine contraheret matrimonium; quod est certè inauditum: immò & in somno, ebrietate, amentia tunc gratiam reciperet Sacramenti; peccare etiam posset, siquidem si tunc haberet peccatum in anima, ponendo obicem Sacramento, peccaret. Mira hæc sunt, sed rerum essentiam, atque naturam ignorantibus; nonnè de cæteris contrahentibus hoc ipsum dici posset? si enim aliquis contractus medio procuratore posset iniri, jam casus evenire posset, in quo dormiens, vel ebrius, vel amens contractus iniret; si ordinaria hæc sunt in cæteris contractibus, cur & non erunt in Sacramento matrimonii, quod Christus ad modum contractus instituere voluit? quod opponitur de gratia suscipienda, vel de peccato in somno, amentia, vel ebrietate committendo, ipsi solvere debent oppositores, si de aliis Sacramentis adducatur instantia: siquidem valere baptismum etiam dormienti, vel ebrio, vel amenti collatum, si ab eo, cum sui compos erat, fuerat ante petitus, expressè decisum est *in cap. majores 3. de baptismo*; ubi Innocentius III. Archiepiscopo Arelatensi respondet, istorum baptisma valere, *si prius Catechumini extitissent, & habuissent propositum baptizandi; unde tales in necessitatis articulo baptizare consuevit Ecclesia*. Posset ergo qui medio procuratore contrahit etiam in eo statu gratiam suscipere Sacramenti; non tamen tunc mortaliter peccare, sed solùm antecedenter ad statum illum, cum nempè ad dormiendum cum obice illo accedit, prævidens, vel dubitans, matrimonium tum fore contrahendum.

Ut validum sit matrimonium medio Procuratore contractum, plura sunt requisita, quæ Bonifacius VIII. declarat *in cap. fin. de Procurat. in 6.*; & quidem primò, Procurator speciale mandatum habere debet ad matrimonium contrahendum; secundò debet esse ad fæminam determinatam, nisi etiam determinatio fæminæ sit specialiter Procuratori commissa; tertiò, Procurator per se ipsum contrahere debet, nec per alium contrahere potest; quartò, mandatum si revocatum sit à principali, nullum est matrimonium, etsi revocatio non esset Procuratori nota, *licet* (ait Pontifex) *tam ipse quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignorarent, nullius momenti extitit, cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequit*. His, vel similibus verbis Procurator contrahere debet (& quidem coram testibus, & proprio Parocho sponsi, vel sponsæ, ne matrimonium clandestinum sit, ac nullum, ubi receptum est Tridentinum) reci-

recipio te in uxorem nomine Francisci, ex: gr: ; & fœmina, *ego mediante te duco Franciscum*; sic omnes cum Giribaldo, & Sporero.

APPENDIX XXIV.

INTER NOVAS *Post num.* 3963.

De Appositis matrimonio Conditionibus, ac modis.

AN hæreticorum nostri temporis matrimonia indissolubilia sint, sive inter se, sive cum Orthodoxis contracta, dubium est, cujus latam instituit discussionem La Croix *de Matrim. a num.* 250.: Matrimonium etiam consummatum esse solubile, ac solvi per Adulterium asserunt Calvinistæ, sicque contrahere intendunt; deindè, cum de commisso Adulterio constat, defertur ad consistorium, per cujus sententiam liber declaratur à Matrimonio Coniux innocens; eique facultas datur alterum ineundi matrimonium: hæc est in matrimoniis contrahendis, ac solvendis moderna Calvinistarum praxis. Notandum est quoque, aliud esse contrahere matrimonium sub conditione tacita, vel expressa, quæ sit contra illius substantiam, ex. gr. solvendi matrimonium, *si Adulterium fuerit commissum*; & tunc nullum est matrimonium; ut clarè decisum est à Gregorio IX. *in cap. fin. de Conditionibus appositis*: aliud verò, si matrimonium fuerit cum intentione, seu voluntate contractum, ex. gr. solvendi matrimonium *pro casu Adulterii*, vel aliam post aliquos annos ducendi Uxorem; & tunc matrimonium est certè validum, sic Sporerus, Henno, Felix Potestas, & communissima est Theologorum sententia cum Doctoribus Angelico, Seraphico, ac subtili apud eundem *num.* 3960. eo quia nec effectus isti, nec intentio illos ponendi adversatur substantiæ matrimonii, sed sola obligatio, seu legitima facultas effectus illos ponendi; sic validè quis Religiosam professionem emittit cum intentione inobediendi, non castè vivendi &c.; secùs autem si obligare se nolit ad Paupertatem, Obedientiam, Castitatem.

Dicendum ergo, quod vel Acatholici in matrimoniis contrahendis, verum matrimonium, & quale à Christo institutum est, contrahere intendunt; & tunc validum est, ac indissolubile, quamvis illud ex errore solubile putent; cum generalis illa intentio prævaleat, sic etiam non credentes Baptismum esse Sacramentum, validè baptizant: vel alitèr contrahere nolunt, quam sub conditione tacita, vel expressa solubilitatis; & tunc matrimonium est certè nullum, cum substantiæ matrimonii consensus adversetur; sic Adamus Huth *tit. de divortiis*, *§.1. q. 7.*, & communis. Interim præsumendum non est eos in tam universali, ac tantæ necessitatis contractu, qualis profectò est matrimonialis, illum alligare peculiari huic errori, ac velle à privata ipsorum opinione pendere: quo in dubio, pro valore matrimonii standum est, tum ex communi regula, quod in dubio sit pro actus valore præsumendum; & omnis dispositio potiùs ut valeat, quam ut pereat, sit interpretanda; tùm specialitèr, quia

can-

causa matrimonii est favorabilis, adeoque & pro ejus valore in dubio judicandum; sic Adamus Huth, & communissimè Theologi cum Reiffenstuel *tit. de Conditionibus appositis num.* 43.; atque à Summo Pontifice Gregorio IX. decisum in *cap. fin. de Senten. & re judicata*. Paucis ab hinc diebus casus evenit; sicque interrogatus respondi.

Sed quid operantur in contractibus appositæ conditiones contingentes, possibiles, honestæ ex. gr. *Si Pater tuus consentiat*; *si hoc obtinebis officium &c.*? Contractum omnem suspendunt, & quidem usque ad conditionis eventum, simulque obligant ad expectandum, ut conditio illa purificetur; sic omnes cum Henno *disp. 5. de Contractibus, quæst.* 10., & natura hæc est conditionis, *Institut. de verbor. oblig. §. sub conditione*. De sponsalibus decisum hoc fuit ab Alexandro III. *in cap.* 3. *de Conditionibus appositis*; & de Matrimonio ab Urbano III. *in cap.* 5. *eod.* Quod si matrimonium celebratum sit sub conditione impossibili, aut turpi (sed quæ non sit contra substantiam matrimonii), statim valet in foro externo, secus autem in foro interno: & quidem validum esse pro foro externo, à Gregorio IX. decisum est in *cap. fin. de Condit. appositis*, in illis verbis, *Licet aliæ conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adiectis haberi*; scilicet in foro externo, in quo præsumitur res tam seria seriò peracta, adeoque & noluisse contrahens à conditione turpi, vel impossibili suum dependere consensum.

At nullum est pro foro interno ex defectu consensus; non enim aliter volitum esset matrimonium, quam dependenter ab illis conditionibus, quæ, si forent impossibiles, nunquam erunt; si verò turpes, nunquam esse possunt sine peccato, & ad peccandum nulla esse potest obligatio, adeoque nec matrimonialis consensus, qui ab illis conditionibus pendeat; sic Theologi cum Henno *cit. quæst.* 10., & *disput.* 3. *de matrim. qu.* 3., & La Croix *num.* 240.; Quod si etiam in externo foro appareat, & satis constet, *conditionem turpem*, vel *impossibilem* serio adjectam fuisse, & consequenter cum animo non aliter contrahendi, quam *sub conditione turpi, vel impossibili*; etiam pro foro externo nullum est matrimonium; sic omnes cum Sanchez *lib.* 5. *disp.* 3. *num.* 16., Pirhing *tit. de Conditionibus appositis num.* 18., Engel eodem, *à num.* 12., Wagnereck *eod. in cap. si Conditiones*; quia tunc Ecclesiæ præsumptio cederet veritati.

Differt à conditione modus, quod illa consensum causat, involuit, atque suspendit, si conditio sit de futuro contingenti, ut visum est; modus vero non est causa consensus, illum non involvit, neque suspendit, sed jam perfectum in suo esse supponit, eique tanquam onus advenit, & veluti accessorium suo Principali; explicari solet per particulam *ut*, *quia*, vel similes; sicuti & particula *si* conditionem explicat; sic omnes cum La Croix *de Contractibus à num.* 588., Keslingero *ad num.* 12. *supplementi, dist.* 1. *de Contractibus*, Catalano *qu.* 11. *de Matrimonio cap.* 6. *num.* 4.; *duco te, si me adjuvabis, si mihi solves mille florenos*, contractus est conditionatus; *duco te, ut me adjuves, quia mihi solves mille florenos*, contractus est modalis, qui vel est causalis, ut modo explicatum est; vel demonstrativus, *ut duco te, quæ es dives, quæ es pulchra, quæ es Nobilis &c.*

Appositus contractui modus, si honestus sit, sui parit obligationem; sic omnes, & clarè decisum est *in l. 1. C. de donation. sub modo*. Modus turpis, vel impossibilis etiam matrimonio, vel sponsalibus appositus, non vitiat actum, sed pro non adjecto habetur; sic Adamus Huth *tit. de conditionibus appositis quæst.* 10., Pirhing *eodem num.* 31., & communissima Theologorum sententia; cum ex dictis de natura modi est, non suspendere, sed supponere actum; & clarè habetur in *l. cum ab eo 41. ff. de contrah. emptione*. Sed quid, si matrimonio, vel sponsalibus modus addatur, qui sit contra substantiam matrimonii? ex: gr: *duco te, ut generationem impedias, ut alterum ducas &c.*: nullum tunc esse matrimonium, & nulla sponsalia, plures docent cum Pirhing, Huth, La Croix, Catalano, & Sporero *cap. 1. num.* 340. Sed validum esse, longè probabilius affirmant pluribus citatis, Reiffenstuel *tit. de conditionibus appositis num.* 68., Roncaglia *quæst. 2. cap. 2. quæres* 9., Aversa, Sotus, Ledesma, Palaus, Dicastillo, Perez, Villalobos; siquidem modus non est causa consensus, nec illum involvit, vel suspendit; cum jam illum supponat perfectè in suo esse constitutum, eique advenit, ut suo principali accessorium. Oppones ex *cap. fin. de condition. appositis*, nullum est matrimonium, si dicas, *duco te, si generationem evites, si te adulterandam exponas*; his autem non conditio propriè dicta significatur, ex qua suspenditur actus; cum antè contractum absolutè matrimonium, nullum esse possit adulterium, vel vitatio prolis; significatur ergo modus contracto jam matrimonio servandus; per cujus additionem irritum est matrimonium. Contra, Pontificem loqui de propriè dicta conditione, tum particula *si*, qua utitur, tum illa ejus verba, *si conditiones contra substantiam conjugii inserantur &c.*, satis ostendunt: certum est quoque non loqui Pontificem vel de legitima prole, vel de adulterio propriè dicto; cum, si nullum sit matrimonium sive absolutum, sive conditionatum, nullum esse possit adulterium, aut legitima proles.

APPENDIX XXV.

INTER NOVAS *Post num.* 3994.

De frangente votum in fraudem, ut matrimonium contrahere possit.

Quid si Petrus fornicationi deditus, Religionem ingredi voveat, si per integrum annum nullam committat, Deo adjuvante, fornicationem; sed anno jam labente voti pœnitens ducere vult uxorem, & ne Religionem ingredi teneatur, fornicationem committit; possetne ducere uxorem, vel potius Religionem ingredi sub gravi culpa tenetur? Variant in hac re Doctores: Petrum etiam fornicatione commissa, teneri ad votum, affirmant Theologi cum de voto, Henno *quæst. 3. art.* 7., Navarrus, Sanchez, Azorius; cum in voti fraudem præcepta conditio fuerit impedita. Alii cum

Sylvestro, & Rodriquez addunt, verum hoc esse quamvis non in voti fraudem, sed ex sola malitia, illa impedita fuisset conditio: Immò & teneri Petrum ad Religionis ingressum, quamvis ex sola fragilitate in fornicationem incidisset, dicunt Angelus, Tabiena, Gabriel.

Dicendum est graviter peccasse Petrum, & quidem contra Religionis votum, fornicando, ex omnium sensu; quia Religionem sic vovens, censetur saltem implicitè se obligasse ad conditionem illam non fraudulenter impediendam. At Petrus Religionem ingredi non tenetur, & uxorem ducere posset: cum revera impleta non sit conditio, & nullus fuit consensus voventis nisi dependenter à tali conditione positus; certum est autem nullum esse votum sine consensu voventis. Communissima hæc est Theologorum sententia cum Suario *lib.* 4. *de voto cap.* 17. *num.* 20., Salmanticensibus *cap.* 1. *num.* 173., Catalano *quæst.* 10. *cap.* 6. *num.* 6., Gobat *tract.* 11. *num.* 25., Giribaldo *cap.* 5. *a num.* 56., Marin *disp.* 3. *a num.* 172., Roncaglia *cap.* 2. *quær.* 7., Illsung *tract.* 5. *num.* 116., La Croix *num.* 468., Sporero *cap.* 2. *num.* 148., Filliucio *cap.* 6. *num.* 158., Antonio à Spiritu Sancto *disp.* 2. *num.* 370., Palao *disp.* 1. *pun.* 17. *num.* 12., Tamburino *cap.* 12. §. 6. *nu.* 7. Leandro *disp.* 41. *quæst.* 33., Layman *cap.* 6. *num.* 4., Diana *tom.* 8. *tract.* 4. *resol.* 34., *&* 35., aliàs *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 101., *& par.* 9. *tract.* 8. *resol.* 7. Bonacina *disp.* 4. *quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 7. posterioris editionis priorem sententiam retractante; uti etiam Salmanticenses notant, & noster Diana; aliisque passim apud ipsos.

Opponnes tanquam impletam illam habendam esse conditionem ex *leg. in executione* 85. §. *fin.* ff. *de verb. obligat.* ibi: *Quicunque sub conditione obligatus, curaverit, ne conditio existeret, nihilominus obligatur: & regula* 66. *juris in* 6. *cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset*: idem ergo de voto dicendum. Contra est, si ulla sine limitatione essent allata hæc jura intelligenda, etiam ille, qui ex sola fragilitate in fornicationem cadit, Religionem ingredi deberet; cum per Deum *non stet, quominus conditio impleatur*; sed totum est ex gravi culpa voventis: quod (si Tabiena excipias, aliosque paucos) nullus unquam dicere somniavit.

Sunt ergo jura de humanis contractibus intelligenda, qui cum obligent ex justitia, etiam ad omnia resarcienda damna inde secuta obligationem inducunt: non sic votum soli Deo factum, quod ex sola Religione ac fidelitate obligat, quarum non est secuta damna reparare, nec ante impletam conditionem ullam inducere obligationem; quæ tota quanta est à sola pendet voluntate voventis. Hoc sensu esse jura intelligenda quis dubitet? clarum est ex *leg. in jure civili*, ibi ff. *de regulis juris*, à qua sunt illa desumpta, & his verbis data regula exemplificatur, *quod ad libertatem, legata, & ad hæredum institutiones pertinet &c.*: de hærede exemplum habes in *leg.* 3. ff. *de condition. institut.* ibi, *si ita hæres institutus sum; si decem dederò; & accipere nolit, cui dare jussus sum, pro impleta conditione habetur*: de libertate exemplum habetur *leg. fin.* ff. *eodem*, ubi si servo in testamento legatur libertas sub conditione, *si hæredi decem sestertia pendat*; & servus sit solvere paratus; etiamsi hæres solutionem acceptare nolit, illamque

lamque impediat; conditio censetur impleta, ac datur servo libertas: de cæteris contractibus etiam statutum est in *cit. leg.* 161., ibi, *quibus exemplis stipulationes quoque committuntur, cum per promissorem factum esset, quominus stipulator conditioni pareret.* Nec dicas dolum, ac fraudem neminem patrocinari debere ex *cap.* 7. *de immunitate Eccles.* cum verum hoc sit de obligationibus quæ sunt à jure, siquidem de judicibus loquitur ibi Innocentius III. extrahentibus ab Ecclesia reos. At ubinam de votis hoc est in jure dispositum? cum potius illorum obligatio unicè sit ab intentione voventis; siquidem voventis nullus fuit consensus, nisi dependenter ab ea conditione positus; & nullum est votum sine consensu voventis. Adeoque nec teneretur Petrus ingredi Religionem; & uxorem ducere posset.

APPENDIX XXVI.

INTER NOVAS *Post num.* 4031.

De cognationis legalis impedimento.

Cognatio legalis *propinquitas est personarum orta ex adoptione*, ac matrimonium dirimit contrahendum; sic omnes ex *cap. unico de cognatione legali*: ubi ait Pontifex Nicolaus I.: *si qua per adoptionem mihi soror esse coeperit, quamdiù durat adoptio inter me, & ipsam, nuptiæ consistere non possunt*; & in *cap. ita diligere* 30. *quæst.* 3. ait idem Summus Pontifex *quandoquidem, nec inter eos, qui natura, & eos qui adoptione filii sunt, veneranda Romanæ leges matrimonia contrahi permittunt*: est autem adoptio actus legitimus, per quem is qui natura filius non est, in adoptantis filium, vel nepotem assumitur: est communis cum Divo Thoma *in* 4. *dist.* 42. *qu.*2., Marin *disp.*14. *num.* 75.; dividitur adoptio in perfectam, & imperfectam, ut habetur §. 1. *institut. de adoptionibus*: adoptio perfecta, quæ & arrogatio dicitur, est, qua persona extranea sui juris existens auctoritate Principis ita assumitur in filium, aut nepotem, ut transeat in potestatem, & familiam adoptantis, fiatque hæres ipsius necessarius; constat ex citata institutione: adoptio imperfecta, seu simplex est, qua persona extranea, quæ nondum est sui juris, sed adhuc sub patria potestate, auctoritate inferioris Judicis competentis, in filium, aut nepotem ita assumitur, ut non transeat in potestatem, & familiam adoptantis, & non sit hæres necessarius in testamento, licèt ab intestato succedat. Sic habetur in *citat. institutione*, & omnes cum Reiffenstuel, Krimer, Wiestner *tit. de cognatione legali*.

Celebris controversia est, an impedimentum dirimens oriatur ex sola adoptione perfecta, seu arrogatione. Affirmant La Croix *num.* 588., Huth *eod. tit. quæst.* 3., Krimer *num.*1121., Wiestner *à num.* 9., Zoesius, Engel, Wex, Wagnerech, aliique innumeri apud ipsos. Negant Gonzalez *eodem tit. num.*10., pluribus congestis, Reiff. *num.*10. citans communem; Clericatus *de matrimonio decis.* 24. *num.* 27., & 28. citans communem

Scotistarum, Catalanus *quæst.* 15. *cap.* 8. *num.* 4., Marin *disp.* 14. *num.* 82; aliique passim apud Clericatum, & Wiestner; cum quibus dicendum est impedimentum dirimens cognationis legalis ex utraque adoptione oriri: siquidem adoptio imperfecta vera est, ac propriè dicta adoptio; ut constat ex *l. adoptivus ff. de ritu nuptiarum*; & ex *cit. institutione de adoptionibus*; & in jure canonico, ut impedimentum dirimens asseritur cognatio legalis; & textus absolutè, & sine ulla distinctione loquuntur; ut visum est; sic ergo dicendum; nec enim ubi non distinguunt jura, nos distinguere debemus; argumento *cap.* 22. *de privilegiis*; & ex *leg. non distinguemus* 8. *ff. de receptione arbit.*; neque dicas, adoptionem imperfectam non esse veram adoptionem, cum sit potius dispositio ad adoptionem perfectam, neque faciat adoptatum esse sub potestate adoptantis: Contra, ista solum probant, non esse adoptionem perfectam; quod libenter admittimus; secus verò adoptionem non esse veram, ac propriè dictam.

Redices omnis ergo extraneus factus hæres, relatè ad testatorem filius erit adoptivus? Contra, falsa est illatio; cum ex dictis filius adoptivus esse possit, quin sit hæres; & plura sint adoptionis hujus requisita, atque solemnitates: siquidem facienda est auctoritate Judicis, vel Magistratus: quod adoptans sit sui juris, ac de suis bonis disponere possit: quod vir sit, non fæmina: quod sit generare potens, non quidem moraliter, sed physicè: hinc etiam Sacerdos adoptare potest, dummodò potens sit generare: quod sit provectæ ætatis, itaut adoptatum excedere debeat saltem per octodecim annos, si adoptio sit imperfecta; si verò sit perfecta (quæ *arrogatio* vocatur) adoptans annum habere debeat quadragesimum completum; & quod adoptio, quæcumque sit, inter præsentes fiat; secus verò inter absentes, & per Procuratorem: uti videre est apud Catalanum *qu.* 15. *cap.* 8. *num.* 3., Giribaldum *cap.* 12. *num.* 38., Marin *disput.* 14. *num.* 77., aliosque de legali cognatione agentes.

Dubium insurgit de cognatione legali in linea recta, usque ad quem gradum inter adoptantem dirimat, & filios adoptati: multi multa dicunt, ut videre est apud Catalanum, Clericatum, Marin, Krimer, Wiestner; sed dicendum dirimere usque ad quartum gradum inclusivè: sic Brancatus *de matrimonio disp.* 29. *art.* 2., Dupasquier *disp.* 4. *qu.* 14., Bonacina *qu.* 3. *pun.* 5. §. 3. *num.* 4., & 5. Navarrus, Faber, Sotus, Toletus, Valentia, Sà, Poncius, aliique passim; constat autem *ex leg. adoptivus*; & *leg. quando, ff. de ritu nuptiarum*, & *instit. de nuptiis*, in quibus usque ad talem gradum in linea recta prohibetur matrimonium: & has leges approbat Summus Pontifex, tum in *cap. unic. de cognat. legali*, tum in *cap. ita diligere* 30. *qu.* 3.: siquidem cognatio hæc legalis inducta est à jure civili per sacros Canones approbato; in quo quartus gradus nunquam exceditur. Neque mirum, cum nec in consanguinitate naturali quartus unquam excedatur: immò intelligendum hoc est de filiis, nepotibus, ac pronepotibus adoptati; qui tempore adoptionis sub ejus erant patria potestate; secus verò de aliis, qui tunc vel erant emancipati, vel nascituri erant; itaut adoptione jam soluta, nascantur; ut ex jure probant Catalanus, Clericatus, de Justis, Giribaldus, Salmanticenses, La Croix, Marin, Sanchez, & communissimè, de

hoc

hoc impedimento agentes: hinc adoptans filiam adoptatæ ducere potest; cum filia non sit sub patria potestate matris, *§.femina, institut. de adoptione*, ut etiam ducere potest filias illegitimas adoptati; & adoptatus filias illegitimas adoptantis; cum illegitimi sub patria non sint potestate. Si Petrus plures in filios adoptaverit, possunt isti inter se matrimonium inire, cum inter filios ab eodem adoptatos, nullum sit impedimentum, matrimonium contrahendi, uti videre est apud citatos Auctores; dicitur in jure cognationem legalem in linea recta dirimere in infinitum: & sensus est, dirimere *semper*, ac *perpetuò*, usque ad quartum gradum, modo jam explicato. Petrus contracto jam matrimonio cum filia Pauli, adoptatur ab ipso; poterit ne deinde petere, ac reddere debitum? Affirmandum est cum Catalano *cap.8.num.9.*, La Croix *num.601.*, Krimer *num.1238.*, & communi; cum hoc nullo sit jure prohibitum.

APPENDIX XXVII.

INTER NOVAS *Post num.* 4032.

De cognationis spiritualis impedimento.

IN baptismo nedum solemni, etiam privato, & in necessitate collato, sive à baptizante, sive à patrino, spiritualis hæc cognatio contrahitur: sic omnes quoad baptizantem, etiam in baptismo privato; Doctores 33. dat Sanchez *lib.7. disp.62. num.10.*: quoad patrinum verò in baptismo privato, plures negant; sicque sentiunt Sanchez, Catalanus, Giribaldus, Salmanticenses, Viva, Clericatus, Marin, Sabinus, Krimer, noster Veranus, & alii: sed affirmandum; cum jura quoad hoc non distinguant inter baptismum privatum, ac solemnem, ut constat ex *cap. 1.*, *& cap. fin. h. t. in 6.*; sicque sentiunt Navarrus, Coninch, Layman, Guttierez, & Leander *disp.7. de baptismo qu. 21.* datis 14. Doctoribus; item Huth *h.t. quæst.3.*, Wiestner *h. t. num.21.*, Reiffenstuel *num.22.*, Pirhing *num. 39.*, aliique apud ipsos. Nec refert, patrinum non requiri ab Ecclesia, nisi ad baptismi solemnitatem; nam hoc etiam omisso, aliud est patrinum requisitum esse, ac necessarium; aliud est non esse utilem, non esse patrinum; primum proprium esse baptismi solemnis, omitto; alterum nego; quis enim neget in baptismo privato ad instruendum infantem, utilem esse patrinum?

Quod si nulla urgente necessitate pater in solemni baptismo proprium levet legitimum infantem, graviter peccat, ex omnium sensu cum Giribald.*c.5. de baptismo num.18.*; cum sit contra sacros Canones, & transgressio in re gravi Ecclesiasticæ legis. At nullum contrahit impedimentum relatè ad conjugale debitum petendum, vel reddendum; ex textu claro *in cap. 2. h. t.*; estque rescriptum Alexandri III. ad Salernitanum Episcopum: fusè hoc probant pluribus adductis Franciscus Verde *cit.lib.2. à nu. 3775.*; Salmanticenses *cap.15. à num. 24.*, Giribaldus *cap.19. num.66.*, Reiffenstuel *h. t.*

à num.

à *num.* 30., Veranus noster *h. t. quær.* 11., aliique; non tamen admitto quam Veranus facit limitationem. Nec dicas, clarè constare oppositum, ex *Can.* 1. 2., & 3., 30. *qu.* 1., aliisque: contra, antiqua hæc jura etiam correcta manent ex jure novo *in cit. cap.* 2. *h. t.* ; sic Verde, Reiffenstuel, & communis. Dixi, *proprium legitimum infantem*; quia secus dicendum esset de proprio infante non legitimo; siquidem si pater etiam in necessitate filium baptizet habitum ex concubina, vel cum sponsa de futuro; contrahit impedimentum hoc dirimens cognationis spiritualis, sic ut neutram in uxorem validè ducere posset; Sanchez, Navarrus, & communissimè cum Marin *disp.*14.*num.*132. Ratio est, quia in jure tantùm jus conceditur petendi, ac reddendi debitum inter legitimos conjuges in casu allato, secus autem, matrimonium contrahendi, ut clarum est; neque ab uno ad alterum illatio valet; ut patet tum in affinitate, tum in cognatione legali. Sic perfecta copula carnalis, etiam in somno habita, vel per coactionem, vel per ignorantiam consanguinitatis inducit impedimentum affinitatis dirimens relatè ad matrimonium cum consanguinea contrahendum: secus autem si de matrimonio jam contracto agatur, vel de petendo, ac reddendo debito; uti videre est apud Clericatum *decis.* 31. *nu.* 3., & 12., & Matthæuccium *Cautela confessarii lib.* 2. *cap.*7. *num.*4., & 6., & nos infra. Item si Petrus fuerit à Paulo adoptatus, invalidè cum ejus filia matrimonium contrahit; quod si adoptio hæc, jam contracto matrimonio, facta fuisset, Petrus nullum contrahit impedimentum cum filia Pauli relatè ad petendum, ac reddendum debitum, uti videre est apud Sanchez *lib.*7.*disp.* 63. *num.* 19., & Catalanum *cap.* 8. *num.* 9., & nos infra. Neque mirum posse aliqua *matrimonium* contrahendum impedire, quæ petitionem, ac redditionem debiti inter conjuges impedire non valent: cum conjuges rigorosum jus habeant ad petitionem, ac redditionem debiti; secus autem ad ipsum matrimonium contrahendum.

Celebre dubium est, an qui per Procuratorem patrini munus exercet, spiritualem hanc cognationem contrahat. Prima sententia est, a Procuratore, secus à principali spiritualem contrahi cognationem; sic Archidiaconus, Francus, Brunellus, Silvester, aliique plures, quos referunt, ac sequuntur Covarruvias *de sponsalib. par.*2.*cap.*6.§.4. *num.*6. & Sanchez *lib.*7. *disp.*59. *num.*4. Sed in oppositum communissima est Theologorum sententia cum Giribaldo *cap.*12. *de matrimonio num.*33.; & quidem meritò, cum Procurator nec agat nomine proprio, nec patrini munus exercere intendat. Nec refert, quod si Parochus alteri baptizandi munus committat, hic & non ille cognationem contrahat spiritualem: cum lata sit disparitas; siquidem qui de licentia Parochi baptizat, non Parochi nomine baptizat, sed nomine Christi, cujus est Minister; Procurator verò, seù legatus nonnisi principalis nomine tenet, ac ut ipsius Minister agit.

Secunda sententia est, nullam eo casu spiritualem contrahi cognationem, nec a procuratore, nec a principali mittente; sic pluribus citatis Giribaldus *cap.* 12. *num.* 34.; noster Veranus *tit. de cognatione spirituali quæst.*21. Illustrissimus Verde *institutionum Canonicarun lib.*2. *num.* 558. Rosignolus, Reginaldus, Villalobos, noster Diana, Dicastillo, Vega, Cornejo, Leander, aliique apud ipsos,

Ter-

Tertia sententia est à solo principali mittente hanc contrahi spiritualem cognationem; sic innumeris citatis Reiffenstuel *tit. de cognatione spirituali num.* 23.; Krimer *eod. a num.* 1096.; Huth *eod. quæst.* 8.; Wiestner *eod. a num.* 28.; Henno *disp.* 5. *de baptismo quæst.* 3. *resol.* 2.; Marin *disp.* 14. *de matrimonio a num.* 121. Sporer *cap.* 1. *de matrimonio num.* 96., Catalanus *quæst.* 15. *cap.* 7. *num.* 10. Clericatus *decis.* 23. *de matrimonio num.* 8. Felix Potestas *num.* 3011. & communissima Theologorum sententia apud ipsos.

Ultima hæc sententia omninò tenende est; & quidem primo, cum pro ipsa pluries fuerit a Sac. Congregatione decisum apud Wiestner, Clericatum, Reifenst., Marin, Barbosa, Navarrum, aliosque apud ipsos; decisum quoque fuit a Rota Romana apud Riccium *in praxi fori Ecclesiastici resol.* 630. 2. *editionis*, Verallum *decis.* 147. *part.* 3., Valero *in Margarita V. cognatio*, Marin, Wiestner, aliosque. Secundo, cum quilibet per Procuratorem præstare possit, quæ per se ipsum, cum alias non est prohibitus; ex certissima regula, *qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum*; regula est 72. juris in 6.; & sanè si potest quis per alium matrimonium (quod Sacramentum est) inire; cur & non poterit patrini munus (quod longè minus est) per alium exercere? ut latè disserunt Pontius *lib.* 7. *cap.* 39. *num.* 10., & de Justis *lib.* 2. *de dispensat. cap.* 5. *num.* 33. Tandem, cum consuetudo assignandi Procuratorem ad patrini munus exercendum, præsertim in baptismo Regum, ac Magnatum doceat hoc ipsum; neque credibile sit tunc contra Ecclesiæ præceptum, & quidem graviter obligans, & nulla gravi necessitate urgente, publicum baptismum sine patrino collatum esse: multum hæc ratio valet; & quidem ad singula adversariorum objecta solvenda etiam sola sufficeret.

Dices principalem non contrahere spiritualem cognationem, quia revera non suscipit, accipit, levat, tenet, tangit infantem cum baptizatur, ut requirunt jura, & per plures Canones decisum est, 30. *quæst.* 1., quæ omnia denotant actionem physicam, & personalem; & cum simus in odiosis (agitur enim de impedimento matrimonium dirimente) jura illa sunt in rigore, & proprio sensu intelligenda, nec amplianda ad tactum etiam moralem; eo vel maximè quod verba illa Canonis *de his* 30. *quæst.* 1. *super se suscipient*, & *canon. ad limina eadem quæst.* 1. *eumque ipse propriis manibus retinendo suscepit*; aliter explicari non possint. Item cognatio spiritualis naturali cognationi comparatur *in cap.* 4. *de baptismo*, & cognationem legalem imitatur, *can. post susceptum* 30. *quæst.* 3. cognatio autem tam naturalis, quam legalis nonnisi per actionem personalem habetur; ut de illa per se, de ista ex *leg. post uxorem* 25. *de adoptione* constat; idem ergo de spirituali cognatione dicendum.

Contra est, patrinus suscipere, levare, accipere, tenere, tangere debet infantem sive per se, sive per alium hoc faciendo; quatenus vel ipse immediatè ac physicè tangat infantem, vel alius nomine ipsius; sicque sacros Canones intelligendos esse, jam dicta demonstrant: in odiosis potius restringendæ sunt leges, quam ampliandæ; dummodo nihil sit in oppositum; & allatos sacros Canones esse in casu nostro lato sensu accipiendos, nempè de susceptione sive physica, sive morali, tum allatæ decisiones, tum generalis

ralis regula, tum consuetudo (*qua optima est legum interpres*) ex Innocentio III. *in cap.* 8. *de consuetudine* satis ostendunt, quo eodem modo sunt locutiones illæ Canonum explicandæ, *super se sustinent*, *& propriis manibus retinendo*, & quidem ex data ratione.

At demus de solo tactu physico immediato locutos esse Canones, quid inde? consuetudo vim legis habet ex omnium sensu; novæ per eam inducuntur leges, abrogantur antiquæ; à Gregorio IX. decisum est in *cap. fin. de consuetudine*; quam ait Pontifex, *juri positivo præjudicium generare, si rationabilis fuerit, ac legitimè præscripta*; idemque habetur in *leg. de quibus ff. de legibus*: si consuetudo etiam in rebus ecclesiasticis vim legis habet, cur id non poterit in matrimonio, ejusque impedimentis etiam dirimentibus? Communissima hæc est Theologorum sententia cum Aversa, Gonet, Salmanticensibus, Henno; immò & impedimentum cognationis spiritualis induci posse per consuetudinem, expresse ab Alexandro III. decisum est in *cap.* 3. *de cognat. spirituali*. De patrino autem etiam per alium faciendo, eam esse consuetudinem testantur Auctores, & praxis ipsa ostendit; consuetudo est, jam pluries tum Sanctæ Congregationis, tum Rotæ Romanæ comprobata decisionibus, & quam communis regula firmat.

Quod additum est, nihil ad rem, *in cap.* 4. *de baptismo* inter cognationem spiritualem, & naturalem fit comparatio quantum ad distinctionem personarum, *oportet* (ait ibi Innocentius III.) *ut utrobique paternitas, & filiatio valeat inveniri, quibus baptizans, & baptizatus ad invicem referantur*: In *cap. post susceptum* spiritualis cognatio legalem imitatur in quantum utriusque est impedire matrimonium: quod cognatio legalis per adoptionem habita, per alium fieri non possit ex *leg. post uxorem*, exceptio est, qua potius communis regula firmatur.

Quid si aliqua Civitas, vel Universitas Procuratorem constituat, ut ipsius nomine in baptismo vel confirmatione suscipiat infantem? Nulla tunc esset cognatio spiritualis, & nullus patrinus; non quidem Civitas, vel Universitas, cum sit persona ficta, & cognationis expers, communis cum Clericato *num.* 9.; non procurator cum non agat nomine proprio; non singuli illius Civitatis vel Universitatis; cum procurator non contrahat nomine singulorum, sed communitatis; communissima est cum Marin *num.* 118., Merolla, de Marinis, Sanchez. Petrus patrinus esse solet filiorum Pauli, sed quia non est domi, Paulus Titium rogat ut nomine Petri suscipiat infantem: quis esset in hoc casu patrinus? nullus, si hoc fiat ignorante Petro; non quidem Petrus, ex defectu intentionis, & quia nulla ab ipso facta est substitutio, quæ utpote onerosa non est præsumenda; neque Titius, quia non tenet nomine proprio; sic Sporerus *num.* 98. Aliter dicendum esset, si jam Petrus accessisset ad Ecclesiam, ut teneret infantem, sed cum inveniat ibi Titium, urbanitatis causa eum rogat ad suscipiendum infantem, & Titius eum teneat; tunc enim potius patrinus est Titius, quam Petrus; cum Titius rogatus quidem teneat, sed nomine proprio, non enim rogatio illa propria fuit substitutio; teneatque Parocho consentiente, & ex præsumpto consensu parentis, cum de parentis favore agatur; sic Sporerus *ibidem*.

AP-

APPENDIX XXVIII.

INTER NOVAS *Post num.* 4042.

De consanguinitatis impedimento.

DE gradibus consanguinitatis in linea transversali distinguendum est inter jus antiquum, & novum; de jure antiquo dirimebant usque ad septimum gradum, & de jure novo solùm ad quartum usque gradum inclusivè; idque de solo jure Ecclesiastico, si de secundo, & ulterioribus gradibus loquamur; quod apertè satis constat, ex *cap.* 8. *de divortiis*: neque obstant consanguinitatis gradus, vel affinitatis, qui prohibentur *Levit.*18.; non enim præcepta illa durant, cum non moralia fuerint, sed judicialia; ut omnibus certum est;aliàs Polygamia,Libellus repudii &c. adhuc licita forent. Dubium est, an consangnitas in primo gradu etiam de jure naturali matrimonium dirimat;an adeoque & Romanus Pontifex in eo dispensare non possit: At notandum non omnia, quæ à lege naturali prohibentur, irrita esse jure naturali;sic matrimonium inire post fidem alteri datam,vel post emissum perpetuæ castitatis votum, est contra jus naturale, sed non irritum jure naturali; cum revera validum sit tale matrimonium.

Dirimere affirmant pluribus citatis Clericatus *decis.* 22. *à num.* 33., Marin *disp.*14. *à num.* 29., Catalanus *qu.*15. *cap.*6. *num.* 9., Gonet *disp.*9. *à num.*42., de Justis *lib.*2. *cap.*3. *num.*67., Sanchez *lib.*7. *disp.*52.*num.*11., & passim alii. Sed probabilius negant Pontius *lib.*7. *cap.*32. *num.*3., Aversa *qu.*16. *sect.*1., & innumeris relatis Giribaldus *cap.* 12. *à num.*16., Mastrius *disp.*7. *num.*460., Salmanticenses *cap.*12. *à num.*20., Henno *disput. ultim. qu.*3. *artic.*3. *conclus.*3., & passim alii cum Div.Thoma 2. 2. *q.*154.*artic.*9. *ad* 3.

Ratio desumitur ex duobus Conciliis sæculo 6. habitis; in quibus prohibetur, fratrem ducere germanam, consobrinam, sobrinam; etsi ante prohibitionem illam contractum fuisset, decernitur sustinendum esse, & non dissolvendum; sic expresse habetur in Concilio Agathensi anno 506. *can.*61. ibi, *si quis frater germanam uxorem acceperit*; *si quis novercam duxerit*; *si quis consobrinæ suæ se sociaverit*; *si quis relictæ, vel filiæ avunculi misceatur &c.*: idem expresse confirmatur in Concilio Epaunensi an. 517. *can.* 30., ibi, *si quis germanam uxorem acceperit, si quis novercam duxerit, si quis consobrinæ se societ*; *quod ut à præsenti tempore prohibemus*; *ita quæ sunt anterius instituta, non solvimus*: quid clariùs? forsan Concilia ista errarunt? sed temerè hoc esset assertum: estne corrigendus textus, ac legendum, ut ait Gonetus, *germanam uxoris suæ*? sed malè hoc dicitur; codicibus omnibus, sive editi sint, sive manuscripti, reclamantibus: neque obstat, quod in Concilio Aurelianensi 3. Canone 10. dicatur, *sororem uxoris*; & in Concilio Turonensi 2. *cap.* 22. legatur,

gatur, *si quis germanam uxoris suæ acceperit*; cum hæc affinitatem respiciant, illa verò consanguinitatem; & sicuti deridendus esset qui vellet hæc Concilia emendare per illa; ac in istis legendum esse, *sororem uxorem, & germanam uxorem*; sic & risu excipiendus esset, qui vellet illa per hæc emendare Concilia; ac fidenter dicere in illis legendum esse, *germanam uxoris, sororem uxoris*: optimè Canones isti concordant; non ergo unus per alterum emendandus. Nostro favet asserto S. Augustinus *lib.15. de Civit. cap.16.* dicens, hæc matrimonia non esse à natura prohibita, sed à Religione, seu ab Ecclesiastica lege, his verbis, *quanto antiquius est, ut viri sorores suas conjuges acciperent, compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius, religione prohibente*: clarus est textus. Favet etiam Scriptura; nonnè Abraham vir sanctissimus suam germanam duxit uxorem, nempè Saram? ut habetur *Genesis 20.*, ac testantur S. Hieronymus *in qq. hebraicis in Genesim*, Clemens Alexandrinus *lib.2. strom.*, aliique Patres: nec refert aliquos esse in oppositum cum S. Augustino; cum clarè nobis faveat scripturæ textus, dicente ibi Abraham de uxore sua Sara, *verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ*.

Nec dicas primò, Innocentius III. in *cap.8. de divortiis* cum infidelibus ad fidem conversis dispensat in secundo, & ulterioribus gradibus consanguinitatis, secus in primo; ergo signum est dirimere in primo gradu etiam apud infideles; adeoque de jure naturali. Contra, loquitur Innocentius non de primo, sed solùm de secundo, ac de ulterioribus gradibus, cum non de illo, sed de his tantum fuerat interrogatus; similiter si de solo quarto gradu fuisset quæsitus, etiam de secundo, ac tertio gradu siluisset.

Nec dicas secundò, eadem est ratio de primo gradu consanguinitatis sive sit in linea recta, sive obliqua; ergo vel in utraque linea dirimit in primo gradu de jure naturæ, vel in neutro. Quod & omnibus gentibus, ac nationibus persuasum semper fuit: non enim aliunde Abraham in Ægypto apud Pharaonem, & Geraræ apud Abimelech Regem, Saram uxorem suam rogavit, ut diceret suam esse sororem, ne ipse occideretur ab eis; nisi quia suasum illis omnibus erat, nullam esse posse germani sui uxorem.

Contra est, inter utrumque primum consanguinitatis gradum relatè ad matrimonium de jure naturali dirimendum, lata est disparitas, nedum ex ipsa institutione Sacramenti matrimonii, cum ait Christus *Matthæi 19. dimittit homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ*; sed etiam ex ipsa primæva institutione matrimonii in ratione contractus; cum ait Deus per Adam, *relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ*; ubi clarissimum est, matrem aliam esse debere ab uxore, & patrem omninò alium à marito esse debere: hæc est Patrum omnium intelligentia; & barbararum omnium nationum idem est sensus: quæ dispositiones cum de fratribus, ac sororibus minimè habeantur, aliter de his discurrendum est.

Item frater, & soror non sunt directè una caro, sed solùm ratione patris, ac matris inter se communicant; nec inter ipsos repugnat æqualitas; nec est mutua reverentia, ut est inter patrem, ac filium: Filius è contra est caro patris, ac portio substantiæ illius; siquidem filii sunt ex patre, ac

ma-

matre; quibus & summam reverentiam debent; sicque inter filios, ac genitores repugnat æqualitas. Quod omnibus nationibus persuasum fuerit nullum esse matrimonium fratris cum sua germana, falsum est; siquidem oppositum tum sacra, tum prophana docet historia; nam *Genesis* 20. Abraham germanam suam duxit uxorem; & *lib.* 2. *Regum cap.* 13. cum Thamar filia David opprimeretur à fratre suo Amnon, dixit, *noli frater mi, noli opprimere me, noli facere stultitiam hanc; quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi*; adeoque non erat inusitatum, ac nefas existimatum connubium inter fratres, ac sorores, saltem apud Gentiles; cum esset Thamar ex matre gentili filia Regis Gessur: & quidem commune hoc fuit Assyriis, teste Luciano *de sacrificiis*, Persis, teste Herodoto in Cambyse, Curtio *lib.* 8., & Plinio *lib.* 36. *cap.* 8.; Ægyptiis teste Diodoro *lib.* 1. *cap.* 2., Theocrito in Ptolomeo Philadelpho, & Dione *lib.* 42. referente, Ptolomæum Auletum testamento præcepisse Cleopatræ filiæ majori, & filio grandiori, ut more Majorum inter se matrimonio copularentur: De Indis, Æthiopibus, Medis, testatur S. Hieronymus *lib.* 2. *contra Jovinianum*; de antiquis Romanis testatur S. Gregorius Magnus ad interrogata Augustini *cap.*6.; & Nero Imperator Octaviam germanam suam duxit uxorem, teste Tacito *lib.* 15.: falsum ergo tum sacra, tum prophana historia duce, suasum fuisse gentibus nullam esse potuisse germani sui uxorem. Abraham Saram rogavit, ut diceret suam esse sororem ad matrimonium occultandum, secus verò ad ejus ostendendam impossibilitatem.

Hinc Romanum Pontificem in linea consanguinitatis obliqua, seu laterali etiam in primo gradu dispensare posse, non dubito; cum ex dictis satis clarè descendat: quod verò Romani Pontifices nunquam hujusmodi dispensationes admittere voluerint; ut in facto patet cujusdam Comitis Armeniaci, de quo Paulus Æmilius in vita Ludovici II. Francorum Regis; nihil mirum, cum nonnisi ex gravissima causa dari debeant. Falsum quoque puto Romanos Pontifices nunquam in hoc impedimento dispensasse; sic enim dispensasse Romanum Pontificem Martinum V., & quidem celeberrima prius facta Canonistarum, ac Theologorum consultatione; scribit Sylvester in *summa* ver. *Papa qu.*17., his verbis, *reperitur Martinus V., ut Archidiac. refert, dispensasse cum eo, qui cum sua germana contraxerat, & consummaverat, habito consilio cum Peritis, Theologis, & Canonistis; propter mala, & scandala, aliàs inde ventura; licet aliqui dicerent, eum hoc non posse*. Neque dicas, subreptitias quasdam dispensationes fuisse eo tempore expeditas, teste Paulo Æmilio supra; unde & Prothonotarius fuit ultimo supplicio affectus. Contra, id contigisse admitto, sed longè post Martini V. Pontificatum; contigit enim regnante Ludovico II. teste Æmilio; at regnare Ludovicus incæpit an. 1461., & longè post mortem Martini V., qui anno decesserat 1431.

APPENDIX XXIX.

INTER NOVAS *Post num.* 4047.

De criminis impedimento.

ADulterium five cum promiffione futuri matrimonii, five cum actuali contractione illius, five cum occifione conjugis, non eft dirimens impedimentum, nifi fiat eodem durante matrimonio; contra paucos communiffima eft Theologorum fententia, ac fatis idipfum docet Summus Pontifex Gregorius IX. in *cap. fin. de eo, qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium*, in illis verbis, *fi quis uxore vivente fide data promifit aliam se ducturum, vel cum ipfa de facto contraxit; fi nec ante, nec poft (legitima ejus fuperftite) cognovit eandem &c.* Hinc fi Titius propria vivente uxore adulterium commifit cum Berta; uxore mortua, ducit Annam, qua vivente promittit Bertæ illam ducere in uxorem; vel cum ea actuale contrahit matrimonium, feu potius contrahere attentat; vel fine mutua confpiratione, feu infcia Berta, Annam fecundam uxorem occidat ad matrimonium cum Berta contrahendum; fecunda mortua uxore, fi ducat Bertam, validum eft matrimonium; fic ferè omnes; cum hæc omnia evenerint in diverfis matrimoniis, fecus autem eodem conftante matrimonio.

Sed quid fi Titius vivente uxore promiferit Bertæ illam ducere, vel actuale cum ea matrimonium contraxerit, fed abfque adulterio; deindè factam promiffionem, pœnitentia ducti retractaverint; ac tandem Bertam ex fragilitate cognoverit, adhuc propria vivente uxore? Refpondeo, quod uxore mortua, Bertam in uxorem ducere poffit; communis eft Theologorum fententia cum Catalano *quæft.* 15. *de matrimonio cap.* 9. *num* 12.; quia cum promiffio fuerit retractata ante commiffum adulterium, nunquam moraliter fuit cum adulterio conjuncta; adeoque cum non habeatur adulterium cum promiffione futuri matrimonii, vel cum matrimonio de præfenti, nullum cum Berta Titius habet dirimens impedimentum. At fecus dicendum eft, fi retractatio facta fuiffet poft promiffionem, & adulterium fecutum; fic innumeris citatis Bonacina *quæft.* 3. *de matrimonio puncto* 6. *num.* 13., & Catalanus *ibidem*; ratio eft, quia ex adulterio cum promiffione aliquando moraliter conjuncto, certiffimè jam refultat dirimens impedimentum; dirimens verò impedimentum, æquè certum eft, non per retractationem, fed per folam tolli difpenfationem. Hinc & corrigenda eft auctoris refolutio, quæ habetur fequenti *num.*4050.: fiquidem non ceffat dirimens impedimentum, quamvis promiffio ceffet, quæ aliquando cum adulterio moraliter conjuncta fuit; ficuti impedimentum non ceffat publicæ honeftatis, quamvis per mortem alterius partis matrimonium, vel fponfalia ceffent.

APPENDIX XXX.

INTER NOVAS *Post num.* 4054.

Quando matrimonium in infidelitate contractum solvatur per alterius conjugis conversionem.

NOn prius hoc dissolvitur matrimonium, quàm fidelis conjux pervenerit de facto ad secundas nuptias; & primum matrimonium non solvi, nisi contrahendo secundum, quatenus hoc solum solutio sit prioris matrimonii: communissima est Theologorum sententia cum Clericato *decis.* 11. *a num.* 19., Simonnet *disp.*4. *art.*7.*resp.*3., Henno *disp.*4.*quæst.*4. *resol.*5., Sporero *cap.*1. *num.* 393., Marin *disp.*6. *a num.*154., Giribaldo *cap.*4.*num.*17., Salmanticensibus *cap.* 4. *num.*50., & de Justis *de dispensationibus matrimonii lib.*2. *cap.*15. *num.*40.: quam & expressè docet Angelicus Doctor in 4.*dist.*39. *quæst.unica art.*5.*ad* 2. ibi, *si blasphema illa* (nempe conjux infidelis) *converteretur antequam illud matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus; sed solvitur per matrimonium sequens*: & ad primum, *matrimonium quod post in Fide Christi contrahitur, solvit matrimonium, quod prius in infidelitate contractum erat*, siquidem quocumque tempore sponsa convertatur infidelis, vir conversus illam recipere debet, nisi jam esset secundo matrimonio ligatus; ut ab Innocentio III. decisum est in *cap.*8. *de divortiis*, in illis verbis, *quod si conversum ad fidem & illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas, legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur*. Hinc secundo jam contracto matrimonio à fideli sponso, secus ante, poterit sponsa infidelis non conversa validè ad secundas transire nuptias: cum hoc privilegium sit solùm fideli sponso concessum: etiamsi sponsa infidelis ad secundum transeat matrimonium, non dissolvitur primum; sic passim Theologi cum Henno, & Giribaldo: nec dicas non posse contrahi secundum matrimonium, nisi primum sit ante solutum: Contra, addendum est, vel nisi primum ipso sit secundo matrimonio, solutum; sic professio religiosa contractum jam solvit matrimonium ratum. An etiam professione religiosa à fideli sponso emissa solvatur matrimonium, dubium est; Salmanticenses *nu.*52. pluribus citatis affirmant; negant alii cum Simonnet *art.*7. *quæres* 2., & Catalano *quæst.* 12. *cap.* 4. *num.*4.; & quidem melius; cum in hoc nulla sit dispositio juris; & cum matrimonio consummato professio religiosa, secus alterum matrimonium compati possint.

An sine Creatoris injuria cum fideli sponso cohabitare velit, est infidelis sponsus admonendus; quod si ob locorum distantiam hæc monitio fieri non possit, fidelis conjux ad secundas nuptias transire non potest sine Romani Pontificis dispensatione; sic Clericatus *a num.* 37., Pontius *lib.* 7. *de matrimonio cap.* 48. *num.* 22.; Nicolius *lucubrationum civilium lib.*1. *tit.*10. *num.*43., aliique cum Jacobo Pignatello *tom.*8. *consult.*93.; idque satis insinuant

finuant litteræ Summorum Pontificum S. Pii V., Gregorii XIII., & Clementis VIII. apud eosdem; fit enim in illis clara mentio dispensationis; *concedimus facultatem dispensandi &c.* ait Gregorius XIII.. At validum esset matrimonium, quamvis illicitum, sine tali monitione, vel Pontificia dispensatione contractum; communissima est Theologorum sententia cum Henno *quæst.* 4. *p.tes* 2., & Catalano *cap.* 3. *num.*9.; cum nullum sit documentum, quo hujusmodi matrimonia irrita probentur.

APPENDIX XXXI.

INTER NOVAS *Post num.* 4070.

De voti, ac sacri Ordinis impedimento.

COntracto matrimonio, & consummatò, ut alter conjux religionem ingrediatur, saltem necesse esse votum castitatis ex parte unius; communis est omnium sensus, contra Angelum; *auctoritate Apostolica prohibemus* (ait Alexander III. in *cap.* 4. *de convers. conjug.*) *ne in Episcopatu tuo virum, vel uxorem, nisi uterque ad Religionem migraverit, transire permittas: verum si ita uxor senex est, & sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulare poteris, ut ea in sæculo remanente, & castitatem promittente, ad religionem transeat vir ejusdem*: Idem habet Innocentius III. in *cap.*13. *eodem*. Votum debet esse castitatis perpetuæ, & non sufficit, si solùm fiat ad tempus; sic communis cum Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 32. *num.* 5.; & clarum est ex *cap.* 1. *eod. tit.*, ubi ait Alexander III., *nisi uxor ad religionem transierit, aut perpetuò castitatem servare promiserit*; & Innocentius III. in *cit. cap.*13., *nisi reliquus perpetuam castitatem repromittat*. Hinc & satis est, quod votum perpetuæ castitatis emittat, nec opus est ingredi religionem; Innocentii, & Alexandri III. clara sunt verba intelligendum hoc est, si conjux, qui licentiam alteri dedit religionem ingrediendi, ita senex sit, ut de illius incontinentia nulla sit suspicio; sic Theologi cum Sanchez *à num.*9.; Catalanus *quæst.* 14. *cap.* 9. *num.* 7., & passim alii; quod satis constat ex Innocentio III. in *cit. cap.*13. in illis verbis, *sed & vitam debet mutare, nisi fortè sit ejus ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere*; tum ex Alexandro III. in *cit. cap.*4., & *cap.*8. *eod.*

At dubium insurgit, an votum castitatis conjugis in sæculo manentis fiat solemne per alteriùs professionem; ideoque subsequens matrimonium reddat invalidum; affirmant Sanctus Bonaventura, Gabriel, Paludanus, Henricus, aliique apud Sanchez *num.*6., & probabile putat La Croix *num.* 581.: sed communissimè negant Theologi cum Sanchez *num.* 8., Marin *disp.*7. *num.*187., Guttierez, Palao, Soto, & Poncio; cum simus in odiosis; & tale dirimens impedimentum nullo sit jure statutum. Majus est dubium de voto castitatis emisso ab uxore, per cujus licentiam maritus ad sacros

cros Ordines ascendit, an habeat subsequens dirimere matrimonium: affirmant pluribus citatis Sanchez *disp.*40., Catalanus *num.*17., La Croix *num.* 580.; cum sacri Canones hoc statuant dirimens impedimentum; dicitur enim *dist.*28. *Can.* 10. ex Div. Gregorio Magno, *si in conjugio Diaconi mulierem, de qua agitur, fuisse constiterit &c., ii qui malè sociati sunt, disjungantur*; & *Can.* 11. ex Concilio Aurelianensi, *si se cuiquam mulier duplici conjugio, Presbyteri, vel Diaconi relicta, conjunxerit, separentur*; sicque alibi. Sed probabilius negant alii cum Soto *lib.* 7. *de justitia quæst.*5. *artic.*3., & Basilio Poncio *lib.*7. *de matrim. cap.* 21., *&* 25., & plures antiqui, ut *Glossa* testatur in *cit. Can.*11. *in fin. dist.*28.; cum hujusmodi votum sit votum simplex, cujus certè non est subsequens dirimere matrimonium; clarè decisum est à Bonifacio VIII. in *cap. unico*, *de voto in* 6., ubi declaratur *illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam, aut tacitam factam alicui ex religionibus per Sedem Apostolicam approbatis*: certum est autem nihil istorum esse perpetuæ castitatis votum, quod conjux in sæculo manens emisit. Quæ verò in oppositum adducuntur jura, vel de sola loquuntur separatione quoad thorum, secus quoad vinculum; vel si de vinculo loquantur sunt novo jure abrogata.

Vota simplicia in Societate Jesu emissa, cum verum constituant statum religiosum, dirimunt subsequens matrimonium; idque de jure novo ex constitutionibus Gregorii XIII., quarum una incipit *Ascendente Domino*, altera verò *Quanto fructuosius*. Non tamen matrimonium ratum jam contractum, si deinde hæc emittantur vota, dirimere valent; ut contra Poncium communissimè tenent Theologi, Valencia, Enriquez, Bonacina, Suarez, Hurtado, Perez, Gobat cum Marin *disp.* 6. *à num.* 96., Huth *tit. de voto qu.*2., aliisque: cum in citatis Bullis solùm de matrimonio contrahendo sermo fiat.

APPENDIX XXXII.

INTER NOVAS *Post num.* 4119.

De publicæ honestatis impedimento.

Ex sponsalibus validis, & ex matrimonio rato nascitur impedimentum dirimens publicæ honestatis, ut constat ex *cap.*4., *&* 8. *de sponsalibus*; & ex *cap. unico*, *eodem in* 6., Reiffenstuel *tit. de sponsa duorum*, Wiestner, Krimer, & omnes. Dirimit hoc impedimentum inter sponsum, & consanguineos sponsæ; inter istam, & consanguineos sponsi; sic la Croix *num.*680., & omnes; constat ex iisdem decisionibus. Definitur hoc impedimentum, quod sit *propinquitas personarum orta ex sponsalibus, vel ma-*

trimo-

trimonio rato, vi cujus neuter sponsorum validè contrahit cum consanguinei si alterius: appellatur verò *justitia* publicæ honestatis, quia justum videtur, & publicæ honestati congruum, ut non copulentur inter se matrimonio, quos hoc afficit impedimentum; de impedimento publicæ honestatis, orto ex sponsalibus de futuro, hæc statuit Tridentinum *sess.24. de reformatione matrimonii cap.3. justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant*: Hinc ex sponsalibus validis oritur hoc impedimentum, & primum gradum non excedit; ex sponsalibus verò invalidis nullum oritur tale impedimentum; sic omnes: idque intelligendum est de sponsalibus etiam occultis, & ex occulta causa invalidis; sic Krimer *num.* 204., Kugler *num.* 82., Jacobus Pignatelius *tom.4. consult.15.num.3.*, Rebellus, Palaus, la Croix, aliique, contra Sanchez, Pirhing, & alios, cum Tridentinum loquatur universalissimè, *quacunque ratione valida non erunt*.

Impedimentum publicæ honestatis ortum ex matrimonio rato dirimit usque ad quartum gradum inclusivè; sic omnes cum Reiffenstuel *num.* 14., Marin *disp.16.num.31.*, constat ex Bulla 62. Pii V. incipiente *ad Romanum spectat*, ubi declaratur Tridentinum tantùm loqui de sponsalibus de futuro, non verò de matrimonio rato, quod adhuc dirimit, secundùm jus antiquum, per hæc verba: *Declaramus, ac definimus, decretum Concilii hujusmodi omninò intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sic, ut præfertur contracto; sed in eo durare, adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de jure veteri antè prædictum decretum Concilii introductum erat*: certum est autem, quod de jure antiquo dirimebat usq;ad quartum gradum inclusivè; ut omnes fatentur, ex *cap.8. de sponsalibus*, ubi universaliter dicitur: *sponsam alterius nullus consanguineorum aliquo modo sibi potest matrimonio copulare*: intellige de consanguineis usque ad quartum gradum, instar affinitatis; argumento *cap.8. de consanguinitate, & affinitate*: Item oritur hoc impedimentum usque ad quartum gradum inclusivè ex matrimonio rato, etiam invalido, dummodò non fuerit invalidum ex defectu consensus: Reiffenstuel *nu.* 14., Sanchez *disp.70. num.5.* dicens, id esse certissimum, Bonacina *qu.3. puncto* 11. adducens declarationem Sacræ Congregationis, Gobat, Hurtado, Dicastillo, aliique numeri; contra Covarruvias, aliosque: Ratio est, quia sponsalia, & matrimonium ratum, dicto modo invalida, tale inducebant impedimentum de jure antiquo; ut constat ex *cap. 4. de sponsalibus*, & *cap. unico, eodem in 6.*; atqui matrimonium ratum hodie dirimit, secundum jus antiquum, nec aliquid circa ipsum est innovatum, sed solum circa sponsalia de futuro, ut constat ex citata Bulla 62. Pii V.: verum itaque assertum.

Sequitur ex dictis primò, ex matrimonio clandestino oriri impedimentum publicæ honestatis usque ad quartum gradum inclusivè; ut contra Sanchez, Dicastillo, aliosque communius docent cum Gobat, Bonacina, Hurtado, Diana, Palao, Rebellio, & Farinacio in *cap. 3. sess. 24. de matrimonio*; sicque declaravit Sacra Congregatio apud ipsum: Ratio est, quia

ma-

matrimonium ratum etiam invalidum tale inducit impedimentum: Secundò, qui contraxit ſponſalia cum Titia, & deinde matrimonium ratum cum Berta matre, vel ſorore Titiæ; non poteſt contrahere cum Berta; & matrimonium fuit nullum ob impedimentum publicæ honeſtatis; tenetur tamen ducere Titiam, ut conſtat ex *cap. unico de ſponſalibus in* 6.; cum matrimonium ratum nullum, nullam habeat vim impediendi, reſpectu ſponſalium prius initorum; eſt communis cum Averſa, Gobat, & Clericato *dec.* 30.: Tertiò, qui contraxit ſponſalia cum Titia, & deinde copulam habuit cum Berta ejus ſorore; neutram ducere poteſt, ut certum eſt; non Titiam, propter impedimentum affinitatis ortum ex copula cum ejus ſorore; non Bertam, propter impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalibus cum Titia; ſic Navarrus, Sanchez, Bonacina, Diana.

Quartò, qui contraxit ſponſalia ſub conditione de futuro cum Titia, & deinde alia contraxit ſponſalia abſoluta cum Berta ejus ſorore, ante impletam conditionem priorum ſponſalium; poſſe ducere Titiam; quia poſteriora ſponſalia cum ſint nulla, nullum inducunt impedimentum publicæ honeſtatis; ſic Marin *diſp.*16. *num.*24., Sanchez, Reginaldus, Guttierez, Coninch, Hurtado, Dicaſtillo, Lugo, Bonacina, Clericatus, aliique: Quintò, ſponſalia ex mutuo conſenſu ſoluta, etiam inducere publicæ honeſtatis impedimentum; eſt hodie communis, & certa cum Clericato *dec.* 30. *n.*9., *&* 10., Reiff. *n.*16., Wieſtner *in Ariadne par.*5. *tract.*2. §.6. *a n.*26., La Croix *n.*683., & aliis contra Krimer *num.*209., Engel *de ſponſalibus* §.6. *n.* 3., Rebellum, Barboſam, Guttierez, Palaum, alioſque: cum id expreſsè ſit à S.C. deciſum; atque ab Alex. VII. firmatum; tûm quia ſponſalia ſemel valida, hoc inducunt perpetuum impedimentum, ut patet, ſi ſolvantur per mortem, aut fornicationem; & etiam in ſponſalibus ab impubere contractis, & ab ipſo impubere reſciſſis, ut deciſum eſt in *c.*5. *de deſponſatione impuberum*; adeoque idem dicendum de ſponſalibus validis, mutuo conſenſu deinde ſolutis. Nec dicas, ſponſalia mutuo conſenſu ſoluta, ſunt invalida ex declaratione Sacræ Congregationis apud Engel, Rebellum, Farinacium; & ex ſponſalibus invalidis ex Tridentino non oritur tale impedimentum; Contra, idem fieri poſſet argumentum de ſponſalibus per mortem, vel fornicationem ſolutis; dicuntur ſponſalia illa eſſe invalida; ſecus autem invalida fuiſſe; invalida quidem ſunt, quoad nova ſponſalia contrahenda; ſecus verò quoad impedimenti jam inducti ablationem; cum nonniſi per diſpenſationem impedimenta ſemel contracta tollantur.

APPENDIX XXXIII.

INTER NOVAS *Post num.* 4124.

De affinitatis impedimento.

Quo jure inductum sit hoc affinitatis impedimentum, disputant Auctores; ipsum dirimere ex jure naturali saltem in primo gradu affinitatis, ut si aliqua duceret fratrem viri sui demortui, vel duceret aliquis sororem demortuæ uxoris suæ; plures affirmarunt: sic Richardus, Paludanus, Durandus; aliique plures, qui scripserunt pro Henrico VIII. Anglorum Rege (hic enim Romano Pontifice Julio II. dispensante, Catharinam Aragoniam duxerat uxorem defuncti fratris sui) contendentes dispensationem illam, utpote contra jus naturale, fuisse nullam; & quidem primò, quia uxor fratris dicitur soror, cum qua matrimonium nullum est de jure naturæ: Secundò, quia in sacris Scripturis vocatur turpitudo, sic enim prohibetur Levitici *cap.*18., *turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis.* Tertiò, S. Joannes Baptista Herodem arguit, eo quod duxerat Herodiadem fratris sui Philippi uxorem, *Matthæi* 14., & *Marci* 6.; adeoque ad hoc tenebatur Herodes lege naturali, cum ipse Gentilis esset: Quartò ex *cap.*8. *de divortiis*, ubi Innocentius III. infidelibus ad fidem conversis, ac conjunctis in gradibus prohibitis, permittit solùm tolerandos esse in secundo gradu, & ulterioribus, secus autem in primo.

At certissimè falsum est hujusmodi assertum, ut innumeris adductis Auctoribus ostendunt noster Diana *tomo* 3. *tract.* 1. *resol.* 80., *& seqq.*, Sanchez *lib.*7. *disp.*66. *num.*11., Marin *disp.*14. *a num.*70., Catalanus *qu.* 15. *cap.*16. *a num.*9., Pyrrus Corradus, Vincentius de Justis, Jacobus Pignatellus, Clericatus *decis.*31. *a num.*36., Salmanticenses, Giribaldus, Gobat, aliique passim. Hinc scribentes pro Henrico VIII., ac pro nullitate dispensationis obtentæ, damnati sunt à Summo Pontifice Clemente VII., qui in tanto Scriptorum litigio, consultis totius Europæ primariis Universitatibus, ac Theologis, rem judicialiter definivit, dispensationem à Julio II. datam, iterum confirmando; uti videre est apud Mastrium *disp.* 7. *num.* 482., Clericatum *num.* 38., aliosque. Dispensationis hujus validitatem alii Summi Pontifices suo facto comprobaverant; siquidem ante Julium II., sic dispensavit Martinus V., ut etiam Alexander VI., apud Clericatum *num.*50., Dianam *resol.*82., de Justis *lib.*2.*cap.*7. *num.*57.; & post Julium sic dispensavit Paulus V.; cum his quoque dispensarunt tùm Urbanus VIII., tùm Innocentius X., apud Clericatum *num.* 50. ex Pignatello, Gonetto, & Battaglini. Clarum ergo hoc affinitatis impedimentum in primo gradu lineæ transversalis, non esse de jure naturali, sed Ecclesiastico solùm. Hoc ipsum longè ante prædefinierat Innocentius III. in generali illa dispensatione, quàm sæculo 12. ineunte concessit Livoniæ gentibus recenter à Paganis-

mo ad

mo ad fidem conversis, quibus universalissimè concedebat ut illas retinere uxores, quæ ante baptismum demortuis illorum fratribus nupserant: celeberrima hæc dispensatio in corpore juris habetur inserta in *cap. fin. de divortiis*.

Nulla sunt Adversariorum objecta; ad primum, uxor fratris soror dici solet, sed lato modo, cum longè diversam habeant conjunctionem: ad secundum, ducere fratris uxorem dicitur turpitudo, non quia contra jus naturale; sed quia prohibitum erat Hebræis: oppositum non esse juri naturali, Scriptura docet, qua hoc ipsum præcipiebatur Hebræis ad suscitandum semen demortui fratris sui; ut habetur *Deuteronomii* 25., *Matthæi* 22., *Marci* 12., *&* *Lucæ* 20.; poterant etiam ducere sororem demortuæ uxoris suæ, ut habetur *Levitici* 18. Ad tertium, meritò reprehensus fuit Herodes, cum hoc prohibitum esset Hebræis, & solùm concessum, si frater sine filiis decessisset; Herodes autem erat saltem religione Judæus; ut probant Huetius *demonstrat. Evangelic. prop.* 9. *num.* 4., Scaliger, Casaubonus, Torniellus, Henricus Valesius, Tournely *qu.* 3. *de Incarnatione artic.* 1., aliique: Philippus autem Herodis frater filiam jam genuerat nomine Salome. Cæterum Herodes horribile commisit adulterium; adeoque & contra jus naturale gravissimè deliquit; cum duxerit Herodiadem Philippi fratris sui adhuc viventis uxorem; teste Josepho *lib.* 18. *antiquit. cap.* 7., *&* 9; & probant Calmet *in Matthæum cap.* 14. *ver.* 3., Tirinus *in cap.* 6. *Marci vers.* 17., Cornelius à Lapide *in cit. cap.* 6. *vers.* 19., & alii passim cum Divo Thoma *in Matthæum*, & Beda *in Marcum*: ideoque omni reprehensione dignus erat Herodes; quamvis Gentilis esset, ac alienigena, ex S. Justino, Origene, Josepho, Julio Africano, Eusebio, Ambrosio, Epiphanio, Hieronymo, Augustino, Photio, aliisque apud Tournely *cit. qu.* 3. *artic.* 1. Ad quartum, *in cap.* 8. *de divortiis* sermo est de consanguineis, secus verò de affinibus, de quibus in sequente *cap. fin.*, sermonem habet Innocentius III., ut dictum est. Igitur solo jure Ecclesiastico, non autem naturali, affinitas in primo gradu laterali impedimentum est dirimens; adeoque potest in eo Papa dispensare; uti & pluries dispensavit.

Immò nec affinitas in primo gradu lineæ rectæ impedimentum est dirimens de jure naturali, sed jure solùm Ecclesiastico; constat enim in hoc impedimento Romanum Pontificem dispensare posse; sic innumeris Theologis adductis, Catalanus *qu.* 15. *cap.* 16. *a num.* 10., Marin *disp.* 14. *a num.* 65., Clericatus *decis.* 31. *a num.* 43., Giribaldus *cap.* 13. *a num.* 17., Salmanticenses *cap.* 12. *a num.* 100., Sanchez, Diana, Gonet, & passim Theologi cum Divo Thoma 2. 2. *qu.* 154. *artic.* 9. *ad* 3.; est contra Navarrum, Vasquez, Valentiam, Coninch, Sylvium, Bellarminum, aliosque plures apud Sanchez, & nostrum Diana: sic esset affinitas inter privignum, & novercam; privignam, & vitricum; inter socerum, & nurum; inter socrum, & generum; seu inter filium, & uxorem patris defuncti; inter filiam, & virum matris defunctæ; inter patrem, & filii defuncti uxorem; inter matrem, ac defunctæ filiæ virum. Addendum quoque certum esse apud omnes nullam affinitatem etiam in primo gradu lineæ rectæ esse impedimentum dirimens matrimonium de jure naturali, si ex illicita copula oriatur, ex: gr:

ex fornicatione, vel adulterio; sed solum de jure Ecclesiastico; uti videre est apud Clericatum *num.* 31., Catalanum *num.* 8., de Justis *lib.*2. *cap.*7. *num.*49., aliosque citatos. His positis nostrum Assertum facilis est probationis.

Siquidem plura sunt Concilia sæculo 6. habita, quibus prohibetur privignam ducere, vel novercam, vel fratris, aut avunculi relictam; sed si ante prohibitionem illam contractum fuisset, decernitur sustinendum esse, & non dissolvendum; sic expresse decisum habetur in Concilio Agathensi, quod habitum est anno 506., Symmacho Romano Pontifice, *Can.* 61.; & refertur in *Can. de incestis* 35. *qu.*2.; decisum est quoque in Concilio Epaunensi, quod habitum est anno 517., Hormisda Romano Pontifice, *Can.* 30.: decisum etiam est in Concilio Aurelianensi 3., anno 540., Vigilio Romano Pontifice, & Childeberto Rege, *Can.* 10., in quo dicitur, *de incestis conjunctionibus ita quæ sunt statuta serventur, ut qui aut modo ad baptismum veniunt, aut quibus Patrum statuta Sacerdotali prædicatione antea in notitiam non venerunt, ita pro novitate conversionis, ac fidei suæ credidimus consulendum, ut contracta hucusque hujusmodi conjugia non solvantur, sed in futurum quod de incestis conjunctionibus in anterioribus Canonibus interdictum est observetur*; *idest ne quis sibi sub conjugii nomine sociare præsumat relictam patris, filiam uxoris, relictam fratris, sororem uxoris, consobrinam, aut sobrinam, relictam avunculi, vel patrui*: cum ergo sustinenda esse hujusmodi matrimonia Concilia decernant, certum est irrita non esse de jure naturali. At cum hujusmodi dispensationes sint à pluribus sæculis inauditæ, & nonnisi ex gravissima, ac urgentissima causa dandæ, nihil mirum, si Urbanus VIII. anno 1632. Carolo Gonzaga Mantuæ Duci instantissimè petenti præmortui filii sui ducere uxorem, hanc denegaverit dispensationem; ut ad hunc annum scribit Battaglini in Annalibus Sacerdotii, & Imperii.

Nec dicas primo S. Augustinus relatus in *cap. si vir* 35. *quæst.*3. sic scribit *lib.*22. contra Faustum *cap.*61. *si vir, & uxor non duo, sed una caro sunt, non aliter est nurus deputanda, quam filia*; pari modo loquitur Aristoteles 8. *ethicor cap.*12.; hinc filius eamdem debet reverentiam novercæ, aut vitrico, quam parentibus: secundò, quia eodem modo copula cum affine, ac cum consanguinea in sacris Canonibus prohibetur; & *Levit.* 18. prius prohibetur illa cum affine in primo gradu lineæ rectæ, & deinde cum consanguinea; Jacob maledixit Ruben *Genesis* 49. dicens *non crescas, quia ascendisti cubile patris tui*; & inter Judæorum scelera unum est, *Amos cap.*2. *filius, ac pater ejus ierunt ad puellam*; & gentiles ipsos talia abominasse conjugia scribit Apostolus 1. *ad Corinth. cap.*5. Contra ad primum vera illa sunt ex dictis in sensu lato, & per aliqualem similitudinem, secus autem per adæquatam, & totalem: Ad secundum, sic eodemque modo prohibentur de jure positivo, & Ecclesiastico, secus autem de jure naturali: cum Apostolus ait, *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat*; de illis conjugiis loquitur, quæ vivente adhuc patre ab incestuosis quibusdam Corinthiis fiebant; de quibus etiam sermo est *Amos cap.*2., & *Genesis* 49.: Nihil ergo contra nostrum asser-

assertum; sicque potest Romanus Pontifex etiam in recta linea in primo affinitatis gradu dispensare.

Cum affinitatis nomina, ut privignus, noverca, Vitricus, Socerus, Nurus, Socrus, Gener, &c. non sint æquè omnibus nota, explicata videantur apud La Croix *num.*699., Franciscum Verde *cit. lib.*2. *num.*3723.; Hothomanum *de ritu nuptiarum cap.*10., aliosque.

APPENDIX XXXIV.

INTER NOVAS *Post num.* 4151.

De Concilii Tridentini facta promulgatione.

NOtandum, promulgatum non fuisse, Tridentinum in Svevia, Saxonia, Prussia, Anglia, Scotia, Hibernia, Dania, Pomerania, Turcia; & in provinciis septentionalibus, quæ à fide catholica jam defecerant ante annum 1564., quo Concilium Tridentinum confirmatum fuit, ac promulgatum. At in Lusitania, Hispania, Sicilia, omnibusque Regnis Philippo II. Hispaniarum Regi subjectis, etiam in Hollandia, ac provinciis unitis promulgatum fuit; in Italia quoque, Hungaria, Silesia, & alibi; uti videre est apud Pallavicinum *in historia Concilii Tridentini lib.*24. *à cap.*9.; Neusser in *Polyanthea disp.* 182.; Reiff. *tit.*1. *de clandest. desponf. à num.* 137.; La Croix *de matrimonio num.* 767.; Uvex, Kugler, Pichler, aliosque.

Fuisse in Gallia promulgatum mira confidentia negant aliqui cum Gerbasio: sed falsitatem evertit decretum Cleri Gallicani anno 1615., editumque anno 1625., quod habetur *tom.* I. *actorum Cleri*, & apud Puteanum *cap.*14. *num.*3., ibi, *Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, & alii Ecclesiastici viri repræsentantes Clerum universum Franciæ, congregati, annuente Rege, Parisiis in Conventu Augustianorum, post maturam de publicatione Concilii Tridentini deliberationem, unanimi consensu agnoverunt, & declararunt, agnoscunt, & declarant, se obligari pro suo officio, & conscientia ad recipiendum, sicut re ipsa receperunt, & recipiunt ipsum Concilium, & spondent se illud observaturos, quantum per functionem suam, & auctoritatem spiritualem, & pastoralem possunt.* Quæ deliberatio singulorum subscriptionibus, ac juramento ad Sancta Evangelia confirmata fuit: aderant autem tres Cardinales, quinquaginta Episcopi, ac triginta secundi ordinis viri Ecclesiastici. Recepit igitur Clerus Gallicanus Concilium Tridentinum, & professus est, se teneri non solùm ad observandum Concilium, postquam illud acceptasset (ut aliqui volunt), sed etiam ad illud acceptandum; idque non præcipiti deliberatione ab Augustissimo cœtu factum est. Fatentur hoc ipsum insigniores Galli cum Spondano ad annum 1615. Hermant *tomo* 2. *Historiæ conciliorum*, *cap.* 341.; Rabaudy *tom.* 2. *exercitatione* 4. *pag.* 636.; Charlas *de libertatibus lib.* 4. *cap.*6. *num.* 11.; Caballutius *notitia concilior. c.*97. aliique

Sit

Sit in aliqua Civitate, in qua publicatum est Concilium, Parochia, in qua non fuerit publicatum; validum est matrimonium in tali Parochia nullo præsente Parocho contractum; sic omnes cum Reiffenstuel *tit. de clandestina desponsat. num.* 118., ac decisum est à S. Congregatione apud ipsum, & satis apertè docet Concilium Tridentinum *sess. 24. de ref. matrimonii cap. 1.* in illis verbis, *decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat à die publicationis in eadem Parochia*. Nec refert, in cæteris legibus sufficere publicationem in urbe factam; eo quod de tali decreto specialis est dispositio juris.

Sed quid si in aliqua Parochia, in qua publicatum est Tridentinum, Catholici sint, & Hæretici (ut in Germania contingere solet); isti suum habentes Parochum, ut etiam illi; valetnè matrimonium coram hæretico suo Parocho ab hæreticis contractum? Validum esse affirmant Layman, Dicastillo, Tannerus, Marchantius, Sporerus, aliisque relatis Stalenus *in dissertatione de hac re*. At longè probabilius negant Reiffenstuel supra, *n.* 131., & 142., Henno *disp. ult. de matrimonio. quæst. ult. art. 7. Petes* 8.; La Croix *n.* 772.; Krimer *n.* 1897.; Keslingerus in supplemento Reiff. *distinct.* 14. *de Sacramentis ad num.* 151.; Pignatellus, Bossius, Zoesius, Lessius, Gobat, Veriuys, aliique innumeri apud ipsos; sicque fuit à S. Congregatione decisum apud Reiffenstuel, La Croix, aliosque: Cum revera Parochi non sint illorum Parochi; cujus tamen præsentiam absolutè Concilium requirit: nec verisimile sit hæreticos contra Ecclesiasticas præscribere leges.

APPENDIX XXXV.

INTER NOVAS *Post num.* 4156.

De Clandestinitatis impedimento.

PLura hic non omittenda notamus, & quidem primò, Parochus, ut validè assistat, proprius esse debet contrahentium Parochus; clarum est in illis Tridentini verbis *sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonii, qui aliter quam præsente Parocho*; & prius dicitur *à proprio contrahentium Parocho*: Secundò, uti respectu vagorum ille proprius est Parochus, in cujus Parochia actu invenitur vagus; sic peregrinorum proprius est Parochus ille, in cujus Parochia domicilium Peregrinus habet. Vagus est, qui nullibi domicilium habet; Peregrinus verò qui quamquam itinerans, illud alicubi servat; sic Theologi omnes: unde & qui relicto priori domicilio, ad aliud acquirendum transit, vagus est ex communi cum La Croix *num. 746. de matrimonio*, Lessio, Sanchez; siquidem nullum haberet domicilium; non primum, quia etiam animo illud amisit; non secundum, cum non solo animo acquiratur. Tertiò, domicilium quis habet in aliquo loco, quando ibi est cum animo perpetuò in eo loco manendi; si verò ibi esset solo animo eo loco manendi ad longum tempus, ut per majorem partem unius anni, quales sunt Scholares, Famuli, Mercenarii, Advocati, Procuratores &c.; quasi domi-

domicilium eo in loco habere censetur. Utrumque domicilium est etiam prima die habitationis acquisitum, ut à Sacra Congregatione decisum est apud Reiffenstuel *tit. de clandestina desponsatione n.* 60., Bosco, Farinacium; immo & acquiritur primo habitationis instanti, ex communi cum Roncaglia *qu.* 4. *de matrimonio cap.* 7. *quæres* 3., aliisque. Quartò, Parochus originis, seu loci, quo quis natus est, proprius non censetur in matrimonio Parochus; sic Illustrissimus Verde *institutionum Canonicarum lib.*2. *a n.* 3995., & communis; ac decisio habetur Sacræ Congregationis apud Reiffenstuel *n.*58. Sed in dubio Domicilium originis, etiam pro Domicilio habitationis habetur; ut si quis plurium annorum absentia non obstante, majorem partem suorum bonorum ibi retineat; certum est, ac decisum à Rota Romana, apud Pignatellum *tom.*7., *consult.*63.*n.*3., aliosque. Quintò, liberi necdum emancipati domicilium suorum parentum, & uxor vidua illud mariti defuncti habere censentur; sic omnes cum Keslingero ad *num.* 139. supplementi Reiffenstuel *distinct.*14. *de matrimonio*, ac desumitur ex *l.* 22. *ff. ad Municipal.*, *& l.fin. C.de Incolis*. Sextò, quamvis Tridentinum utatur hic nomine Parochi, validè matrimonio etiam assistunt sivè per se, sivè per alios tum Episcopi, tum illorum Vicarii Generales, ut certum est: non tamen Vicarius Foraneus, cum non veniat nomine ordinarii; nec Archiepiscopus relatè ad subditos sui Episcopi suffraganei; nisi hoc fiat in actuali visitatione; vel in casu appellationis, quando Episcopus matrimonium impediat; sic omnes cum Giribal. *dict. cap.* 7. *de matrimonio num.*68., *&* 73.: Item Legatus Sedis Apostolicæ in Provincia sibi assignata; Cardinalis in Ecclesia sui tituli; Abbates, aliique Prælati Episcopo inferiores, dummodo jurisdictionem habeant quasi Episcopalem, ac proprium territorium nulli Episcopo subjectum; sic Theologi omnes cum Clericato *decis.* 35. *de de matrimonio num.*7.: Item Capitulum Sede vacante, ejusque Vicarius; sic innumeris citatis, Laurenius *de Vicario quæst.* 583.

Vagi apud quemcumque Parochum matrimonium inire possunt; omnes cum La Croix *num.* 747., cum omni domicilio carentes nullum habeant proprium Parochum; sed an validè illis assistat extrà fines suæ Parochiæ disputatur; communitèr affirmant cum Sanchez, Pontio, Layman; sed probabilitèr alii negant cum Staleno *de denunciatione cap.*10. Kugler *num.*304.; quia non aliundè potius hic Parochus, quam alii huic vago assistere potest, nisi quia hic vagus est in hac Parochia, & non alibi. Sed quid dicendum, si sponsi ad finem contrahendi matrimonium reddantur vagi; ex. gr. fugit è paterna domo Petrus cum sui patris ancilla, ut faciliùs cum ea matrimonium inire possit; sufficitne assistentia Parochi loci, quo confugiunt?

Respondetur sufficere, si sponsi reverà cum animo recedant non amplius redeundi; sicque communissima Theologorum sententia docet cum Reiffenstuel *tit. de clandestina desponsatione à num.* 90. Roncaglia *qu.* 4. *cap.* 7. *quæst.*5., Sanchez, Pontio, Bosco, Guttierez; ac pluries fuit à Sacra Congregatione decisum, apud Fagnanum *in cap. significavit*, *de Parochiis*, *à num.* 37., & Cardinalem de Luca *de matrimonio discursu* 1. *à num.*9.; & quidem meritò; cum de his eadem sit ratio, ac de illis, qui animo contrahendi matrimonium, domicilium mutant; quos validè statim contrahere posse coram Parocho

rocho novi domicilii, nulli dubium est, ac pluries fuit à Sacra Congregatione decisum, apud Clericatum *decis.35.num.18.*, aliosque: siquidem in utroque casu vel nulla fraus habetur, vel nulla est, cui resistant jura. Hinc, & qui relicto priori domicilio ad novum acquirendum transit, cum ex dictis tempore illo intermedio reverà sit vagus, validè contrahit coram Parocho loci, in quo actu versatur; Giribaldus *cap. 7. num. 50.*; Salmanticenses *cap.8. num.36.*; Marin *disp.9.num.96.*, Reiffenstuel *num.86.*, ac innumeri apud ipsos.

De Puellis verò, quæ in monasterio sunt educationis causa, dicendum illas non habere domicilium, nisi paternum; adeoque (nisi speciale statutum obstet) validè contrahere non posse, nisi coram Parocho ejusdem domicilii; communissimè docent Theologi cum Clericato *decis. 35. a num.15.*, ac latè probat Pignatellus *tom.7. consult.63. à num.3.*; cum non acquirant in monasterio quasi domicilium; siquidem ad nutum suorum parentum puellæ ibi esse censentur. At secus dicendum, si ingrediatur puella monasterium cùm animo ad longum tempus in eo commorandi; tunc enim, cum quasi domicilium in illo acquirat, coram Parocho ejusdem loci validè contrahere posset; communis est cum Giribaldo *cap.7. num.57.*: & quidem eadem est ratio de omnibus, quæ in monasterio sunt, vel domi educationis causa, vel famulatus, non statim, vel ad nutum recessuræ.

Sed quid de militibus? dicendum, quod vel Capellanum habent castrensem speciali legitima facultate munitum de Sacramentis administrandis; tuncque valet coram eo initum matrimonium: vel non habent, & tunc communis est regula servanda; siquidem vel sunt in Castris, vel ab uno transeunt ad alium locum, vel in præsidiis sunt, non quidem stabiliter, sed ad nutum sui Ducis ad exercitum avocandi; tuncque de illis ex omnium sensu in matrimonio contrahendo coram Parocho, vagorum regula currit: vel in præsidiis sunt, vel ad hybernandum stabiliter saltem per majorem anni partem; &, cùm quasi domicilium ibi acquirant, coram ejusdem Parocho contrahere debent; Reiffenstuel *num. 94.*, La Croix *à num.750.*, *&* *756.*; Keslingerus *ad num.139.* & passim Theologi apud ipsos.

De Parocho dubium est, se non intelligere affectante, ex. gr. oculos claudendo, aures obturando &c. sic ut revera non sentiant. Matrimonium sic coram Parocho contractum, pluribus congestis nullum esse affirmant Giribaldus *cap.7. n.102.*, Marin. *disp 9. n.222.*, aliique. At validum esse omninò dicendum cum Roncaglia *quæst.4.cap.7.quæst.7.*, & Salmanticensibus *cap.8.n.67.*, ac tenent innumeris allatis Fagnanus *in cap. quæsitum*, *de pœnitentiis &c.*, Cardinalis de Luca *discursu 2. de matrimonio n.9.*, & in adnotationibus ad Concilium Tridentinum *discursu 26. a n.4.*, fuitque apud eosdem pluries à Sacra Congregatione decisum. Cum verò plerique Theologi cum Sanchez, de Parocho reverà intelligente, simulque non intelligere affectante, allatas explicarent declarationes; idipsum Rota Romana reprobavit in matrimonio contracto coram Reverendissimo Ursino die 4. Februarii anno 1697. apud Roncaglia; eoque teste, communis hæc est Tribunalium praxis; nec enim à Parochi voluntate, sed ab illius præsentia matrimonii validitas ex Concilio pendet; & qui nescire affectat, pro sciente habetur ex

Inno-

Innocentio III. *in cap. fin. de clandestina despons.* Immò nec de Parocho eadem est ratio, ac de testibus; cum expressè Tridentinum in verbis illis *coram Parocho, ac duobus, vel tribus testibus* inter utrosque distinguat: Secus dicendum de Parocho cœco, ac surdo, ebrio, vel amente; cum hæc non essent Parocho voluntaria, ejusque præsentia purè materialis esset, non moralis. Valet quoque initum matrimonium coram Parocho contradicente, vel fugiente, quin consensum audiat sponsorum; fuitque à Sacra Congregatione decisum apud Clericatum *decis.* 35. *n.* 5., aliosque. Quid verò, si alicui matrimonio defectus opponatur præsentiæ Parochi, vel testium? Defectum probare debet opponens, si persona sit privata, vel ex conjugibus alter; & actore non probante, reus absolvitur: secus dicendum, si Judex sit, qui ex suo inquirat officio; La Croix *n.* 764. Mascardus, Sanchez, Schildere, & passim alii; tunc enim conjuges probare debent; nec solemnitates actui extrinsecæ præsumuntur adhibitæ, nisi probentur.

Sponsalia de futuro, ut valida sint, ac licita, nulla indigent præsentia Parochi, ac testium; sic innumeris congestis Marin *disp.* 9. *sect.* 9. Giribaldus *cap.* 1. *dub.* 8., Reiffenstuel *tit. de sponsalibus n.* 22.; eoque teste, hodie communis, ac certa, & pluries à Sacra Congregatione decisum; siquidem nullo jure sponsalia clandestina irrita sunt, vel prohibita; cum Tridentinum de matrimonio, secùs de sponsalibus loquatur expressè. Nec dicas prohibito aliquo, prohibetur omne id, per quod pervenitur ad illud; & cum ad matrimonium sponsalibus perveniatur, matrimonio clandestino prohibito, etiam clandestina sponsalia prohibita censentur. Contra, sola est illatio neganda; cum ad matrimonium solemne, & coram Parocho, ac testibus contrahendum, per clandestina illa sponsalia perveniendum esset. Nec iterum dicas, inhabiles ad matrimonium contrahendum, etiam ad contrahenda sponsalia sunt inhabiles, adeoque & inhabiles ad matrimonium clandestinum, etiam ad sponsalia clandestina inhabiles esse debent; ut enim se habet matrimonium absolutum ad absoluta sponsalia; sic habere se debet matrimonium clandestinum ad clandestina sponsalia. Contra, illatio est una cum ejus probatione neganda: matrimonio prohibito, omnia prohibita sunt sponsalia; cum ad malum nulla possit via perveniri: at sponsalibus clandestinis ad nullum pervenitur illicitum; cum ad matrimonium, non clandestinum, sed publicum, atque solemne disponant.

APPENDIX XXXVI.

INTER NOVAS *Post num.* 4177.

De Raptu; ubi & alia de impedimentis.

Raptus dirimens non est impedimentum, si non ipsi puellæ abductæ, sed solis ejus parentibus violentia fiat: sic innumeris relatis Illustrissimus Verde lib. 2. *institut. Canonicarum num.* 3949., Reiffenstuel *tit. de sponsalibus num.* 374. La Croix *num.* 638., Sporerus, Salmanticenses, Giribaldus,

dus, Viva, Clericatus; de Justis, Roncaglia, Sabinus, Mastrius, Krimer, Kugler, Wex, Huth, Gobat, Layman, Aversa, Sanchez, & communissimè; contra Navarrum, Tuschum, Molinam, Guttierez, Bonacina, Zerola, de Luca, Henno, Matthæuccium, aliosque.

Ratio est, quia Tridentinum *sess.24. in cap.6. de Reformat. Matrimonii*, nonnisi contrahentium libertati consulere voluit, cum novum hoc statuit dirimens impedimentum: hinc si puella abducatur invita, etiam parentibus consentientibus, certum est nullum esse matrimonium: è contra valere certum est, quamvis quæ rapta est puella, parentibus non reddatur; dummodo in loco tuto reposita sit, nec ampliùs esset in potestate Raptoris: Immo, *& in cap.1.* ad validum filiorum familias matrimonium, parentum non requiri consensum, expressè declarat.

Neque dicas etiam Raptus, qui fit parentibus invitis, violentiam inducit contrà justitiam, & est propriè Raptus, ex Div. Thoma 2. 2. *quæst. 154. art. 7.* Contra, Raptus est violentia, injustitia; sed quæ solis puellæ parentibus facta esset, secùs autem ipsi puellæ abductæ, ac libentèr omninò consentienti: reverà est Raptus, antiquo jure attento, de quo certissimè loquitur Angelicus Doctor (cujus tempore nullum erat Raptus dirimens impedimentum); secùs autèm si referatur ad novi juris dispositionem: non enim parentum libertati, sed puellæ Tridentinum consulere voluit, cum hoc statuit impedimentum. Qui puellam consentientem abduceret, parentibus invitis, sivè causa matrimonii, sivè libidinis explendæ, esset uti Raptor gravissimè puniendus; sed contractum ab eo matrimonium, nulla ratione dici posset invalidum.

An validè contrahat matrimonium, certò putans adesse impedimentum dirimens, si reverà tale non habeatur impedimentum; dubium est; plures negant cum Sporero *num.318.*, Poncio, Soto, Coninch; cum certò putans adesse dirimens impedimentum, matrimonium validum sibi putet impossibile; & nequeat humana voluntas impossibile cognitum efficaciter velle. Affirmant e contra pluribus citatis Sanchez *lib. 2. disp. 33.*, Lugo *in responsis moral. lib.1. disp.16.*, Marin *disp.5. sect.7.*, S. Antoninus, Ledesma, Covarruv. Guttierez, Dicastillo, Bonacina: cum quibus dicendum, validum esse matrimonium, si revera contrahant cum intentione implicita, vel explicita faciendi, quod facit Ecclesia, quod Christus instituit.

Siquidem certò putans baptismum non esse Sacramentum, reverà cum baptizat, Sacramentum ponit, si facere intendat, quod Christus instituit, quod facit Ecclesia: adeoque & certò putans nullum esse ratione impedimenti quod contrahit matrimonium; si non esset tale impedimentum, reverà contrahit matrimonium, si facere intendat, quod Christus instituit, quod facit Ecclesia: *non obstante infidelitate* (ait Angelicus Doct. *3. p. quæst. 64. artic. 9. ad 1. objectum*) *potest intendere, facere id quod facit Ecclesia; licèt* (nota verba) *æstimet id nihil esse; & talis intentio sufficit ad Sacramentum.* Qui contrahit matrimonium, certò putans adesse dirimens impedimentum, cum reverà non adest, putat se nihil facere, nullumque inire matrimonium; sed reverà facit, si facere intendat, quod Christus instituit, quod facit Ecclesia: validè baptizat Atheus, certò putans nullum esse Sacramentum, nullam

esse

esse Ecclesiam, nullum esse Christum Dominum, nullum esse Deum; dummodo revera, & efficaciter implicitè saltem facere intendat, quod Christus instituit, quod facit Ecclesia; ut si cum baptizat, quod petit baptizandus, dare velit: idem ergo dicendum de contrahente matrimonium, qui certò putet, se nullum ratione impedimenti matrimonium inire: dummodo revera efficaciter saltem implicitè facere intendat, quod Christus instituit, quod facit Ecclesia; tunc enim certissimè facere intendit, quantum potest; & validè contrahere potest, cum revera nullum sit impedimentum. Quod opponitur, in allatis instantiis ab omnibus solvendum est; ac dicendum, errorem illum non practicum esse, sed speculativum; & quod non est volitum una via, potest alia via intendi.

Petes, cujus sit matrimonio dirimentia statuere impedimenta. Respondent Catholici omnes, posse ab Ecclesia talia impedimenta statui; ut contra Lutherum definitum est a Concilio Tridentino *sess.* 24. *can.* 4. ibi, *si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse statuere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis statuendis errasse: anathema sit*: quod & primitivæ Ecclesiæ comprobatur exemplis; Siricius Pontifex in epistola ad Himerium Taraconensem, illegitimarum personarum matrimonia damnat, nempe Monachorum, Monialium, Sacerdotum; ac Diaconorum, quia *& publicæ leges, & ecclesiastica jura condemnant*: S. Basilius in epistola ad Diodorum, viduum damnat, qui sororem duxerat mortuæ suæ conjugis, eo quod *Sanctiones istæ, a Sanctis Viris nobis sunt traditæ*, sic quarto sæculo Siricius, ac Basilius: ut de re antiquissima scribunt: & quidem ante Lutherum, & Calvinum nemo Catholicam hanc veritatem in dubium revocavit. Cum quo, Ecclesiam mutare non posse substantiam Sacramentorum, optimè consistit; siquidem appositis impedimentis facere potest, hoc, vel illud matrimonium validum non esse, ac legitimum; secus autem quod matrimonium validum, ac legitimum non sit sacramentum; quæ sunt longe diversa, nec minus, quam facere panem non esse triticeum, & facere panem triticeum materiam non esse sacramenti Eucharistiæ; quorum primum possunt omnes, alterum vero nullus in Ecclesia potest.

Matrimonia infidelium non subditorum, Ecclesia irritare non potest, ut decisum est *in cap.* 8. *de divortiis*, ubi Innocentius III. hanc assignat rationem, *quippe Constitutionibus Canonicis non coarctantur*; & quidem meritò, cum dicat Apostolus 1. *ad Corinth.* 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Principes temporales; etiam infideles, quoad infideles sibi subditos, secus verò quoad subditos Christianos, impedimenta dirimentia matrimonio statuere possunt: communissima est Theologorum sententia cum nostro Diana *tomo* 9. *tract.* 2. *resol.* 222., *& resol.* 340. *& seqq.*; Marin *disp.* 12. *sect.* 2., Henno *disp. ultima quæst.* 1.: Ratio primi est, quia relatè ad subditos infideles matrimonium non est sacramentum, sed contractus purè civilis; de quo ut in cæteris contractibus civilibus, Principes temporales disponere possunt: hinc ait Angelicus Doctor *in* 4. *dist.* 34. *quæst.* 1. *artic.* 1. *ad* 4., *ex qualibet dictarum legum* (nempè naturalis, divinæ, ac civilis) *potest aliqua persona effici ad matrimonium illegitima, seu inhabilis.* Ratio secundi est, quia certe hanc potestatem sibi reservavit Ecclesia; *Pro-*

hibitio legis humanæ (inquit Angelicus Doctor *in 4. dist. 42. quæst. 2. artic. 2. ad 4.*) *non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret auctoritas Ecclesiæ*; & S. Bonaventura *ead. dist. quæst. 2. Quia Ecclesia tale impedimentum sua constitutione, & approbatione fecit esse validum; alioquin non posset impedire*: nec alios, quam Ecclesiasticos Judices agnoscit in hac re Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 24. Can. 12. si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos; anathema sit*. Hinc ad Cleri Gallicani supplicationem declaratum est a Regni Galliæ Cancellario, & ab aliis ad id commissis, Henrici III., & Ludovici XIII. constitutiones, matrimonia filiorum familias sine patris consensu inita irritantes, non se extendere ad ipsum Sacramentum matrimonii, sed respicere solum quosdam illius civiles effectus, ut quod possint a parentibus exhæredari, ad donationes sibi factas restituendas obligari &c.: ut ex actis Cleri Gallicani Galliæ Scriptores ostendunt Dominus Duhallier *lib. de instit. Connubiorum*; Habertus Episcopus Vabrensis *in lib. de justitia edicti connubialis Ludovici XIII.* Tournely *quæst. 6. artic. 3.*; Boucat *dissert. 7. artic. 3. sect. 5.*

Certum est quoque, non ab hominibus (quidquid in oppositum Launojus effutiat) sed ab ipso Christo Domino Ecclesiæ hanc collatam esse potestatem matrimonia dirimendi; ut optimè Jueninus ostendit in *commentario de Sacramentis dissert. 10. quæst. 6. cap. 1.* Excepitne Christus matrimonia Petro? cum ait illi *quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis, Matth. 16.*; certè nullibi hæc habetur exceptio: hoc ipsum perpetua Ecclesiæ traditione firmatur; contra quam disputare insolentissimæ est insaniæ, ait Augustinus Epistola 118.; perpetuam hanc Ecclesiæ traditionem satis ostendunt Siricius in Epistola ad Himerium Tarraconensem; Basilius in Epistola ad Diodorum; Gregorius Magnus in Epist. ad Augustinum Archiepiscopum Cantuariensem; Nicolaus Papa in responsione ad Bulgaros. Quid ineptius, quam dicere, Ecclesiam hanc habere ab hominibus potestatem? A quibus, & quando illam habuit concessionem, assignandum esset: Fideles omnes, præsertim Imperatores, ac Reges sese his Ecclesiæ legibus subjiciunt, dispensationes, ab his impedimentis ab Ecclesia petunt, & inviti separationem passi sunt, quoties nupserant contra Ecclesiæ regulas; ut sacra, & profana docet historia: non ergo ex illorum indulgentia, & concessione hanc habet Ecclesia potestatem. Nec dicas, Leo Magnus *Epistola 82.* ad Episcopum Narbonensem, conjugia servorum prohibet, renuente Domino facta, *quia legibus Imperatorum irritantur*: contra, Leo Magnus de legibus loquitur Imperatorum, in quibus *Ecclesiastica jura*, ut ait Siricius, & *sanctiones a Sanctis viris acceptæ*, ut S. Basilius inquit, promulgantur.

Episcopus, aut Concilium Provinciale, aut Concilium Nationale de facto impedimenta dirimentia matrimonio statuere non possunt; communissima hæc est Theologorum sententia cum Marin *disput. 12. num. 6.*, Brancato *disput. 18. art. 4.*, Lugo *in responsis moralibus dubio 45.*, Gobat *tract. 9. num. 20.*: Antiqua Ecclesiæ praxis ostendit; cum fideles omnes, ut in his dispensentur impedimentis, ad solum Romanum Pontificem, & quidem humillimè recurrunt; adeoque & ipsius tantum est hæc apponere impedimen-

menta: quæ verò leguntur in peculiari aliquo Concilio statuta, ut in Concilio Neocæsareensi *canon.* 11. promulgationes sunt communis Ecclesiæ legis; cum ad illius observantiam fideles omnes obligentur. An per consuetudinem legitimè præscriptam hæc induci possint impedimenta, vel auferri, dubium est; plures negant; sed communius affirmant cum Marin *disp.*12.*sect.*3. Salmantic.*cap.*11.*pun.*2., Henno, Coninch, Sanchez, Layman, Basilio Poncio: & quidem meritò, cum sit clarè decisum in *cap.*3.*de cognatione Spirituali*, ubi de hoc impedimento Episcopo Vigiliensi in Apulia sic rescribit Alexander III. *de his te volumus consuetudinem tuæ metropolitanæ Ecclesiæ, vel aliarum circumpositarum inquirere, & diligentiùs imitari; ita quod si ejusdem Ecclesiæ consuetudo habeat inter eos non sustinere conjugium fieri, nec factum firmitatis robur habere: tu simili modo in Ecclesia tibi commissa conjugium hujusmodi fieri, non permittas; & si quos taliter conjunctos inveneris, juxta earumdem Ecclesiarum consuetudinem ipsos separare ab invicem non omittas.* Si consuetudine induci possunt hæc impedimenta, cur & non potuerunt auferri? cum consuetudo etiam in rebus Ecclesiasticis vim legis habeat ex Innocentio III. in *cap.*6. *de clericis conjugatis*. In *cap.*5.*de consanguinit.*, *& affinitate*, cum ait Pontifex non valere matrimonium in gradibus prohibitis, *non obstante consuetudine, quæ dicenda est potius corruptela*; de consuetudine id habet non legitimè præscripta.

APPENDIX XXXVII.

INTER NOVAS *Post num.* 4198.

In gradibus inæqualibus quomodo dispensandum; ubi de dispensationibus alia.

SIve graduum inæqualitas in consanguinitate sit, sive in affinitate gradus, etiam proximior exprimendus, si propinquior sit primus a stipite gradus; sic omnes cum Reiff. *in Append. de dispens. sup. impediment. n.*171. La Croix *n.*915. Kazenberger *cap.*1. *supplementi decalogalis num.* 283. aliàs & nulla erit dispensatio; cum S. Pius V. per Bullam incipientem *Ascendens* editam anno 1566. die 26. Augusti declaraverit non esse mentem Pontificis in tali graduum propinquitate dispensare, nisi exprimatur. Si verò gradus propinquior stipiti primus non sit, & publicum non sit impedimentum, sic ut pro solo foro interno dispensatio petatur, opus non est gradum explicare propinquiorem, vel declaratorias petere literas, quod gradus propinquior non obstet. Est communis cum Reiff. *in Appendice n.*181. Krimer *n.*2147., Conrado *in praxi dispens. lib.*7.*c.*7.*a n.*59. Rosa *de dispens. p.*1.*c.*12.*n.*33. Ratio est, quia tam Pii IV. quam Pii V. Constitutiones requirentes, ut etiam propinquior gradus exprimatur, vel literæ obtentæ sint declaratoriæ, sunt pro solo foro externo ad evitanda scandala emanatæ, aliisque ex causis, quæ locum non habent, quando pro

solo

solo interno foro petitur dispensatio. Si verò pro foro externo dispensatio petatur, quamvis gradus propinquior non sit primus, exprimendus esset, aliàs nec licitè, nec validè Apostolica dispensatio executioni mandatur: sic Reiff.*in appendice a num.*172., Clericatus *decis.*22. *num.*11., Conradus *in praxi cit.cap.*7.*a num.*71.de Justis *de dispensationibus lib.*2.*cap.*3.*a num.*40., qui omnes testantur de stylo Curiæ: & Conradus summè practicus addit ita fateri omnes practicos Curiales, seque pluries observasse, matrimonia fuisse declarata nulla, quæ contracta fuere vi dispensationis sine litteris declaratoriis factæ. Necessariæ quidem sunt literæ declaratoriæ de impedimento proximiori, non quidem ut valida sit dispensatio, sed ut validè sit executioni mandata.

Id ipsum Bullæ ostendunt tum Urbani VIII., ac Innocentii X. apud Reiff.*num.*173., *&* 179. in quibus matrimonia alitèr facta, nulla declarantur. Tum ex ipsa Bulla S. Pii V., ubi cum Pontifex sufficere dixisset ad valorem dispensationis, si remotior gradus exprimatur, statim addit, *obtentis. tamen postea super propinquiore litteris declaratoriis &c.* ubi nonnisi dependentèr a litteris declaratoriis illa datur dispensatio. Cum Theologi plures sint asserentes facultatem dispensandi, morte concedentis expirare; dubium non est sine distinctione solvendum; siquidem in litteris gratiæ, vel Minister executurus est voluntarius, si dicatur ex.gr.*dispenset, si velit, si expedire judicaverit &c.*; vel Minister executionis est necessarius; ut si dicatur *dispenset, si preces veritate nitantur, si vera sunt exposita &c.*: Si primùm, non censetur gratia facta, sed facienda solum; & hæc facultas, si data sit in favorem certæ alicujus personæ, cum qua dispensandum esset, morte concedentis expirat, re adhuc integra, seu quando Minister voluntarius non adhuc suæ jurisdictionis usum incœperat, ex.gr. vocando partem ad cognoscendum de veritate precum: Si secundum, censetur gratia facta, nec dispensandi facultas expirat morte concedentis, etiam re adhuc integra, ut modo explicatum est; communissima hæc est Theologorum sententia cum Catalano *q.*4.*de privilegiis c.* 8.*n.*6. Kazenberg *cap.* 1. *supplementi decalogalis n.*377.;La Croix *de legibus n.*816.,Reiffenstuel *tit.de rescriptis a n.*257.,Sanchez, Suarez, Henriquez, Molina, Salas, Rodriquez, Guttierez, Pontio, Palao, Illsung, Lotterio, Garcia, aliisque satis utrumque patet ex *cap.*36. *de præbendis in* 6.

Ratio primi est, quia a Principe facta non est gratia, sed primum a Commissario facienda, si voluerit, & nullum est jus parti acquisitum: Ratio secundi, quia per literas executorias, seu præceptorias, impetranti jus est acquisitum, non quidem absolutè, ad quam petit gratiam; sed conditionatè, nempe si preces veritate nitantur, & ad Judicis officium impetrandum ad prosequendam gratiam. Nec dicas contra secundam partem, per mortem delegantis jurisdictio expirat delegati, re adhuc integra, ex Lucio III., & Urbano III. *in cap.* 19. *&* 20. *de officio delegati*; eo vel maximè quod necessitas dispensandi imposita delegato, mandatum est; hoc autem morte mandantis expirat, ex *l. mandatum*, *C. mandati*. Contra, quod opponitur: in materia justitiæ, atque contentiosa, de qua solùm in locis citatis agitur, verum est, secus autem in materia gratiosa, de qua nulla est ibi mentio. Di-

Dictum est, si data sit facultas dispensandi cum aliqua certa persona, cum secus dicendum esset, si data esset alicui sine determinatione personarum, cum quibus esset dispensandum; tunc enim etiam in primo casu non expirat morte concedentis, re adhuc integra; Pirhing *de officio delegati num.* 190., Reiffenstuel *de rescriptis a num.* 254., & communis sententia: estque decisum *in cit. cap.* 36. *de præbendis in* 6.; siquidem censetur gratia facta, facta nempe in favorem illius, cui talis est concessa facultas; cum posse dispensare, & quidem sine determinatione personarum, magna sit illius prærogativa, cui datur.

Idem dicendum est de facultate alicui concessa non jejunandi; carnes comedendi; laborandi die festo; non solvendi decimas; eligendi sibi Confessarium, sive determinatum, sive indeterminatum, qui absolvat a reservatis, vel secum dispenset; audiendi Missam, vel celebrandi in Oratorio privato; recipiendi Ordines extra tempora, aut non servatis interstitiis; suscipiendi Ordines ab alio Episcopo, & similibus; non enim hujusmodi facultates morte concedentis expirant; sic Navarrus, Henriquez, Guttierez, Suarez, Salas, Bonacina, Palaus, & communissimè cum Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 28. *num.* 72., & Catalano *cit. cap. num.* 8.; eo quia sunt gratiæ factæ, ac directè illi concessæ; suntque favores, ac beneficia ab eo jam legitimè possessa.

APPENDIX XXXVIII.

INTER NOVAS *Post num.* 461. *tom.* 2.

De libris prohibitis.

PRohibet Summus Pontifex Innocentius X. die 24. Januarii anno 1647. libros omnes, quibus asseritur æqualitas SS. Petri, & Pauli, per hæc verba: *In Congregatione generali S. Romanæ, & universalis Inquisitionis &c. Editus est anno* 1645. *liber gallico idiomate impressus, cui titulus: De l'authoritè de S. Pierre, & de S. Paul, qui reside dans le Pape successeur des ces deux Apostres. Absque nomine authoris, & impressionis loco. Hujus libri evulgationem subsecuta est editio alterius libri Anonymi, eodem idiomate impressi, cui titulus. La grandeur del Eglise Romaine establie sur l'authoritè de S. Pierre, & de S. Paul. Necnon epistola ejusdem argumenti Latino idiomate conscripta, ac typis excusa, plurimis adductis atque congestis Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum, & Doctorum locis. Quocirca ne in re tanti ponderis error aliquis mentibus Christi fidelium irreperet, libris prædictis de mandato Sanctissimi maturè examinatis, locisque adductis, diligenter inspectis, ac ponderatis. Sanctissimus relata unanimi Theologorum, ad hoc specialiter deputatorum censura, & auditis votis Eminentissimorum, & Reverendiss. DD. Cardinalium generalium Inquisitorum, propositionem hanc: S. Petrus & Paulus sunt duo Ecclesiæ*

clesiæ Principes, qui unicum efficiunt, vel sunt duo Ecclesiæ Catholicæ Coriphæi, ac supremi Duces summa inter se unitate conjuncti. Vel sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissimè coaluerunt. Vel sunt duo Ecclesiæ summi Pastores, ac Præsides qui unicum caput constituunt, ita explicatam ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum sine subordinatione, & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, & in regimine universalis Ecclesiæ, hæreticam censuit, & declaravit. Epistolam verò ac libros prædictos, aliosque in quibus propositio, ut supra explicata, & damnata, asseritur, & defenditur, tam impressos, quam imprimendos, quocumque idiomate, aut quomodolibet etiam in scriptis divulgatos, vel imposterum evulgandos, Sanctitas sua omnino damnatos, & prohibitos esse voluit, prout præsenti decreto damnat, & prohibet.

Idem Pontifex die 23. Aprilis anno 1654. alios prohibet libros in materia de gratia, per hæc verba: *In Congregatione generali S. Romanæ, & universalis Inquisitionis &c. Sanctissimus D. N. Innocentius Papa X. post condemnatam, sua constitutione edita pridie Kalend. Junii anni Incarnationis Domini 1653. in quinque propositionibus Augustini Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis doctrinam, ne occasione doctrinæ prædictæ in mentes Christi fidelium, aliquod dubium, vel error irrepat; eumdem Augustinum Cornelii Jansenii; Et iteratò unà cum aliis infrascriptis libris prohibet, & damnat, eosque pro damnatis, & prohibitis haberi voluit, sub pœnis, & censuris, in indice librorum prohibitorum contentis, aliisque arbitrio Sanctitatis suæ infligendis. Nemo igitur cujuscumque gradus, & conditionis existat, etiam speciali, seu specialissima nota dignus, libros infrascriptos, aut aliquem ex illis apud se, retinere, legere, imprimere, vel imprimi curare audeat, sed statim a præsentis decreti notitia, quicumque illos habuerit locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus consignare teneatur, sub pœnis & censuris prædictis. Elenchus librorum. Cornelii Jansenii, Episcopi Ipren. Augustinus, Lovanii, Parisiis, Rothomagi, sive quocumque alio in loco seu idiomate impressus. Ejusdem Parallellus errorum Massiliensium, & quorumdam recentiorum. Cornelii Jansenii &c. Laudatio funeralis, dicta a Fr. Joanne a Lapide Lovanii, typis Bernardini Masii. Humilis, & supplex Quærimonia Jacobi Zegers adversus libellum R. P. S. T. Regiæ Cappellæ Bruxellis Concionatoris, & Theses PP. Societatis apud Jacobum Zegers 1. 2. & 3. seu alterius editionis. Augustini Hipponensis, & Augustini Iprensis, de Deo omnes salvare volente homologia, Lovanii apud Jacobum Zegers. Epistola Liberti Fromondi, & Henrici Caleni. Lovanii 16. Junii 1644. & quæ incipit: theses vestras. Somnium Hipponense, sive de controversiis & relatore Philetrino S. T. Baccalaureo formato Parisiis anno 1644. Liberti Fromondi S. T. Doctoris brevis anatomia hominis, Lovanii apud Jacobum Zegers anno 1644. Conventus Africanus, sive disceptatio judicialis apud tribunal præsulis Augustini &c. Enarratore Artemidoro Oneiro critico, A Roven chez Nicolas de la Montaigne 1641. Memorial au Roy, quod incipit: Jean Jansenius Champine &c. & finit; contra illa duo decreta Summorum Pontificum. Attestatio notarialis, quæ incipit. Ego infrascriptus, & finit Petrus Mintart Notarius. Approbatio sub nomine nonnullorum Theologorum, ex variis Religionibus, tam Ordinum Monacha-*

Rechalium, quam Mendicantium; nec non Archiepiscopi Philippensis aliorumque Theologorum Clericorum sæcularium doctrinæ Cornelii Jansenii, in dicto libro Augustinus, contentæ, quæ incipit: Quid sentiendum sit, de doctrina in opere Reverendissimi Domini Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis fel. mem. nuncupat. Augustinus, & finit, & me publico, & Apostolico, & dictæ Universitatis Notario, & scriba jurato. Quod attestor Petrus Mintart Notarius. Cryssippus de libero arbitrio Lovanii 1644. Memorialia per deputatos Academiæ Lovaniensis, exhibita Romæ Summis Pontificibus Urbano VIII. & Innocentio X. pro doctrina B. Augustini Manutenenda &c. anno 1644. Novus Prosper contra novum Collatorem Lovanii 1647. Collatio Antuerpiensis ad Petrum Aurelium Lovanii 1647. Vincentii Lenis Theriaca adversus Petavium, & Richardum de libero arbitrio Lutetiæ Parisiorum 1648. Ejusdem Epistola Prodroma Lovanii 1649. Apologia de Monsieur Jansenius Evèque d'Ipre;e de la doctrine de S. Augustin expliquèe dans son livre intitulè Augustinus &c. 1644. Seconde Apologie pour Monsieur Jansenius Evêque d'Ipre, & pour la doctrine de S. Augustin expliquèe dans son livre intitulè Augustinus 1645. Examen libelli, cui titulus est: propositiones exceptæ ex Augustino Reverendissimi D. Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, quæ in specimen exhibentur suæ sanctitati Lovanii 1646. Rêponce à un ècrit qui a pour titre: Avis donnè en ami à un certain Ecclesiastique de Louvain, au sujet de la Bulle du Pape Urbain VIII. qui condamne le livre portant le titre, Augustinus Cornelii Jansenii. Planctus Augustinianæ veritatis in Belgio patientis Lovanii 1649. Joannis Martinez de Ripalda è Societate nominis Jesu, vulpes capta, per Theologos S. Facultatis Academiæ Lovanien. anno 1646. Considerations sur la lettre composèe par Monsieur l' Evêque de Vabre pour estre envoyèe au Pape, en son nom, & de quelques autres Prelats &c. 1651. De la grace victorieuse de Jesus-Christ, *ou Molina, & ses disciples convaincus de l' erreur de Pelagiens, & de Semipelagiens à Paris 1651. Utrum sit damnandus Jansenii Augustinus. Incipit. Nullo jure: finit non potest damnari Jansenius nisi ridente Pelagio, plorante Augustino. Humilis Romanus &c. Rationes ob quas Illustrissimus, & Reverendissimus D. Archiepiscopus Mechliniensis, a promulgatione Bullæ, qua proscribitur liber, cui titulus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis Augustinus 1649. quocunque idiomate impressus Raisons pour lesquelles on n'a trouvè convenir de publier au Diocese de Gand, avec la solemnitè accoustumèe, certaine Bulle contre le livre du defunt Evêque d'Ipre Iansenius, representèes par Monseigneur le Reverendissime Evêque de Gand 1649. Defensio Belgarum contra evocationes causarum, & peregrina judicia, 1. 2. seu alterius editionis. Jus Belgarum circa bullarum Pontificiarum receptiones, 1. 2. seu alterius editionis, Catechismus de gratia, quocumque idiomate sit editus. Synopsis veræ Catholicæque doctrinæ, de gratia, & annexis quæstionibus ad Catechismum de gratia, Auctore Samuele Maresio Groningæ 1651. Dinstinction Abregèe des cinq propositions, qui regardent la matiere de la grace, laquello a estè presentèe en Latin à sa Saintetè par les Theologiens qui sont à Rome, pour la defense de la Doctrine de S. Augustin, au l'on voit clairement, en trois Colomnes, les divers sens, què ces propositions peuvent recevoir, & les sentiments des Calvinistes, & des Lutheriens, des Pelagiens,*

& des Molinistes, de S. Augustin, & de ces Disciples. 1653. sive Libellus, cui titulus Brevissima quinque propositionum in varios sensus distinctio apertaque de iis tum Pelagianorum, & Molinistarum, tum S. Augustini ejusque discipulorum sententia, sive typis, sive scripto extet. Philosophia moralis Christiana, auctore Joanne Camerario Presbytero: Andegavi 1652. Theologie familiere, ou instruction de ce que le Chrestien doit croire, & faire en cette vie, pour estre sauvè. Auctore, Jean du Vergier Abbè de S.Cyran. cujuscumque editionis illa sit. Lettre de Joan de Labbadie à ses amis, &c. A Montauban 1651. Priere pour demander à Dieu la grace d'unè veritabile, & parfaite conversion. Justa damnatio quinque propositionum Jansenii, studium Marci Ferri. Venetiis 1653. Reponse a un Sermon, prononcè par le P. Brisacier Jesuite, à Blois le 29. Mars 1653. Lucerna Augustiniana, qua breviter, & dilucide declaratur concordia, & discordia, qua duo nuper ex DD. Doctores S. Thom. Duacen. conveniunt, aut recedunt à cæteris hodie S. Augustini discipulis sine nomine auctoris, & loco impressionis. Emunctorium lucernæ Augustinianæ quo Fuligines a quibusdam aspersæ emunguntur. Lettre Pastorale de Monsieur L'Archevèque de Sens, pour la publication de la constitution de nostre Saint Pere le Pape, donnè à Rome le 31. de May dernier &c. Imprimèe par le commandament de Mondit Seigneur. Ordonnance de Monseigneur l'Evèque de Cominges, sur la publication qu'il a faite dans le Synode Diocesain de Cominges le 9. d'Octobre 1653. de la Constitution de nostre Saint Pere le Pape Innocent X. portant censure de cinq propositions, touchant la grace, & le franc arbitre. Samuelis Maresii Apologia novissima pro S. Augustino, Jansenio, & Jansenistis contra Pontificem, & Jesuitas. Comingæ anno 1654. Les eluminures du fameux Almanach des PP. Jesuites, intitulè, la deroute, & la confusion des Jansenistes. Memoire sur le dessein, qu'ont les Jesuites, de faire recomber la censure des cinq propositions sur la veritable doctrine de S. Augustin, sous le nom de Jansenius, sine nomine auctoris, & loco impressionis. Responsе au P. Anuat, Provincial des Jesuites, touchant les cinq propositions attribuèes à M. L'Evèque d'Ipre divisèe en deux parties, sine nomine auctoris, & loco impressionis 1654. Item omnes, & quicunque libri, libelli, Epistolæ, tam impressi, quam manuscripti, seu imposterum edendi, & publicand. in quibus doctrina Augustini Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis in prædictis quinque propositionibus damnata approbatur, aut asseritur, quocumq; idiomate scripti, sive editi sint. Cæterum cùm tam Romæ quam alibi, circumferantur quædam asserta acta manuscripta, & forsan typis excusa, congregationum habitarum coram fel. rec. Clement. VIII. ac Paulo V. super quæstione de auxiliis divinæ gratiæ, tam sub nomine Francisci Pegnæ olim Rotæ Romanæ Decani, quam Fratris Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum, aliorumque Prælatorum, & Theologorum, qui ut asseritur, prædictis interfuerunt Congregationibus. Nec non quoddam autographum sive ejusdem Pauli V. super definitione prædictæ quæstionis de Auxiliis, ac damnationis sententiæ seu sententiarum Ludovici Molinæ Societatis Jesu, eadem Sanctitas sua præsenti hoc decreto, declarat ac decernit, prædictis assertis actis tam pro sententia Fratrum ordinis S. Dominici, quam Ludovici Molinæ aliorumque Societatis Jesu Religiosorum aucto-

autographo, sive exemplari prædictæ assertæ constitutionis Pauli V. nullam omninò esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, seu à quocumque alio allegari posse, vel debere, sed super quæstione prædicta observanda esse Decreta Pauli V. & Urbani VIII. suorum Prædecessorum.

Alios damnat ejusdem generis libros Summus Pontifex Alexander VII. die 6. Septembris ann. 1657. per hæc verba, *Sanctissimus D. N. Alexander Papa VII. præsenti decreto prohibet, & damnat libros infrascriptos, eosque pro damnatis, & prohibitis haberi voluit sub pœnis, & censuris in Sacro Concilio Tridentino, & in indice librorum prohibitorum contentis, aliisque arbitrio Sanctitatis Suæ infligendis. Elenchus Librorum. Decem, & octo epistolæ Gallico idiomate conscriptæ, quarum prior inscribitur. Lettre ecrite à un Provincial par un de ses amis sur le sujet des disputes presentes de la Sorbonne de Paris ce 23. de Ianvier 1656. Incipit: Monsieur; Nous estions bien abusez. Seconde lettre, &c. de Paris ce 29. Ianvier 1656. incipit: Monsieur comme je fermois &c. Troisieme lettre, &c. de Paris ce 9. de Fevrier 1656. incipit: Monsieur je viens de recevoir &c. Quatrieme lettre, &c. de Paris le 25. de Fevrier 1656. incipit: Monsieur il n'est rien tel que &c. Cinquième lettre, &c. de Paris le 20. de Mars 1656. Monsieur voicy ce que je vous ay promis &c. Sixième lettre, &c. de Paris ce 10. d'Avril 1656. incipit: Monsieur je vous ay dit. &c. Septieme lettre, &c. de Paris ce 25. d'Avril 1656. incipit. Apres avoir appaisè &c. Huitieme lettre &c. de Paris ce 28. de May. incipit: Vous ne pensiez pas que personne &c. Neuvième lettre, &c. de Paris ce 3. de Iuillet 1656. incipit: Monsieur je ne vous ferai pas plus &c. Dixième lettre, &c. de Paris ce 2. d'Aout 1656. incipit. Monsieur ce n'est pas encore icy, &c. Onzieme lettre, &c. ecrite par l'Autheur des lettres au Provincial, aux Rever. PP. Iesuites du 18. d'Aoùt 1656. incipit: Mes Rever. Peres, j'ai veu les lettres, quæ vous &c. Douzieme lettre, &c. du 9. de Sept. 1656. incipit: Mes Rever. Peres, j'estois prest à vous ecrire &c. Trezieme, &c. du 30. de Sept. 1656. incipit: Je viens de voir vostre dernier ecrit &c. Quatorzieme lettre &c. du 21. d'Octobre 1657. incipit: Mes Reverends Peres voicy la suite de vos calomnies &c. Quinzieme lettre, &c. du 25. Nov. 1656. Incipit: Mes Rev: Peres, Puisque vos impostures croissent, &c. Seizième lettre, &c. du 4. Dec. 1656. Incipit: Mes Reverends Peres, voicy la Suite de vos calomnies. Dix-septieme lettre ecrite par l'Autheur des lettres au Provincial, au Reverend Pere Annat Iesuite ce 23. de Ianvier 1657. incipit: Mon Reverend Pere, vostre procede m'avoit &c. Dix-huitieme lettre au Reverend Pere Annat Iesuite, sur la copie imprimèe à Cologne le 24. de Mars 1657. incipit: Mon Reverend Pere il y a long temps que vous &c. Lettre d'un Advocat au Parlement à un de ses amis, touchant l'Inquisition, qu' on veut establir en France à l'occasion de la Nouvelle Bulle du Pape Alexandre VII. à Paris le 1. de Iuin 1657. M. vous croyez que tous vos affaires &c. Antonii Arnaldi Doctoris, & Socii Sorbonici opera sequentia. Lettre de Monsieur Arnauld, Docteur de Sorbonne à une personne de condition, sur ce qui est arrivè depuis pendant une des paroisses de Paris à un Seigneur de la Cour. Seconde lettre de Monsieur Arnauld Docteur de Sorbonne à un Duc & Pair de France, pour servir de reponse à plusieurs ecrits, qui ont estè publiez contre sa premiere lettre, sur ce qui est arrivè à un Seigneur de la Cour dans une paroisse de Paris Epistola,*

& scriptum ad sacram facultatem Parisiensem in Sorbona congregatam die 6. Decembris 1655. Scripti pars altera ad sacram facultatem Parisiensem in Sorbona congregatam die 10. Decembris 1655. Epistola, & alter Apologeticus ad sacram facultatem Parisiensem in Sorbona congregatam die 17. Januarii anni 1656. Epistola inscripta viro sapientissimo Henrico Holdeno sacræ facultatis Parisiensis Doctori incipiens: Ea temporum conditione &c. Vera S.Thomæ de gratia sufficienti, & efficaci doctrina dilucidè explanata. Propositiones Theologicæ, de quibus hodie maximè disputatur, clarissimè demonstratæ. Tabulæ suffragiales de terminandis fidei litibus, ab Ecclesia Catholica fixæ, Authore Thoma Anglo ex Albiis East. Saxone. Tessera τουτω' μως Romanæ evulgatio eodem Authore &c. Et quia circumferuntur quædam folia impressa anno 1657. quorum titulus est tredecim Theologorum ad examinandas quinque propositiones ab Innocentio X. Selectorum suffragia, seu ut appellant vota Summo Pontifici scripto tradita; Eadem Sanctitas suo præsenti hoc decreto, illa probibet, & declarat, ac decernit, iis tanquam Apocryphis nullam fidem esse adhibendam, nec a quocumque allegari posse, vel debere; Et propterea epistolas, libellos, ac libros alios quoscumque; in quibus doctrina Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, in quinque propositionibus per Constitutiones Innocentii Prædecessoris, & Sanctitatis Suæ damnata asseritur, aut quomodolibet approbatur vel defenditur; Tam impressos, quam imprimendos, quocumque idiomate, vel quomodolibet etiam in scriptis evulgatos, vel in futurum evulgandos, Sanctitas Sua omninò damnat, & prohibet, ac damnatos, & prohibitos esse voluit, mandans, ut nemo cujuscumque gradus, & conditionis existat, etiam speciali, seu specialissima nota dignus: libros prædictos, aut aliquem ex illis apud se retinere, legere, aut imprimere, aut imprimi curare audeat, sub pœnis & censuris contra hujusmodi delinquentes statutis, sed statim quicumque illos habent, vel in futurum quandocunque habebant, locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus sub iisdem pœnis exhibere teneantur. Insuper cum hac occasione, & prætextu in lucem prodeant plures libri continentes, & tractantes materiam de Auxiliis, nulla prorsus petita, vel obtenta licentia ab hac Sacra Congregatione contra formam decretorum Pauli V. & Urbani VIII. Prædecessorum suorum, (quæ quatenus opus sit) Sanctitas Sua denuò confirmat, innovat, & inviolabiliter observari mandat sub censuris; & pœnis in eisdem contentis; ideo illis inhærendo, dictos libros editos, & in futurum quomodolibet edendos, absque eo quod fiat de illis specialis mentio, ipso facto absque alia declaratione pro expressè prohibitis haberi voluit, & decrevit.

Multa hic opera damnantur, ea præsertim, quæ Arnaldum, Paschalium, aliosque Jansenianos Auctores habent. Quàm in Apostolicam Sedem iniquus fuerit Arnaldus Doctor Sorbonicus, sed a Sorbona tandem ejectus, satis damnata illius opera testantur. Liber *de frequenti communione* sub nomine Arnaldi, sexdecim Episcoporum Galliæ approbationibus magnificè ornatus prodiit; ac ab Archiepiscopo Meclinienfe anno 1695. die 1. Januarii, aliisque pluribus Galliarum Episcopis fuit in specie damnatus. Et quidem (quidquid aliqui dicant) plura continet errata; siquidem in Præfatione habetur hæretica illa propositio *de omnimoda æqualitate inter S. Petrum, & S. Paulum; pag. 27., vel 25.*; & libros omnes, in quibus hujusmodi proposi-

tio

tio defenditur, Innocentius X. in allato decreto, ut hæreticos damnat: eadem propositio habetur in tabula materiarum 5. editionis apud Vitrè, ubi ad litteram P. fusè probatur: Item senescentis, ac deficientis Ecclesiæ tempus jam advenisse deplorat; illamque Religiosis Ordinibus comparat a primœva eorum institutione delabentibus; Præfationis *pag.* 105., 123. *&* 124.: in corpore libri, omnem gratiam efficacem esse, seu a bonis operibus inseparabilem, asserit cum Calvino; *pag.* 489.; Jansenium ut in Ecclesiæ doctrina peritissimum, cum Hæreticis laudat; *pag.* 349., *&* 623. de administratione Sacramenti Pœnitentiæ, ac de necessaria dispositione ad Eucharistiam suscipiendam, plura ibi habentur, quæ deinde Alexander VIII. die 7. Decembris anno 1690. suo decreto damnavit, propositione 16. & sequentibus; uti videre est in Bibliotheca Janseniana *tom.* 1. *pag.* 215. editionis 3. & in Memoriis dogmaticis *tom.* 4. *a pag.* 8.

Illud festivum est, quod ibidem habetur *pag.* 562. nullibi in sacris scripturis verba illa inveniri, *in quacunque hora ingemuerit peccator salvus erit*, sive in vulgata, sive in Hebraico originali, sive in aliis versionibus: cum expressè dicatur Ezechielis *cap.* 33. *Impietas impii non nocebit ei in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua*; Et Isaiæ *cap.* 30. juxta versionem Septuaginta *vers.* 15. *cum conversus ingemueris, salvus eris.* Liber *de frequenti communione*, non est adhuc ab Apostolica Sede in specie damnatus, benè tamen in genere, ut ex Innocentio X. visum est. De Auctore hujus libri disputant eruditi, quidam Abbati Sancyrano, seu Vergerio, alii verò illum tribuentes Arnaldo; & graves sunt pro utraque parte rationes; uti videre est in Bibliotheca Richelet, & in Bibliotheca Janseniana: hinc opus esse utriusque, probabilius puto, ac ideatum a Sancyrano, ab Arnaldo ejus amicissimo fuisse perfectum; immo sic aliquando faciendum fore, satis indicaverat Sancyranus *in Epistola ad Arnaldum* anno 1640.

Nec sanioris doctrinæ sunt octodecim Provinciales Epistolæ, in allato Alexandri VII. decreto proscriptæ; ab eo sic dictæ, quia ad unum de Provincia directæ, non quidem idealem hominem, ut aliqui putant; sed realem, nempe Dominum Perrier Auctoris amicissimum, atque agnatum. Sub ficto nomine *Montaltii* prodiere, cum additis deinde *Notis Vendrochii*, *ac disquisitionibus Pauli Irenæi*; cum re vera Paschalius sit Epistolarum Auctor; adnotationum verò, ac disquisitionum Nicolas, seu Nicolius, damnatorum operum feracissimus Auctor; uti videre est apud Danielem, Memorias dogmaticas, & Bibliothecam Jansenianam. In prioribus Epistolis, Dominicanos, Jesuitas, Theologos omnes (Jansenistis exceptis) pessimè Paschalius habet: sufficientem gratiam in sensu Thomistarum, dicit gratiam esse insufficientem; illosque deprecatur, ut tuba canant ubique, ipsorum gratiam sufficientem, gratiam esse insufficientem: sufficientem gratiam Thomistarum cum ratione, Molinisticam inquit, cum fide pugnare: at in ultima epistola, sibi oppositus ait, quod non aliam, quàm Thomistarum gratiam Janseniani propugnent.

In Epistola 3. hæreticam defendit Arnaldi propositionem (ratione cujus a Sorbona ille fuerat ejectus) *Veritatem esse tum ex scripturis, tum ex SS. Patribus indubitatam, atque in persona S. Petri manifestam, gratiam scilicet, sine qua nihil possumus, justo defuisse ea in occasione, in qua dici non*

potest

poteſt, quod non peccaverit, Epiſtolas Montaltii, una cum notis, ac diſquiſitionibus Galliarum Epiſcopi damnarunt; præſertim Rhedonenſis, Ruthenenſis, Sveſſionenſis, ac Ambianenſis, qui una cum aliis novem Sorbonæ Doctoribus cenſuerunt *Janſenianas hæreſes ab Eccleſia damnatas in iis libellis propugnari, atque defendi ; maledicentiam, ac petulantiam tribus illis auctoribus adeo eſſe familiarem, ut nulli hominum conditioni parcant, exceptis Janſeniſtis ; non Summo Pontifici, non Epiſcopis, non Regi, non præcipuis Regni Adminiſtris ; non Sacræ Facultati Pariſienſi, non Religioſis Familiis; ideoque librum dignum eſſe pœna libellis famoſis, & hæreticis a jure conſtituta* : quod judicium, mandante Rege Chriſtianiſſimo, executioni datum eſt anno 1660. die 14. Octobris, ex Tournely, *tom. de gratia*, *pag.* 196. editionis Venetæ.

Dupinium (damnata cujus opera magnificè laudant in Hollandia Sociniani, præſertim in ſua Bibliotheca univerſali hiſtorica Dominus Le Clerc) Summus Pontifex Clemens XI. in Brevi ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem, dato anno 1701., vocat *nequioris doctrinæ hominem, temerataque ſæpius Apoſtolicæ Sedis Reum* ; & quidem meritò, cum damnata illius opera teſtentur ; vel de doctrina Chriſtiana, vel de antiqua Eccleſiæ diſciplina ; vel Hiſtoria Eccleſiaſtica &c. Novæ illius Bibliothecæ Auctorum Eccleſiaſticorum meminiſſe, ſatis erit ; quam per decretum Sacræ Univerſalis Inquiſitionis Apoſtolica Sedes prohibuit die 1. Julii anno 1693. Nulli Dupinius ibi parcit ex Patribus, uti adnotarunt Bibliotheca Janſeniana *tom.* 1. *pag.* 48. edition. 3., Memoriæ dogmaticæ *tom.* 3. *pag.* 394., & Adnotator Bibliothecæ Dupinii : ignorantiam, credulitatem, negligentiam, ſævitiem, ambitionem paſſim Patribus exprobrat: certè non tanta de illis loquuntur inſolentia Le Clerc, Bayle, Barbeyrac. Hæreticis favet e contra Dupinius : Euſebium Cæſarienſem (quem Arianorum ſigniferum vocat S. Hieronymus) nunquam agnoviſſe, dicit, Verbi conſubſtantialitatem ; & tamen de illius Sanctitate non eſſe dubitandum.

De ſacris libris definitum eſt in Sacro Concilio Tridentino ; & tamen librum Eſther quoad poſteriora ſex capita Canonicum eſſe, non eſt Dupinio certum. De cultu Sacrarum Imaginum (de quo fuerat in ſeptima Synodo generali Nicæna ſecunda contra Iconomacos definitum) inductum fuiſſe, inquit *tom.* 5., per ignaros, ac ſimplices ; falſiſque miraculis, quæ nimis creduli ab Imaginibus illis agnoſcebant, auctum fuiſſe, atque firmatum : antiquum Eccleſiæ morem deteſtatur, Dei Patris ſimulacrum, vel Sanctiſſimæ Trinitatis in templo collocare ; quod Alexander VIII. anno 1690. die 20. Decembris in propoſitione 25. expreſsè damnavit. De Concilio generali Epheſino ſæculo 5. loquentem audire Dupinium Catholicus animus horret. Beatam Virginem eſſe *Matrem Dei* S. Synodus definit : novam hanc eſſe in Eccleſia locutionem, Dupinius ait : adhiberi poſſe, non quidem abſolutè, ſed cum limitatione, *in aliquo ſenſu* ; loquebatur pari modo Neſtorius. *Deum natum eſſe, Deum paſſum eſſe, Deum mortuum eſſe*, S. Synodus declarat : intolerabilem exceſſum has Dupinius vocat expreſſiones ; eaſque neque poſt Concilium admiſſas unquam fuiſſe ab Eccleſia. Damnatur a S. Synodo Neſtorius: at ſine cauſa, ſi Dupinio credendum, & nonniſi ex tergiverſationibus, odio, politica, dolo S. Cyrilli Alexandrini. Neſtorianus poteratne fortius pro ſua cau-

causa loqui? Bibliothecam hanc Galliarum Episcopi, inter quos Harlay Archiepiscopus Parisiensis anno 1693. die 16. Aprilis, damnarunt, utpotè propositiones continentem *Scandalosas*, *temerarias*, *in hæresim inductivas*; *injuriosas libris Canonicis*, *Conciliis generalibus*, *Apostolicæ Sedi*, *SS. Patribus &c.*: eodemque Parisiensi Archiepiscopo, mandante, solemniter, ac publicè de suis erratis se Dupinius retractavit; sed utinam ex corde.

Damnata inter opera, ab Institutionibus Theologicis Patris Juenini maximè cavendum est, ut instructiones (quibus illæ prohibentur) Episcoporum Galliæ demonstrant Meldensis, Carnotensis, Laudenensis, Ambianensis, Aptensis, Suessionensis, aliorumque plurium: de mandato Summi Pontificis Clementis XI. die 25. Septembris anno 1708. ex decreto Sanctæ Romanæ Inquisitionis prohibitæ sunt Institutiones istæ Juenini; & quidem meritò; cum (ut latè Carnotensis instructio demonstrat, quæ data est die 25. Junii 1708.) & Jansenianorum cavillationes in illis sibi Jueninus adoptet, ac præcipuum Jansenianæ doctrinæ fundamentum satis apertè propugnet; siquidem propositiones Jansenii damnatas esse dicit in sensu Calvini; illarum sensum Thomistarum esse, ac D.Thomæ, asserit aliquando; modo in materia facti fallibilem affirmat Ecclesiam, libro Jansenii sensum hæreticum imputando; nec aliud, quam obsequiosum silentium in hoc a fidelibus Ecclesiam exigere posse; ideoque duobus brevibus Innocentii XII. ad Episcopos Belgii unicè standum: in Deo voluntatem salvandi omnes agnoscit, sed antecedentem ad peccatum Adæ; eamque nihil operari in ordine ad hominum salutem, sed inutilem esse, ac otiosam cum Jansenio dicit: de Christi voluntate salvandi omnes, ac pro omnium salute moriendi (cum hæc debeat esse divinæ voluntati conformis) pari modo discurrit. Instructio Meldensis (ut alias omittam) edita anno 1710. (quam & speciali brevi laudat Summus Pontifex Clemens XI. anno 1712.) fusius hoc ipsum ostendit: duas doctissima hæc Instructio partes habet; prima, quæ sit Jansenii doctrina in damnatis quinque propositionibus contenta, latè differit usque ad *pag.* 486.; altera verò, in Institutionibus Juenini quinque damnatas illas hæreses contineri, usque ad *pag.* 622. clarè demonstrat; compendium hujus instructionis habes in Memoriis Trevoltinis, anno 1711. a *pag.* 1164.

Oppones, Summus Pontifex Clemens XI. illas probavit Institutiones, teste Cardinale Paulutio in epistola (quam habes in novissima editione Juenini) ad Auctorem data die 28. Septembris 1705. At Epistolam Paulutii, quæ de Pontificis probatione testatur, omninò suppositam esse, pro certo habent Romani censores, a quibus idipsum certioratus accepi. Et sanè quis suadere sibi poterit unquam, doctissimum Pontificem illas, vel cæco modo probasse, vel maturo probasse judicio, quas paulo post iteratò damnavit, nempe anno 1708. per decretum Congregrationis S. Officii, & anno 1712. per Apostolicum Breve ad Episcopum Meldensem, postea Cardinalem de Bissy. Quid de instructionibus dicam Episcoporum Galliæ, in quibus Institutiones illæ reprobantur? Pontificiæ hujus probationis nullus meminit unquam; meminissent autem, si tunc extabat, vel saltem eam explicassent. Nonnè Jueninus ipse ad suas propugnandas Theologicas Institutiones Episcoporum Galliæ censuris illam opposuisset Apostolicam approbationem? certum est au-

autem hoc non fecisse Jueninum. Itaque supposita est illa Romani Pontificis probatio, & quæ forsan ad simpliciores fallendos, paucis ab hinc annis primo lucem vidit, nec enim ante illam mihi videre contigit, quam in furtiva, ac novissima editione Juenini, nempe anno 1736. Sed epistolam Cardinalis Paulutii suppositam non esse omittamus, quid inde? in ea non doctrina laudatur Auctoris; sed obsequium in Apostolicam Sedem, cui humilissimè Jueninus suum dicaverat opus; eruditio, ac methodus. non errata probantur; quæ Clemens XI., ut visum est, paulo post sapientissimè iteratò damnavit.

Pontasii recentissimum dictionarium *casuum conscientiæ* (quod quibusdam plaudentibus Eruditis plures hucusque editiones habuit) multa corrigenda continet; & in primis ineptissimam censuram illam, quam *titul. excomunicatio* his verbis conceptam habet: *Verum ut in pejus lapsi sunt Christianorum mores, & imminutum est Episcoporum meritum, frequentiores etiam factæ sunt caussæ excommunicationis, & minor circumspectio in usu extremi illius remedii. Qua de re sic loquitur D. Abbas de Floriaco in secundo Tomo institutionis ad jus Ecclesiasticum, in quo mœstè depingit, quam celeriter serpserit usus excommunicationis, quæ postea malo ipso facta est periculosior medicina. Eo tandem immoderationis pervenit hic progressus, ut nihil nisi excommunicationis sono resonet infinitus prope summorum Pontificum decretalium, & constitutionum numerus, ex quibus constat alterum juris Canonici volumen triginta etiam duæ diversæ in sexto, & quinquaginta pariter diversæ excommunicationis species in Clementinis reperiuntur; solaque Bulla in Cœna Domini viginti & unam continet. Nulla tandem e Papali Tribunali venit Bulla, quæ in excommunicationem non desinat. Notum est omnibus quam immodice excommunicatione abusus fuerit Gregorius VII. contendens Principem excommunicatum ab omni sua potestate atque imperio excidisse, etiam nunc quamplurimi, præsertim in Italia, funesta illa in manibus arma quotidie gerunt ad obtinendam a subditis obedientiam, quos sæpe ad meliorem frugem adducerent lenitas & indulgentia, loco severitatis, quæ aptius peccatorum vulnera exulcerat, quam demulcet.*

Sic de summis Pontificibus Pontasius: dicat, velim, num tanta confidentia auderet temporalium suorum Principum vindicantem justitiam, qua in criminosos subditos animadvertunt, virgula notare censoria? Ad Gregorium VII. quòd attinet, non alium in prudentiæ, & Evangelicæ Mansuetudinis Sanctissimi Pontificis defensionem testem adducam, quàm Scriptorem Gallum nulli obnoxium exceptioni. Is est, Natalis Alexander qui in historiam XI. & XII. seculi *disser. 2. art. 2.* hæc de excommunicatione; quam in Henricum III. Imperatorem tulit Gregorius VII. scribit *Gregorium VII. amore singulari Henricum Regem complexum esse, nec in eum severitatem exercuisse nisi tentatis omnibus benevolentiæ, mansuetudinisque mediis, ejus litteræ, & illorum temporum historiæ demonstrant.*

Item art. 4. hæc addit. *Henricum Regem tam sæpe, tam amanter, tam paterne per epistolas, per legatos, per Agnetem Augustam matrem admonitum, rogatum, reprehensum de Simonia, de usurpata Episcopatuum donatione, de patrocinio excommunicatis impenso, de libidine, de crudelitate,*

te, Tyrannide, cum non solum in sceleribus perseverare, non solum suas admonitiones, preces, increpationes, minas, & Sedis Apostolicæ decreta contemnere; non solum contumeliis Christi Vicarium, & Sancti Petri successorem insectari, sed Schisma facere, Germaniaque Episcopos quamplures, & Longobardiæ non paucos ab obedientia sua abstraxisse, videret Gregorius VII., diutius dissimulare non debuit, sed armis spiritualibus, quæ Christus Ecclesiæ suæ reliquit, Ecclesiam suamque dignitatem tueri, & anathemate confodere cum Regem ipsum, tum schismatis incentores. Hæc satis superque sunt pro justis Summi Pontificis vindiciis adversus inepta dicteria.

Alteram *in tit. libri prohibiti* sic expressam habes. *Cœtus*, inquit, *inquisitionis Romanæ expresso Pauli IV. mandato, cui ejus successores multum adjecerunt, in numerum librorum prohibitorum referendo omnes eos quorum doctrina, non modò fidei & bonis moribus adversabatur, sed etiam eos qui aliquid ultramontanorum juribus animo perceptis, circa puncta meræ disciplinæ contrarium complectebantur. Hujuscemodi Cathalogum Romæ anno 1683. jubente Innocentio XI. editum habemus, qui continet appendicem usque ad annum 1696. volumen est in duodecim 393. paginarum, quarum multa plusquam 40. genera operum a Tribunali Inquisitionis damnatorum continent. Quo in volumine plurimi præstantes libri in prohibitione generali implicantur. Tales sunt liber de Schismate, Cardinalis Zabarellæ, qui in eo æquos Pontificis potestati fines constituit. Opera D. de Launoi, plura volumina Historiæ Patris Maimbourg: Institutio ad jus Ecclesiasticum à D. Abbate Fleury: pluresque etiam theses à Procuratore facultatis Theologiæ Parisiensis approbatæ, ac in Sorbona nemine se interponente propugnatæ. Verùm hi omnes cathalogi (in Gallia) nullum locum habent, ubi quidquid Roma proficiscitur, absque codicillis à Rege impetratis in acta publica supremorum Regni Senatuum relatis non accipitur*. Hæc opera sunt; quæ (plaudentibus hæreticis) Pontasius laudat, ac passim in suo dictionario citat; damnantque sanæ mentis Theologi. Cætera Pontasiana errata, sive de Apostolicæ Sedis prohibitionibus, sive de Ecclesiastica immunitate agatur, collecta videri possunt ac emendata initio ejusdem dictionarii, tum editionis Augustanæ anno 1733., tum editionis Venetæ anno 1738.

Historiam Congregationum de auxiliis divinæ gratiæ (quam, Gerberonio, & Quesnello plaudentibus Serrius primo edidit, vulgavitque sub nomine Augustini le Blanc) non adhuc Apostolica Sedes in specie prohibuit. Non sic inquisitio Regnorum Hispaniæ, quæ vix illam editam damnavit anno 1701., utpotè propositones continentem *scandalosas, seditiosas, injuriosas Summis Pontificibus, Sanctæ Inquisitioni: magno Inquisitori, illustribus viris &c.*; uti videre est apud Danielem *Epistola* 1. ad Serrium; Memorias Chronologicas dogmaticas *t. 1. pag.* 176.; Bibliothecam Jãsenianam *t. 1. pag.* 256. *editionis* 3. Jansenianis hoc grave fuit; scribit enim Krysius ad Brigodæum Quesnelli Achatem die 3. Junii anno 1702. *Pater Serry multum instat, urgetq; ut secunda editio curetur Historiæ Congregationum. Librum recepit novum, quo impugnatur, discitque ex eo, ab Inquisitione Hispaniæ damnatam fuisse Historiam suam. Pater Delbecque censet non expedire, ut ad eum mittan-*

tantur extracta ex Republica litteraria, *quæ nata sunt*, *inquit*, *affligere hominem*. *Dubito ego*, *an afflictionis sit admodum capax &c.* Immo & trepidabant ne etiam Romæ Serriana damnaretur Historia; hoc indicant Uvalloni litteræ ad Quesnellum datæ anno 1698. die 13. Decembris, *absque dubio*, inquit, *causa Arnaldina censuram evadet facilius*, *quam Historia de Auxiliis*.

Plura sunt in hac Historia castiganda; uti videre est apud Livinium Meyerum tum in *Historia controversiarum de Auxiliis* edita sub nomine Eleuterii anno 1705., tum *in Historia controversiarum de Auxiliis vindicata*, quæ anno edita est 1715. Sed illud intolerabile, quod Serrius habet Historiæ *lib.3. cap.46. col.557.* de Calvinianis jam bene sentientibus de gratia efficaci, *emollitisque*, *Magistrorum suorum pristinis aberrationibus*, *ne dicam penitus explosis*, *ad Ecclesiæ doctrinam*, *eo saltem in capite*, *penè convolarint*; idque ex doctrina Calvinistæ Jurii ostendit: *unum tot inter Calviniana sectæ Principes audire sat est P. Jurieu*: quid Jurius dicat audiamus; assignat illius verba Serrius, *Gratiam enim prævenientem*, *determinantem*, *atque etiam irresistibilem*, *profitentur Ecclesiæ nostræ*: *credimus scilicet nos ad singulos actus bonos Spiritus Sancti gratia præveniri*, *& ad bonum speciali efficacia determinari*, *quæ in Electis Victrix semper sit*: *firma porrò fide profitemur*, *eam divinæ gratiæ energiam*, *qua voluntas ad bonum necessario determinatur*, *libertatem* (scilicet coactione) *minimè lædere*; sic Jurius de natura, & gratia *cap. 9.*: Catholicènè sentit, qui gratiam admittit *Irresistibilem*, *semper in Electis victricem*, atque ad bonum *necessario* determinantem? Idque Serrio non casu excidisse videtur; cùm idem habeat (ejus librum *Theologia supplex* pro nunc omittimus) in *lib.* contra Launoyum *pag. 23.*, ubi latè propositionem hanc propugnat, *Homo lapsus indeclinabili*, *& insuperabili gratia eget*, *ut bonum agat*, *ob eam naturæ infirmitatem*, *in quam primi parentis peccato incurrit*: gratia *indeclinabilis*, gratia *insuperabilis*, gratia *irresistibilis* idem est. Non sic Sacrum Concilium Tridentinum, in quo *sess.6. cap 5.*, *& Can. 4.* asserentibus liberum arbitrium gratiæ efficaci *neque posse dissentire*, *si velit*, dictum est anathema: Concilium hic loqui de gratia efficaci, non est dubitandum; cùm de gratia loquatur, quam petimus à Deo cum dicimus, *converte nos Domine ad te*, *& convertemur*; tum quia de hac sola loquebantur, quos damnat, hæretici. Quæ Serrius opponit, doctè Meyerus solvit *Historia vindicata lib.3.cap.19.*, ac Daniel *Epistola 1.*, *& 3. ad Serrium*, *& tract. de gratia efficaci part.2.cap.3.*

Si petas, quam mereatur Serriana hæc Historia fidem? dico, nullam; Cum Actis Congregationum de Auxiliis (quibus tota hæc Historia consarcinata est) Summo Pontifice declarante, nulla sit fides adhibenda; ut in allato decreto Innocentii X. die 23. Aprilis 1654. expressum est, ibi, *Sanctitas Sua declarat*, *ac decernit*, *prædictis actis &c. nullam omninò fidem esse adhibendam*; *neque ab alterutra parte*, *seu à quocunque alio allegari posse*, *vel debere*: immò cum Serrius acta illa in auctoritatem adducat, quæ Pontifex nullius esse auctoritatis, ac nulla digna fide pronunciat, vetatque *allegari posse*, *vel debere*; videtur illius opus, quantum est ex hoc Capite, saltem in genere ab Apostolica Sede prohibitum. Pontificem ibi loqui de fide authen-

thentica, ac judiciali, secus autem de fide historica, quam illis nemo denegare potest; ait Serrius: sed male; cum verba illa absolutè, & ulla sine limitatione prolata, *nullam omninò fidem esse adhibendam*, quid amplius significent: siquidem Summus Pontifex, inutilia, ac perniciosa illa, quæ circumferuntur, Congregationum de Auxiliis acta supponit; alias ad quid inter multa, quæ prohibet Jansenianorum opera, acta illa nullius esse auctoritatis, & nullam omninò fidem mereri pronunciat; & quibuscunque eadem allegare vetat? Adde, an Acta illa fidem faciant authenticam, ac judicialem nunquam fuisse disputatum; sed solùm de illorum historica fide aliqui dubitarunt: de hac ergo fide intelligenda decisio.

Serrius instat, votum tredecim Theologorum in examine quinque propositionum Jansenii, pari modo nullius esse auctoritatis, & nullam omninò fidem illi adhibendam esse, declarat Alexander VII., in allato decreto die 6. Septembris anno 1657.; vetatque allegari posse; quis tamen, votum illud historicam mereri fidem, negabit? Contra, negant omnes qui rectè sapiunt; cum & inter Jansenianorum opera Pontifex votum illud expressè prohibeat; & quidem meritò, constat enim, Dominum Vizzani Assessorem Sancti Officii facta collatione suffragiorum impressorum cum originali Processus Verbalis, deprehendisse in tredecim Consultorum suffragiis Pontifici oblatis die 3., & 5. Februarii anno 1653., & die 10. Martii ejusdem anni coram ipso Pontifice confirmatis, scripta fuisse verba hæc, *in sensu Jansenii est erronea*, aut *hæretica*, aut *hæresi proxima*; quæ omissa fuerant in sex Consultorum suffragiis circa primam propositionem, prout illa Jansenistarum operâ impressa fuerunt anno 1657.

Eadem est ratio, Serrius inquit, de his Actis, quam de cæteris declarationibus Sacræ Congregationis; de quibus anno 1631. die 2. Augusti jubente Urbano VIII. Sacra Congregatio decidit, nullis illarum *fidem esse in judicio, & extra adhibendam, sed illis tantum, quæ in authentica forma, solito sigillo &c. munitæ fuerint*; quo tamen non obstante, à Scriptoribus fide dignis passim allegantur. Contra, latum est inter utrumque discrimen, cum hujus decreti verba ad authenticam, ac indubitatam fidem sint expressè limitata; secus autem cum de Actis agitur Congregationum de Auxiliis, ut visum est: decreta Congregationum, si originalia sint, indubitatæ sunt fidei, & publica auctoritate servantur; non sic quæ circumferuntur Acta, quibus nulla omninò adhibenda fides, sive exemplaria sint, sive originalia, ut habetur in decreto Innocentii, ibi *& Autographo, sive exemplari prædictæ assertæ constitutionis Pauli V. nullam omninò fidem esse adhibendam*; & quæ nunquam aliqua fuerunt publica auctoritate custodita. Cætera in hac materia prosequuntur Platellius *part. 2. à num.* 597.; Memoriæ Chronologicæ dogmaticæ *tom. 1. à pag.* 71., *&* 165. Memoriæ Trevoltinæ anno 1725. *à pag.* 1021., & anno 1727. *à pag.* 1723.; Meyerus, Annatus, Henao.

APPENDIX XXXIX.

INTER NOVAS *Post num. 656. tom. 2.*

De Confessariis sollicitantibus.

CONstitutionem Gregorii XIII. confirmat, explicat, ampliat in sua Bulla Benedictus XIV. data hoc anno 1741. die 1. Junii incipiente *Sacramentum Pœnitentiæ* per hæc verba *dudum quidem à fel. rec. Gregorio Papa XV. Prædecessore Nostro per suas literas in forma Brevium sub datum Romæ apud S. Mariam Majorem die* XXX. *Augusti MDCXXII. Pontificatus sui anno secundo, sapienter provisum fuit contra quoscumque Sacerdotes audiendis Confessionibus deputatos ad turpia, & inhonesta sollicitantes; Et deinceps successivis temporibus ad earum literarum interpretationem, ac declarationem plura subindè à Congregatione Vener. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum sub die* XI. *mensis Februarii anno Domini MDCLXI. prodierunt decreta, & à rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter Prædecessore Nostro in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis die* XXIV. *Septembris MDCLXV. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & dissonas propositiones, sexta videlicet & septima, huc revocandæ, damnatæ, & prohibitæ fuerunt; Nos itaque maturè perpendentes quanti momenti sit ad æternam animarum salutem ea ubique exactè observari, & quanti ad infirmas Oves curandas, & decorem S. Ecclesiæ Dei retinendum intersit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefariè abutentes Pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se à Christo Domino Præsides, & Judices animarum constitutos, ea sanctitate, qua sublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra præfatas literas hujusmodi, ac omnia, & singula decreta prædicta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata Apostolica Auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; Atque etiam, quatenùs opus sit, denuò committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum universi Orbis Christiani in suis respectivè Diœcesibus, ut diligenter omnique humano respectu postposito inquirant, & procedant contra omnes, & singulos Sacerdotes tàm Sæculares, quàm Regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum, & cujuscumque Dignitatis, & Præeminentiæ, aut quovis Privilegio, & Indulto munitos, qui aliquem*

Pœ-

Pœnitentem , quæcumque persona illa sit , vel in actu Sacramentalis Confessionis , vel antè , vel immediatè post Confessionem , vel occasione , aut prætextu Confessionis , vel etiam extra occasionem Confessionis in Confessionali, sivè in alio loco ad Confessiones audiendas destinato , aut electo cum simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta , & turpia solicitare , vel provocare , sivè verbis , sivè signis , sivè nutibus , sivè tactu , sivè per scripturam , aut tunc , aut post legendam tentaverint , aut cum eis illicitos , & inhonestos sermones , vel tractatus temerario ausu habuerint ; Et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint , in eos pro criminum qualitate , & circumstantiis severè animadvertant per condignas pœnas juxtà memoratam Gregorii Prædecessoris Nostri Constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus : Dantes etiam , si opus sit , & rursus concedentes facultatem , ne delictum tam enorme , & Ecclesiæ Dei injuriosum remaneat ob probationum defectum impunitum , jam aliàs in præfata Constitutione tributam procedendi cum Testibus etiam singularibus, dummodò præsumptiones , indicia , & alia adminicula concurrant .

Meminerint prætereà omnes , & singuli Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti teneri se , ac obligari suos Pœnitentes , quos noverint , fuisse ab aliis , ut supra , solicitatos sedulò monere juxtà occurrentium casuum circumstantias de obligatione denunciandi Inquisitoribus, sivè Locorum Ordinariis prædictis Personam , quæ solicitationem commiserit , etiamsi Sacerdos sit , qui jurisdictione ad absolutionem validè impertiendam careat , aut sollicitatio inter Confessarium , & Pœnitentem mutua fuerit , sivè sollicitationi Pœnitens consenserit , sivè consensum minimè præstiterit , vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit , aut sollicitatio à Confessario , non pro se ipso , sed pro alia persona peracta fuerit . Caveant insuper diligenter Confessarii , ne Pœnitentibus , quos noverint jam ab alio sollicitatos , sacramentalem absolutionem impertiant , nisi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes delinquentem indicaverint competenti Judici , vel saltem se , cum primùm poterunt , delaturos spondeant , ac promittant .

Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti , vel aliorum impiis suasionibus , aut promissis , aut blanditiis , aut minis , aut alio quovis modo incitati , tremendo Dei judicio posthabito , & Ecclesiæ auctoritate contempta , innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falsò sollicitationis insimulant : Ut igitur tam nefaria audacia , & tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur , quæcumque persona , quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit , vel per seipsum innocentes Confessarios impiè calumniando , vel scelestè procurando , ut id ab aliis fiat , à quocumque Sacerdote quovis privilegio , auctoritate , & dignitate munito , præterquam à Nobis , Nostrisque Successoribus , nisi in fine vitæ , & excepto mortis articulo spe absolutionis obtinendæ , quam Nobis , & Successoribus prædictis reservamus , perpetuò careat .

Demùm magnopere cupientes à Sacerdotalis Judicii , & Sacri Tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem , & Sacramentorum con-

temptum, & Ecclesiæ injuriam longè summovere, & tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, & quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam Dæmonis potiùs, quam Dei Ministri loco eas per Sacramentum Creatori suo, ac Nostro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefariè submergunt, nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquorum in Theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum à pluribus Espicopis per Synodales suas Constitutiones jam factum esse novimus omnibus & singulis Sacerdotibus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus cujuscumque Ordinis, ac Dignitatis, tametsi alioquin ad Confessiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, & Indulto, etiam speciali expressione, & specialissima nota, & mentione digno suffultis, Auctoritate Apostolica, & Nostra Potestatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremæ necessitatis, nimirùm in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum Decalogi Præceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeò quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omninò sit, tamquam impertita à Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad validè absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per præsentes has nostras adimere intendimus: & nihilominùs si quis Confessarius secùs facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, à qua absolvendi potestatem Nobis solis, Nostrisque Successoribus dumtaxàt reservamus, ipso facto incurrat: Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet Indulti Confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, & in hoc casu nullus Confessarius, utpotè qui in hujusmodi peccati, & Pœnitentis genere jurisdictione, ut præfertur, careat, & absolvendi facultate à Nobis privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo, & approbato. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis præsertim, quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi Universalis, & plenarii, nec non quibusvis Ecclesiarum, & Monasteriorum, & Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis; Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes hac vice dumtaxàt specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque &c.

Nullus ergo Confessarius sui complicem in re venerea absolvere potest, nec in mortis articulo alio præsente Confessario, sive Parochus sit, sive Privili-

vilegiatus; cum *de omnibus, & singulis Sacerdotibus*, & quocunque privilegio non obstante, hoc sit in Bulla dispositum: alias irrita, ac nulla erit Absolutio, *nulla, atque irrita omninò sit*, ait ibi Pontifex. Neque ad periculum infamiæ vitandum Parochus in eo casu absolvere posset; cum infamiæ periculum nullam conferat jurisdictionem, qua proculdubio relatè ad tale peccatum Parochus ille caret. Quid ergo hoc stante periculo faciendum? Effugia non desunt, ut si Parochus Confessariis dicat adstantibus, *absolvite Infirmum, ad Viaticum, vel ad Sacrum Oleum deferendum accurro*. At si nullus esset tergiversandi locus, & non absolvendo, nullo posset modo infamia vitari; tunc, etiam aliis præsentibus Confessariis, Sacramentali Confessione audita, pœnitentem absolvere posset, directè quidem à cæteris peccatis, indirectè verò ab illo, in quo fuit ipse Complex, & imposito pœnitentis onere legitimum adeundi Confessarium, cum tempus dederit, pro directa absolutione peccati: ad eum planè modum, quo simplex Confessarius pœnitentem casum habentem reservatum, inabsolutum minimè relinquit, si absque mortis periculo, vel infamiæ dimitti non possit.

Quid si non alii Confessarii præsentes essent, sed simplices tantum Sacerdotes? Tunc Moribundum, etiam directè absolvere posset; cum solum pro casu, quo alii præsentes sint Confessarii, sic Bulla disponat; ut verba illa demonstrant, *qui Confessarii munus obire possit*: Sciebat quidem Pontifex omnem simplicem etiam Sacerdotem, approbatum esse pro mortis articulo; satis illi dicere fuisset, *& deficiente tunc quocunque alio Sacerdote*; cum ergo statim alia illa verba superaddat, signum est, inter Sacerdotem simplicem, & Confessarium esse in casu nostro distinguendum; alias inutilis, ac superflua illa foret additio; sumus quoque in pœnalibus, ac odiosis, in quibus mitior facienda est interpretatio; aliàs, si Sacerdotes præsentes hæretici essent, vel excommunicati vitandi, idem dicendum esset, cum etiam veri sint ipsi Sacerdotes; quod certè in casu nostro nullus admittet.

Confessarius sui complicem in furto, aliisque criminibus absolvere potest; cum sola peccata in re venerea; & contra sextum decalogi præceptum excipiantur in Bulla. Secus dicendum, si de carnali copula, etiam imperfecta, vel de seminis emissione agatur (quibus & impudicas locutiones, tactus, oscula viri docti accensent); cum revera sint *peccatum turpe, atque inhonestum contra sextum decalogi præceptum*: quod ad omnes tractatus venereos, si altera pars consentiat, extendit Ciera de casibus reservatis in diœcesi Neapolitana *dissert. 9. num 1., & 6.*, etiam ad consilium, vel auxilium dantes; cum venereos tractatus habentes, dicantur impudicè versati; adeoque & inhonestum committere peccatum contra sextum decalogi præceptum.

Berta rem habuit cum Paulo, qui ad Sacerdotium deinde assumptus, Confessiones audiendi facultatem excepit; poterit ne Paulus Bertam ab illo peccato absolvere? nequaquam; cum reverà à peccato contra sextum decalogi præceptum tunc absolveret, cujus ipse fuit complex. Quid si Berta peccatum illud, à quo jam fuerat per alium Confessarium absoluta, confiteatur deinde Paulo? Ab ipso absolvi poterit; cum prima absolutione dimissum fuerit peccatum, ac omnis ablata reservatio: universalis hoc do-

cet Ecclesiæ praxis. Complicem in re venerea bona fide etiam non reservata confitentem Confessarius absolvat; eritnè absolutio hæc valida? Quoad absolutionem directam à non reservatis, valida quidem erit, quamvis illicita, si nulla necessitate urgente detur; quoad reservatum verò absolutio directa invalida erit, ac nulla. Confessarius ex malitia sui complicem in re venerea sic absolvens, incurritne in excommunicationem Summo Pontifici in hac Bulla reservatam? Incurrit utique, si directè ab omnibus illis peccatis absolvere velit; cum sit in Bulla expressum: secus autem, si solum à non reservatis absolvere intendat; cum à nullo sibi reservato Confessarius tunc ausus esset absolvere, sed solum à non reservatis; quamvis reservatum etiam foret per accidens ac indirectè dimissum: uti Appendice XVII. inter novas explicatum est.

APPENDIX LX.

INTER NOVAS *Post num. 34. tom. 3.*

An possint hodie Regulares vi suorum privilegiorum extra communia ordinationum tempora ordinari.

POsse Regulares absque novo Apostolico Indulto extra tempora ordinari, Recentiores aliqui negarunt, Matthæucclus Officialis Curiæ Ecclesiasticæ *cap. 35. à num. 5.*, Monacelli in suo *Formulario*, Scarfantonius Canonicus Pistoriensis in recenti sua dissertatione de hac re, aliique. Sed audiendos non esse constat ex recentissimo Concilio Romano, quod habitum est anno 1725., præsidente Summo Pontifice Benedicto XIII., in quo hæc Regularium causa discussa fuit, atque decisa; sic enim Concilium habet *tit. 5. cap. 2.*; *Quo verò ad Regulares, privilegia à Summis Pontificibus habentes, sive expressè, sive per viam communicationis concessa, Sacros videlicet Ordines extra tempora suscipiendi; cum Privilegia ipsa in suo robore persistant, nec iis derogatum fuisse constet; decernimus proinde, Regulares eosdem absque novo indulto Apostolico, tutò posse extra tempora ordinari.* Universalissima hæc locutio, *sive expressè, sive per viam communicationis concessa*, satis ostendit, sermonem non esse de solis Privilegiis post Tridentinum concessis. Cum verò addit, quod *Privilegia ipsa in suo robore persistant, nec iis derogatum fuisse constet*, omnem excludit illorum, & maximè à Tridentino factam derogationem: immò & genuinam hanc esse Concilii mentem, praxis ipsa ostendit; cum statim inceperit bis singulis mensibus absque novo Apostolico indulto Romæ publicas Regularium Ordinationes haberi; sicque durante sui Pontificatus tempore Benedictus XIII. servandum esse voluit.

Idipsum ante Concilium Romanum invictissimè recentes Theologi, & Canonistæ probarunt, Reiffenstuel *tit. de temporibus ordinationum à n. 40.*; Sanning *eod. tit.*, *cap. 5. num. 2.*; Veranus *eod. tit. §. 5. num. 5.*; Dominus Lazari in dissertatione, cui titulus *Sensus brevis Bullæ Gregorii XV. &c.*

edi-

edita Lucæ anno 1716.; Joannes Preti à Cosentia in doctissima sua Epistola de hac re edita Ferrariæ anno 1715.; Sabinus Lucis Moralis *tract.* 48. *num.* 48.; Rotarius *tom.* 3. Theologiæ Regularium *lib.* 1. *cap.* 2. *pun.* 13. *à n.* 6., Henno de Ordine *quæst.* 8., Giribaldus *cap.* 3. *dubio* 5., Roncaglia *parte* 2. *cap.* 2. *quæst.* 4., Kellingerus *ad num.* 59., *supplementi* Reiff., Sporerus *cap.* 5. *num.* 121.; Kazenberger supplementi decalogalis *cap.* 1. *num.* 445.; Trotta in brevi expositione propositionum damnatarum *tract.* 1. *artic.* 36. *proposit.* 30.; Salmanticenses Morales *cap.* 4. *à num.* 82., Rosignolus *par.* 1. *de ordine quæst.* 11. *num.* 9., & innumeri apud ipsos. Et quidem omnibus indubitatum est, fuisse ante Concilium Tridentinum hæc Privilegia sive expressè, sive per communicationem Regularibus concessa: nec illis per Concilium Tridentinum derogatum fuisse, unquam ostendi poterit; immò non derogasse, fuit à Sacra Congregatione Concilii decisum apud Pignatellum *tom. ult. consultat.* 159. *num.* 3., Sporerum *cit. num.* 121., & Dominum Lazari *pag.* 45.; ait Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 8. *de reformat. Ordinationes Sacrorum Ordinum statutis à Jure temporibus publicè celebrentur*; at de Privilegiatis, vel de Privilegiorum derogatione nulla ibi mentio; quam proculdubio facere solet, cum etiam de Privilegiatis agit; uti videre est in sequenti *cap.* 13. ibi, *duo Sacri Ordines non eodem die etiam Regularibus conferantur*; statim addens, *privilegiis, ac indultis quibusvis concessis, non obstantibus quibuscunque*: idipsum ex eodem *cap.* 8. demonstratur in illis verbis, *Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur; nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendetur*. Non sic loquitur Concilium, cum de temporibus agit ordinationum: Regularium ergo privilegia quoad hoc intacta reliquit.

Dices, illa revocari privilegia *sess.* 25. *cap.* 22. de Regularibus, ubi Concilium, quæ dixerat epilogando, concludit, *Hæc omnia, & singula in Superioribus decretis contenta, observari Sancta Synodus præcipit omnibus Cœnobiis &c., non obstantibus eorum omnium, & singulorum privilegiis sub quibuscunque formulis verborum conceptis &c.*: eadem habentur in constitutione Pii IV. incipiente *In Principis* 94. in Bullario *tom.* 2., qua omnia, & singula Privilegia cassantur ante Tridentinum concessa, dum Concilio adversantur. Contra, nihil ad rem nostram; derogat ibi Concilium privilegiis adversantibus decretis in ea *sess.* 25. contentis; secus verò contentis in præcedentibus sessionibus; *in superioribus decretis contenta*, Concilium inquit, secus autem *in superioribus sessionibus contenta*: At demus de aliis etiam sessionibus locutum fuisse Concilium, in quo sensu certè loquitur in citata sua constitutione *In Principis* Pius IV.; quid inde? de illis decretis intelligendum est, in quibus de Privilegiatis aliqua fit dispositio; eaque sunt, in quibus, ut visum est, derogatoria habetur clausula Privilegiorum; secus verò de aliis decretis, in quibus de Privilegiatis nulla fit mentio, nullaque dispositio; sicque nulla sunt, quæ adversentur illis Privilegia. Unde & clarum est, Tridentinum in illis verbis, *Ordinationes Sacrorum Ordinum statutis à jure temporibus publicè celebrentur*, nullo modo Regularium derogasse Privilegiis, quibus illi possunt extra tempora ordinari; uti declara-

 vit

vit S. Pius V. in sua constitutione *Etsi Mendicantium* 41. in Bullario *tom.* 2. per hæc verba, *sessione* verò 23. *cap.* 8. *neminem nisi à proprio Episcopo ordinari posse statuens, in Regularibus locum non habere omninò declaramus &c.* idipsum agnovit in sua Bulla Gregorius XIII. incipiente *Pium, & Utile &c.* 77. in Bullario *tom.* 2., dum §. 1., & 2. nulla habita ratione de hoc Tridentini decreto, quosdam taxat Antistites, qui noluerunt societatis Alumnos ordinare juxta concessionem Pauli III. in Bulla *Licet debitum* 48. ejusdem Pontificis anno 1549. in Bullario *tom.* 1.; supponit ergo dictam concessionem à Tridentino non fuisse revocatam in *cap.* 8. *sess.* 23., quæ tredecim post annos habita fuerat die 15. Julii anno 1562. Pio IV. Romano Pontifice. Allatam Pii V. constitutionem revocavit Gregorius XIII. per suam Bullam *In tanta.* quæ est 9. in Bullario *tom.* 2.; sed quoad nova concessa Privilegia; qualis certè non erat explicatio mentis Tridentini, illis designata verbis *omninò declaramus*, & quam Gregorius ipse in *cit. sua constit.* 77. deinde fuit amplexus; aliàs immeritò nulla facta hujus decreti mentione, de illis doluisset Episcopis, qui abolitam à Tridentino concessionem observare nolebant.

At quæ de Tridentino dicta sunt, omissis, certum est Gregorium XIII. in cit. Bulla *Pium, & Utile &c.* data die 21. Septembris anno 1582. concessisse Regularibus Societatis Jesu, posse extra tempora tribus diebus festivis, sive continuis, sive interpolatis, Sacros Ordines, etiam Presbyteratum suscipere: Hoc ipsum Clemens VIII. deinde concessit die 23. Novembris anno 1596. Congregationi S. Joannis Evangelistæ in Portugallia; uti videre est apud Leandrum *disp.* 7. *de Ordine quæst.* 22.; Kazemberger, Rotarium, Reiffenstuel, Giribaldum, Salmanticenses; quod Privilegium oculis suis sese vidisse, testatur Portel in dubiis Regularium *V. Ordo n.* 4.: eamdemque gratiam à Pio IV. concessam Ordini S. Joannis Jerosolimitani in Bulla incipiente *Circumspecta*, 9. hujus Pontificis in *tom.* 2. Bullarii, S. Pius V., Gregorius XIII., Clemens VIII., aliique Pontifices confirmarunt; prout citatis singulorum Bullis ostendit Barbosa de officio, & potestate Episcopi *par.* 2. *allegatione* 4. *num.* 65. Possunt ergo Regulares privilegiorum communicationem habentes, qualem & Regulares omnes habent, eodem uti Privilegio, ac extra tempora ordinari; cum etiam post Tridentinum fuerit illis hæc gratia concessa. Idemque à fortiori dicendum de nostris Clericis Regularibus; quibus hæc omnia privilegia sunt æquè primò concessa à Gregorio XIV. summo Pontifice in Bulla incipiente *Quam uberes, & salutiferos fructus &c.*, quæ data est die 5. Aprilis anno 1591. Pontificatus sui anno primo (cujus antiquum authenticum exemplar servatur in Archivio S. Silvestri Romæ) ac tandem edita de mandato Benedicti XIII. anno 1726. die prima Septembris, per Bullam incipientem *Vita, & morum integritas &c.* In sua Bulla Gregorius concessa nobis privilegia à Clemente VII., Paulo III., Julio III., Paulo IV., & S. Pio V. in Bulla *ad Immarcescibilem vitæ æternæ* 31. hujus Pontificis in Bullario *tom.* 2., amplissimè confirmans, addit, *ut ultra privilegia, & alia sibi concessa prædicta, omnibus, & singulis aliis Privilegiis, exemptionibus &c., quibusvis Religionibus, Congregationibus, Ordinibus &c., per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac*

nos,

nos, dictamque Sedem Apostolicam hactenus quomodolibet concessis, & imposterum concedendis &c.; in his, quæ eorum Regularibus institutis non adversantur dumtaxat, non solum ad eorum instar, (nota verba) *sed æquè principaliter, ac pariformiter in omnibus, & per omnia, ac si eidem Congregationi, & Clericis specialiter, & expressè, concessa forent, uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant perpetuò, concedimus, & indulgemus &c.* Sunt ergo nobis Clericis Regularibus allata omnia privilegia non solùm ad instar, sed æquè primò concessa.

Nec refert, quod Gregorius XIII. in citata Bulla *Pium, & Utile* expresè prohibeat hujus privilegii communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum Jesuitis *copiosè participant*: & Urbanus VIII. in Bulla *cum sicut* 44. in Bullario *tom.* 4. Fratribus Minoribus de Observantia in partibus Indiarum Occidentalium id indulgeat; sed cum particula taxativa, ibi *tantum existentibus*. Cum hoc ipsum nobis Clericis Regularibus sit æquè primò concessum; immò nec aliis id officere Regularibus, latè citati Auctores ostendunt; siquidem quam communicationem in privilegiis Gregorius, & Urbanus denegarunt, alii concessere Pontifices: potuitne Gregorius XIII. impedire, ne Clemens VIII., & Gregorius alter etiam aliis hæc privilegia darent? Concessere quidem aliquibus cum limitatione Gregorius XIII., & Urbanus VIII., ut possent extra tempora ordinari: sed alios spoliare noluerunt hoc habentes privilegium; aliàs & Bulla Urbani etiam Gregorianæ constitutioni pro Jesuitis editæ derogasset; quod nec ullus admittet. Quæ in oppositum adducitur Bulla Sixti V. *Sanctum, & salutare* 91. dicti Pontificis in Bullario *tom.* 2. contra malè promotos, ad rem non facit; cum ordinati extra tempora ex privilegio, non sint malè promoti; alias & privilegio à Gregorio XIII. Jesuitis concesso, ut possent extra tempora ordinari, derogatum esset, quod nullus admittit: adde Sixtinam hanc Bullam moderatam fuisse, atque ad terminos juris communis, & Concilii Tridentini, gravissimis de causis, reductam à Clemente VIII. in Bulla incipiente *Romanum* 40. hujus Pontificis *tom.* 3. Bullarii, pœnas si excipias contra Simoniacè Ordinantes, & Ordinatos. Praxis etiam Regularibus favet, qua extra tempora ordinari solent, quamque ferè omnes Auctores de sua Religione testantur; sic de nostra testatur Diana *tom.* 2. *tract.* 5. *resol.* 86., & 87., sic de suis Minoritis Aversa *q.* 3. *sect.* 9.; sic de suis Barnabitis Rotarius, ac Giribaldus; sicque de aliis Joannes à Cosentia, Trotta, Lazari, aliique. Cui minimè altera praxis opponitur, qua videmus hujusmodi gratias in dies à Regularibus peti, ut possint extra tempora ordinari; cum ad pacem servandam hoc fiat, litesque vitandas; nec enim in privilegio Regularium admittendo, ut possint extra tempora ordinari, Episcopi omnes conveniunt.

Quod verò sæpèsæpius Sacra Congregatio decreverit, ut abstineant Ordinarii ab ordinando extra tempora Regulares, nisi prius privilegia ostendant: meritò factum est, cum justum sit, ac sanctum, perspicere legem; nec aliter de Privilegiis, quàm eorum tenore inspecto judicandum, ut in *cap.* 7. *de Privilegiis* Ambianensi Episcopo rescribit Alexander III., in illis verbis, *quod totum ex inspectione Privilegiorum plenius advertere potes; & secundum*

dum quod inveneris, ita observes: Regularium omnia privilegia scire non tenentur Episcopi; sed illis patefactis, ad illorum executionem sunt Regulares admittendi; nec unquam de Regularium ordinationibus extra tempora fuit oppositum à Sacra Congregatione decisum. Hinc & tutum esse Regulares extra tempora ordinari, sentiunt innumeris Auctoribus congestis scriptores omnes allati; inter quos Canonistarum facilè princeps Barbosa, 2. *part. de potestate Episcopi allegat.* 17. *num.* 6., & alibi; & qui fusè, ac doctè de Regularibus scripsit Donatus *in praxi Regularium tom.* 3. *tract.* 3. *q.* 26.

APPENDIX XLI.

INTER NOVAS *Post num.* 186. *tom.* 3.

AC

DISSERTATIO V.

Selectiora quædam de Sacris Ordinationibus.

I. SAcerdotis ordinationem verum esse Sacramentum fides docet; & Polemici omnes cum Bellarmino probant; *si quis dixerit* (definit Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 23. de Sacramento Ordinis *Can.* 3.) *ordinem, sive Sacram ordinationem non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum &c.; anathema sit*: Scriptura docet, Concilia, Patres apud Bellarminum. Certum est quoque Sacramentum esse Diaconi ordinationem; ut contra Durandum, & Cajetanum docent Theologi omnes, Tournely, Boucat, Simonnet, Jueninus latissime hoc probantes: siquidem in Ecclesia Latina verbis illis ordinantur, *Accipe Spiritum Sanctum*, quæ manifestè gratiam denotant ex opere operato ex Tridentino *sess.* 23. *Can.* 4. *si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopus dicere Accipe Spiritum Sanctum &c. anathema sit*: cum S. Cyprianus in Epistola ad Rogatianum ait, *Diaconos post Ascentionem Domini in Cælos Apostoli sibi constituerunt, Episcopatus sui, & Ecclesiæ Ministros*; de ordinatione loquitur Diaconorum, secus autem de hujus ordinationis institutione: In Epistola III. sub nomine Anacleti, cum dicitur, *Amplius quàm isti duo ordines* (Episcopatus nempè; & Presbyteratus) *nec nobis à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt*, de solo intelligendum est ordine Sacerdotali; dixerat enim *Sacerdotum Ordo bipartitus est*. Nec melius opponit Samuel Basnagius *tom.* 1. *Annalium pag.* 448. electos ab Apostolis fuisse Diaconos solum ut mensæ communi ministrarent: cum oppositum apertissimè constet tum ex allatis Cypriani verbis; tum ex Sacro ritu, quo fuerunt ab Apostolis ordinati *Actorum cap.* 6. nempè per certam orationem, & manuum

Impo-

Impositionem, *& orantes imposuerunt eis manus*; tum ex ipso Divo Hieronymo *epistola* 85. dicente, *& ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron, & filii ejus atque Levitæ in templo fuerunt; hoc sibi Episcopi & Presbyteri, & Diaconi vendicant in Ecclesia*: quis autem ignorat, Levitas ministros fuisse Sacrificiorum? nec refert, quod Diaconos ante vocaverat, *mensarum, ac viduarum ministros*: cum ad hoc secundariò solum fuerint electi.

II. Subdiaconi Ordinationem Sacramentum esse, plures hodie negant juniores cum Morino, Simonnet, Boucat, Tournely: sed affirmandum est cum Frassen, Henno, Dupasquier, Sporero, Gonet, Salmanticensibus, Reiffenstuel, Catalano, Sabino, & communissima Theologorum sententia cum Divo Thoma, Divo Bonaventura, Scoto, cum quibus & Scholæ omnes; asserentes idem de Ordinibus Minoribus, Acolytatu, Exorcistatu, Lectoratu, & Ostiaratu: sic Giriballus *tract.* 9. *cap.* 1. *dub.* 3., Clericatus *decis.* 6., & allati omnes, cum Pitellio *à num.* 995. Siquidem S. Hieronymus *lib.* contra Vigilantium inquit: *Episcopum Diaconos, aliosque Clericos ordinantem, Christi Sacramenta tribuere*: S. Augustinus *lib.* 2. contra epistolam Parmeniani *cap.* 13. *explicent quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum Ordinati possit amitti, si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo negat, cur illud non amittitur, & istud amittitur*? ubi Augustinus ut nullum excipit baptismum a ratione Sacramenti, sic & nullum excipit Ordinem; Subdiaconatus autem, aliique Ordines Minores, veri sunt Ordines, & qui reiterari non possunt.

Concilium generale Chalcedonense *Act.* 15. *Can.* 2. dicit; *si quis Episcoporum, accepta pecunia, Ordinationem fecerit, & sub pretium deduxerit inextimabilem gratiam, &c.*; excipiturnè aliqua Ordinatio in illis verbis, *Ordinationem fecerit*? certè nulla, ut enim singulæ Ordinationes factæ *accepta pecunia*, prohibentur; sic & *inextimabilem gratiam* omnes causant; adeoque singulæ Ordinationes sunt Sacramentum. Concilium Carthaginense 4. habitum anno 398., cui interfuerunt Episcopi ducentiquatuordecim, inter quos S. Augustinus, ut certum habens singulos septem Ordines Sacramentum esse pro singulis septem Ordinibus: materiam, formam, ac Sacrum Ministrum æquè ac ipsi Sacerdotis Ordinationi assignat, *Can.* 3. *ac seqq.* Concilium Florentinum in decreto Eugenii, *Sextum Sacramentum* (inquit) *est Ordo; cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo; sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & patenæ cum hostia porrectionem: Diaconatus, &c.: & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem, &c.: prout in Pontificali Romano*: quid clarius? & Concilium Tridentinum *sess.* 23. *Can.* 3. definit, Ordinem esse Sacramentum, ubi certè de illo loquitur Ordine, quem immediatè ante in *Can.* 2. diviserat in Ordines Majores, ac Minores; & in præcedenti *cap.* 2. in septem diviserat Ordines: quos omnes a Christo Domino institutos agnoscit *Can.* 6., *si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina Ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris: anathema sit*: Ubi certè Concilium indefinitè loquitur; & inter Ministros mediatos, & immediatos minimè distinguit.

Nec

Nec dicas, si etiam Ordines Minores sunt Sacramentum, omnes Ordines erunt Ordines Sacri; quid enim Sacramento ipso sacrius? Item singuli Ordines sunt Sacramentum; erunt ergo Sacramenta plusquam septem, quod esset hæreticum: Item Acolythus non ab Episcopo, sed ab Archidiacono ordinabatur, ex *Can.* 6. Concilii Carthaginensis 4. Item Ordines Minores non sunt à Christo instituti, sed ab Ecclesia. Contra ad primum, cum singuli Ordines sint Sacramentum, omnes sunt Sacri quoad se, sed non omnes Sacri sunt relatè ad materiam, circa quam versantur; *Ordo Sacer dicitur dupliciter* (inquit Angelicus Doctor in *Supplemento quæst.* 37. *artic.* 3.) *uno modo secundum se; & sic quilibet Ordo est Sacer, cum sit Sacramentum quoddam: alio modo ratione materiæ, circa quam habet aliquem actum; & sic Ordo Sacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam: & sic sunt tres tantum Ordines Sacri, &c.* Ad secundum, septenario Sacramentorum numero non obstat, quod singuli Ordines sint Sacramentum; sicuti non obstat, quod Eucharistia sit sub utraque specie Sacramentum, & quod nedum Sacerdotium, etiam Sacramentum sit Diaconatus; siquidem unitas generica, ordinis, ac finis, Sacramenti salvat unitatem. Ad tertium, ab Episcopo ordinatur Acolythus, non ab Archidiacono; *Acolythus cum ordinatur* (ait *Canon* 6.) *ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat: sed ab Archidiacono accipiat Ceroferarium cum Cereo, &c.*: Cum enim ordinabatur Acolythus, Ceroferarium cum Cereo prius ab Archidiacono, deinde ab Episcopo accipiebat cum formæ debitæ prolatione, per quam de suo officio, ac potestate, ab Episcopo docebatur; uti videre est in duplici Pontificali nono sæculo exaratis apud Clericatum *decis.* 9. *num.* 15. Morinum *part.* 2. *pag.* 259., & Martene *de antiquis Ecclesiæ ritibus cap.* 8. *artic.* 8. *num.* 14.. Ad quartum, Ordines Minores à Christo non fuisse institutos, falsum est: quas enim adduximus rationes oppositum probant: tempus si quæras institutionis, illud est, quo & Diaconatum instituit; nempè quando Sacerdotium (in quo omnes eminenter sunt Ordines contenti) institutum fuit. Nec refert, quod quæ faciunt Minoristæ, etiam a Laicis fieri possint; uti Morinus opponit: Cum hoc potius Ordines illos inutiles esse probet; quod impium est dicere: item ad summum evincit, Sacramenta non esse necessaria illos Ordines; tandem fieri posse a Laicis, admitto; non tamen ex officio, & vi Ordinis, ut a Minoristis, sed sola commissione fieri possunt: Sacramentum est Confirmatio; quamvis etiam non Confirmatus fidem contra Tyrannum fortiter defendere possit: dicinè posset ex hoc Confirmatio inutile Sacramentum?

III. Nec dubitandum, Ordines etiam Minores semper in Ecclesia fuisse; Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 2. *Presbyteratu, ac Diaconatu recensitis*, inquit, *ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii in usum fuisse cognoscuntur.* Idipsum perpetua traditio firmat; Patres ducenti quatuordecim, inter quos Magnus Augustinus, quarto sæculo testantur in Concilio Carthaginensi 4. anno 398., septem recensitos Ordines enumerantes, singulis Ordinibus propriam materiam, ac formam, & Sacrum Ministrum assignant, *Can.* 3. *& seqq.*, de illis, ut de re antiquissima,

& a

& a Patribus accepta, nihil innovando loquentes. Medio sæculo 3. de his septem Ordinibus distinctissimè, & nihil innovando loquitur Cornelius Papa in epistola ad Fabium Antiochenum apud Eusebium *Historiæ Eccl. lib. 6. cap. 35.* enumerans in Ecclesia Urbis Romæ, *Presbyteros quadraginta, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolythos quadragintaduos, Exorcistas, & Lectores cum Ostiariis quinquagintaduos*. Hinc Lectoratus, & Exorcistatus meminit sæculo 2. Tertullianus *lib. de præscriptionibus cap.* 41.: Lectoratus, & Acolytatus sæculo 3. Cyprianus meminit in suis epistolis 24., 42., & aliis; singulorum, Ostiariatum si excipias, Siricius, & Zosimus, Romani Pontifices meminerunt, primus in epistola ad Himerium Tarraconensem, alter in epistola ad Hesychium Salonitanum Episcopum: S. Hieronymus singulorum in suis epistolis meminit, ad Nepotianum, quæ est secunda; ad S. Augustinum, quæ est 91.; in Commentario *cap.* 2. epistolæ ad Titum: & in argumento primæ epistolæ ad Thessalonicenses, ut certum habet, Ordines Minores tempore fuisse Apostolorum; cum dicat epistolam illam per Onesimum Acolythum fuisse ab Apostolo missam. Unde & satis verisimile est illorum quoque meminisse Apostolum Paulum sub nomine *Diaconorum* ad Philippenses *cap.* 1. & nomine *Ministrationum* 1. *ad Corint.* 12. siquidem illarum vocum eadem est significatio, & *Diaconus* idem sonat, ac *Minister*. Cum ergo inquit Auctor libri de Ecclesiastica Hierarchia sub nomine Dionysii Areopagitæ, tres esse Ecclesiasticos Ordines, nempè Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, cæteri omnes inferiores Ordines veniunt sub nomine *Diaconi*.

Minores quosdam Ordines, nempè Acolythos, Exorcistas, Ostiarios numquam in Ecclesia Græca fuisse, contendunt juniores cum Morino, Martene, Juenino, Boncat, Tournely. Sed oppositum antiqua documenta ostendunt; & quidem jam adducta sufficerent, non enim de illis Ordinibus, ut de peculiari alicujus Ecclesiæ ritu loquuntur, sed illum non magis antiquum, quam universalem supponunt. Cæterum *de Acolythis* expresè meminit Eusebius de vita Constantini *lib.* 3. *cap.* 8. cum dicat, Concilio Nicæno innumeros interfuisse Presbyteros, Diaconos, Acolythos, aliosque Clericos; meminit quoque Joannes VIII. Summus Pontifex in epistola ad Basilium Imperatorem data anno 879.: *de Exorcistis, ac Lectoribus* meminit Concilium Antiochenum medio sæculo 4. habitum *Can.* 10.: *de Lectoribus, & Ostiariis* meminit Synodus Trullana sub Justiniano Imperatore anno 692. *Can.* 6.: *de Lectoribus, Ostiariis, & Exorcistis* meminit *Can.* 24. Concilium Laodicenum sæculo 4. habitum; sed quo anno disputatur apud Pagium, & Cabassutium, Bail, & Baronium. S. Epiphanius in expositione fidei *cap.* 21. cum Episcopis, ac Presbyteris Subdiaconos etiam nominat, *Exorcistas, & Janitores*: & Auctor epistolæ ad Antiochenos sub nomine S. Ignatii Martyris, cum Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis, etiam recenset *Lectores, Ostiarios, Exorcistas*. Nec Morini responsio valet, quod illa nomina non Ordines, sed officia significabant; cum Epiphanius etiam *Laborantes* ibi nominet, quorum erat mortuos sepelire, & Ignatius nedum *Laborantes*, sed etiam *Virgines, ac Viduas* ibi nominet. Non, inquam, valet, cum Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Lectores, nomina esse non Ordi-

Ordinis, sed officii, eâdem probari posset instantiâ; neutrum ergo vel utrumque probat; & quam afferunt ipsi disparitatem, & nos damus.

Nec te moveat, quod ait Auctor Constitutionum Apostolicarum sub nomine Clementis *lib.* 8. *cap.* 26. *Exorcistam non ordinari*; cum ibi de Exorcizantibus ex simplici commissione, loquatur; secus verò de Exorcizantibus ex officio, & vi Ordinis, de quibus clarè decisum est in Concilio Laodicæno *Can.* 26. per hæc verba, *hi qui non sunt ab Episcopis ordinati, tam in Ecclesiis, quam in domibus exorcizare non possint*. Dices, Clerus Constantinopolitanus in libello supplici ad Patres Ephesinos in causa Nestorii, rogant, *ut Scheda Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Lectoribus, nec non in Laicis ostendatur*: non ergo alii erant Clericorum Ordines. Nequaquam; cum neque de Subdiaconis ibi mentio fiat; quod si dicas illos venire sub nomine *Diaconi*; dicam ego, alios Minores Ordines sub nomine venire *Lectoris*. Dices, iterum, octava Synodus generalis habita anno 869. *Act.* 10. *Can.* 5. supponens quatuor tantum Ordines esse apud Græcos, statuit ad Episcopatum nullum esse promovendum, nisi *in Lectoris munere annum, in Subdiaconi duos, in Diaconi tres, in Sacerdotii quatuor annos expleat*. Contra, non de omnibus Græcorum Ordinibus loquitur ibi Concilium, sed de Ordinibus tantum probationis, in quibus immorari debebat, atque probandus, qui erat in Episcopum eligendus; notissima sunt verba Canonis. Quam probationem in Subdiaconis requisierat octava Synodus, tantum in Acolythis voluit Joannes VIII. in epistola ad Basilium Imperatorem, ibi, *volumus, ut talis promoveatur per singulos gradus Ecclesiasticos probatus, ut sit primum Lector, deinde Acolythus, postea Diaconus, tum Presbyter, post hæc Episcopus.*

Dices tandem, in nullis Græcorum Ritualibus (Achilleum hoc est Morini argumentum) mentio reperitur Acolythorum, Exorcistarum. Ostiariorum: quos certè minimè omisissent, si fuissent in usu. At satis Morino facit Cabassutius etiam ipse Presbyter Oratoriensis in Gallia, in notitia Ecclesiastica *diss.* 9. *num.* 3. circa finem, per hæc verba, *cum verò nonnulli negant esse nunc Græcorum ullos Ordines, quam Lectorum; si hoc ita sit, nuperum est, cum ex superius adductis priscorum Græcorum testimoniis, per omnem Græciam viguisse minores Hypodiaconorum, Lectorum, Exorcistarum, & Ostiariorum liquidò constet*. Recentes hos esse Græcorum Rituales, jam dicta demonstrant; & nonnisi post sæculum undecimum illis usi sunt Græci; cum neque Photius sæculo 9., neque Cerularius sæculo 11. implacabiles Romanæ Ecclesiæ hostes, Ordinum excessivam multiplicitatem unquam opposuere Latinis; uti & in aliis fecerunt, in quibus Ecclesia Latina non erat Græcæ conformis: nec ante sæculum 13. Romana Ecclesia hunc in Ordinibus defectum Græcis opposuit, constat ex Innocentio IV. in Epistola ad Otthonem Tusculanum Cardinalem Sedis Apostolicæ in Cypro Legatum, quæ data est anno 1254.; sic dicente. *volumus, & expressè præcipimus, quod Episcopi Græci septem Ordines secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferant; cum huc usque tres de Minoribus circa ordinandos neglexisse, vel prætermisisse dicantur: illi tamen, qui jam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem, in sic susceptis Ordinibus*

tole-

volerentur. Nihil ergo mirum, si in recentibus his Ritualibus Acolythorum, Exorcistarum, & Ostiariorum nulla sit mentio: cum quo benè stat, Græcam Ecclesiam nonnisi post sæculum undecimum illos Ordines omisisse; ut in dictis clarè fuit ostensum

IV. An traditio Instrumentorum, qua in Diaconi, ac Sacerdotis Ordinatione utitur Ecclesia Latina, etiam ipsa sit de Ordinationis essentia; dubium est; negant Juniores cum Morino, Martene, Cabassutio, Juenino, Boucat, Tournely, Goario, Menardo; putantes accidentalem, seu integralem esse Ordinationis materiam; cum non fuerit primis Ecclesiæ sæculis in talibus Ordinationibus adhibita; nec hodie, antequam completa sit Ordinatio, traditione Instrumentorum Græca utatur Ecclesia. Affirmat e contra communissima Theologorum sententia cum Simonnet, Frassen, Henno, Gonet, Salmanticensibus, Bellarmino, Clericato *decis.* 29., & 32.: aliisque innumeris. Et quidem meritò affirmant; cum a Concilio generali Florentino in decreto Eugenii IV. videatur expresè decisum his verbis; *sextum Sacramentum est Ordinis cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo. Sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patena cum hostia porrectionem; Diaconatus verò per libri Evangeliorum dationem; Subdiaconatus verò per calicis vacui cum patena vacua supposita traditionem; & similitèr de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem*. Sermonem hic esse de materia essentiali, secus autem accidentali, satis clarum est; cum pro Diaconi, ac Sacerdotis Ordinatione nullam aliam materiam assignet; est autem incredibile, materiam Ordinationis ibi ex professo edoceri, nullam essentialem materiam assignando; eo vel maximè quod eodem modo, iisdemque verbis, pro singulis Ordinibus traditionem Instrumentorum pro materia assignet Ordinationis; certumque sit pro cæteris quinque Ordinibus pro materia Essentiali illam assignari traditionem; ac talem esse, ex cit. Concilio Carthaginensi 4. 214. Episcoporum, *in Canon.* 5. 6. 7. 8., & 9. clarissimè constat. Nec cum aliquibus respondere valet, allatum Florentini decretum magni roboris non esse; cum editum fuerit postquam Græci discesserant. Cum pudeat responsionem impugnare; quam *tutam non esse, ac hæresim sapere*, testatur Arcudius *lib. 6. de Sacramentis cap.* 5.: Summæ auctoritatis allatum debet esse decretum; quod Summi Pontificis Eugenii IV. auctoritate emanatum universa, Latina saltem, acceptavit Ecclesia: eo vel maximè, quod jam fuerant a Concilio generali formata, quæ deinde sive Armenis, sive Jacobitis tradidit Eugenius: cum in Instructione Armenis data anno 1439. die 22. Novembris, testetur Summus Pontifex, se illam dare, *Sacro approbante Concilio Florentino*; & in illa Jacobitarum, quæ data est anno 1441. die 4. Februarii, expresè dicatur, *Sacro approbante Oecumenico Concilio Florentino*.

Quod habetur in Florentino de traditione Instrumentorum, longè ante docuerat Pontificale Romanum ex emendatioribus antiquis Ritualibus desumptum; in quo tum Diaconi, tum Sacerdotes ante Instrumentorum collationem semper vocantur *Ordinandi*. Nec dicas in antiquis Ritualibus a Morino, & Martene congestis, de traditione Instrumentorum altum est silentium; & satis est notabile, quod sæculo 14. scribit Durandus Episcopus

Aniciensis in 4. *dist.* 24. *quæst.* 3. ibi; *traditio libri in Ordinatione Diaconi non observatur in omni Ecclesia, unde secundum Ordinarium antiquissimum Ecclesiæ Aniciensis, cui præfuimus, liber Evangeliorum non tradebatur Diacono in Ordinatione sua; sed nos volentes nos conformare cæteris Ecclesiis, posuimus de manu nostra in margine dicti Ordinarii, quod liber Evangeliorum tradatur Diacono cum consueta forma verborum*: hæc Durandus de sua Aniciensi Ecclesia scribit. Contra, nullius auctoritatis esse possunt Rituales illi, quos Martene, ac Morinus adducunt; cum sive per Concilium Florentinum, ac Pontificale Romanum, sive per antiquissimos Rituales sint expresse reprobati; siquidem Pontificale Egberti Eboracensis Archiepiscopi; Pontificale Gemmeticense; & Pontificale Rotomagense, quæ 900. sunt annorum juxta Martene, traditionis libri Evangeliorum in Ordinatione Diaconi expresse meminerunt: eadem expresse habet antiquissimus Ordo Romanus, cum hac expressa forma in traditione libri ab Episcopo dicenda, *Accipe potestatem legendi Evangelium, &c.* De traditione Instrumentorum in Ordinatione Sacerdotis, idem expresse habent antiqui Rituales; Sacramentarium S. Gregorii, quod habetur inter ejus opera, & apud Morinum *part.* 3. *exercitat.* 7. *num.* 18., dicit cum de Ordine; *hoc facto, accipiat patenam cum oblatis, & calicem cum vino, & det eis dicens, Accipite potestatem offerendi Sacrificium Deo, &c.*: habentur hæc verba cum de Ordinatione agitur Episcopi; sed ex interpolatoris errore; cum non ad Episcopi Ordinationem, sed solum ad illam Sacerdotis competere possint, ac debeant: idem habet Ordo Romanus cum de Ordinatione Sacerdotis; hujus Ordinis antiquitatem ad sæculum 6. reducit Hittorpius in ejus præfatione ex Amalario; certe unà cum Sacramentario S. Gregorii hunc Ordinem 8. sæculo explicat Alcuinus. Quæ Durandus asserit, tria sunt, primum, *traditionem libri non observari in omni Ecclesia*, quod in Græcorum patet Ecclesiis. Secundum, quod in antiquo illo, ac reprobato Ecclesiæ Aniciensis Ordinario de hujusmodi traditione nulla sit mentio; idque verum esse admitto. Tertium, quod emendatum fuerit, ut cæteris uniformaretur Ecclesiis: at Ordinario illo usam aliquando fuisse Ecclesiam Aniciensem, numquam asserit Durandus.

Nec dicas iterum, in scripturis, Conciliis, & Patribus, non aliter, quam per impositionem manuum explicatur ordinatio; & de traditione instrumentorum altum est silentium; siquidem injuste à suis gradibus dejecti, sic restituendi erant ex Concilio Toletano 4. anno 633. *Can.* 28., *si Episcopus est, Orarium, annulum, & baculum; si Presbyter, orarium, & planetam; si Diaconus, orarium, & albam; si Subdiaconus, patenam, & calicem; sic & reliqui gradus ea in reparatione sui suscipiant, quæ cum ordinarentur receperunt*: adeoque sæculo septimo, ut Hallierius notat, non adhuc in ordinatione Presbyteri, & Diaconi tradebantur instrumenta. Contra, in scripturis, Conciliis, & Patribus sic vocatur ordinatio, cum revera fiat per manuum impositionem, quæ etiam est essentialis, sed non unica materia ordinationis: quam cum Christus Dominus instituit, certe clarius designavit traditionem instrumentorum, quàm manuum impositionem; cum doceat Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 1., tunc Christum Apostolos constituisse *novi testamenti Sacerdotes, cum Corpus, & Sanguinem suum, ut sumerent*

merent

merent, *tradidit*, *& eisdem*, *ac eorum in Sacerdotio successoribus*, *ut offerrent præcepit per hæc verba*, *hoc facite in meam commemorationem*; *ut Ecclesia semper intellexit*: tunc itaque Christus Sacerdotes instituit, cum dicens *hoc facite*, Corpus, & Sanguinem suum tradidit illis.

Traditionem libri Evangeliorum materiam esse Diaconatus, satis clarè Patres insinuant, cum dicunt, *legere Evangelium* officium esse Diaconi hoc enim illi tribuit antiquus Auctor Apostolic. Constitutionum sub nomine Clementis *lib.2.c.57.*, S. Hieronymus *epist.* 48. ad Sabinianum Diaconum, *Evangelium Christi quasi Diaconus lectitabas*; ait de S. Stephano S. Augustinus *serm.4.*, *Diaconus erat*, *Evangelia legebat*, Antiquitùs etiam Lectores Evangelia legisse, non dubito; & in suis *epistolis* 33., *&* 34. docet S. Cyprianus; sed ex commissione, & Diaconis deficientibus, id faciebant, secus autem ex officio, & vi suæ Ordinationis, ut in S. Stephano, ac Sabiniano ex Augustino, & Hieronymo visum est; hinc de Diaconis scribit S. Gregorius Magnus *lib.4. epistola* 44., *solum Evangelicæ lectionis officium inter Missarum solemnia exsolvant*: ex quibus Morini, & Cardinalis Bona plura solves argumenta. Quod opponitur de Concilio Toletano, ipsi solvere debent Oppositores; cum Presbyteri, & Diaconi è suo gradu dejecti, per manuum impositionem minimè restituantur; adeoque nec illam in sua Ordinatione recepissent: erant ergo restituendi per aliqua solum, non per omnia, quæ in sua receperant Ordinatione.

Dices tandem, valida est Ordinatio Græcorum, quamvis nulla fiat traditio instrumentorum; adeoque nequit hæc esse de Ordinationis essentia. Contra, illationem admitto de Ordinatione Græcorum; sed nego si de Latinorum Ordinatione loquaris. Pro explicatione notandum, dubium inter Theologos esse, an si Episcopus Latinus ordinaret ritu Græcorum, vel è contra, valida foret Ordinatio; Græci per solam ordinant manuum impositionem, sub hac forma *divina gratia*, *quæ infirma sanat*, *& quæ desunt supplet*, *promovet hunc in Diaconum*, vel *in Presbyterum*, vel *in Episcopum &c.*, juxta diversitatem Ordinandorum; additis quoque aliis orationibus; quod etiam in Subdiaconi, ac Lectoris Ordinatione servatur; uti videre est apud Goarium, Arcudium, Morinum. Dubio negativè communiùs respondent cum La Croix, Henno, Platellio: sed validam esse hujusmodi Ordinationem, meliùs affirmant Marin *disput.1.de Sacramentis à num.74.*, Viva *disp.1.quæst.1. artic.4. num.19.*, Suarez, Vasquez, Rhodes, noster Veranus, aliique passim: Siquidem ut validè, quamvis illicitè Eucharistiam conficiunt in fermentato Latini, & in Azimo Græci; sic validè, quamvis illicitè Græci ordinant ritu Latino, & ritu Græco ordinant Latini; Christus enim pro tota Ecclesia, & pro singulis particularibus Ecclesiis eadem esse voluit Sacramenta, eorumque materiam; *unus Dominus*, *una fides*, *unum baptisma*, ait Apostolus, *Signum sensibile significativum potestatis traditæ Ordinato* pro materia Sacramenti Ordinis Christus instituit; si habeatur hoc signum, sive Episcopus Græcus sit, sive Latinus, ubique terrarum collata Ordinatio valet; vel hoc signum non habetur, & facta Ordinatio nulla erit ubique: nec in oppositum aliquid Ecclesia potest: sic cum matrimonium validum inter baptizatos ad rationem Sacramenti Chri-

stus elevaverit; quod validum sit matrimonium, & non sit Sacramentum, facere nequit Ecclesia. Certè nulla erit Ordinatio Diaconi per solam manus impositionem, si fiat cum hac forma Latinorum, *accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo &c.*: erit quoque nulla Sacerdotis Ordinatio per solam impositionem manuum, si sub hac forma fiat, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata &c.*; sed utraque valebit, si fiat sub hac forma Græcorum, *divina gratia, quæ infirma sanat &c. promovet hunc in Diaconum*; vel *promovet hunc in Presbyterum*; siquidem impositio manuum sub una, & non sub altera forma, signum est collatæ potestatis sufficiens, ac totale significativum. Cum verò sic factæ Ordinationes non essent communiter indubii, ac certi valoris, ex regula generali omnes essent iterùm sub conditione faciendæ.

V. De traditione libri Epistolarum dubitatur, an partialis materia sit essentialis relatè ad Subdiaconi Ordinationem; negant Fraffen, Brancatus, Salmanticenses, Gonet, Catalanus, & communius cum Henno. At melius affirmant Giribaldus *cap. 2. de ordine dubio 5.*, Platellius, Dupasquier, Vasquez, Viva, Vignerius, Aversa, Reiff., Tannerus, Filliucius, aliique plures cum Dicastillo. Siquidem Romanus Catechismus *part. 2. cap. 7. num.* 19. non minus requirit in Ordinatione Subdiaconi traditionem libri Epistolarum ab Episcopo factam sub hac forma, *Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta Dei &c.*, quam traditionem Calicis cum patena, sub alia forma, *Videte cujus ministerium vobis traditur; ideò &c.*; adeoque vel utraque traditio, vel neutra essentialis esse debet: idem habet Pontificale Romanum ex antiquis ritualibus desumptum, cum de Ordinatione Subdiaconi; ad quod se remittit Concilium Florentinum, cum de materiis, ac formis agit Ordinationum: immò in Pontificali Romano Subdiaconus ante traditionem libri Epistolarum semper vocatur *Ordinandus*; post illam verò statim dicitur *Ordinatus*.

Nec dicas traditionem libri Epistolarum Subdiacono in sua Ordinatione factam, fuisse antiquis ignotam; & in antiquis Ritualibus altum esse de illa silentium. Contra, illi favet antiquitas; Concilium Rhemense anno 813. *can. 4.* dicit, *lectæ sunt Epistolæ Pauli, qualiter Subdiaconi ministerium est eumdem Apostolum legere &c.*; ubi vides Epistolas legere, *Subdiaconi ministerium* esse; adeoque ex officio, & vi suæ Ordinationis illi convenire: idque ab ipsis Apostolis esse, scribit eodem tempore Amalarius (florebat enim anno 810.) *lib. 3. de Ecclesiasticis officiis cap. 11.* ibi, *nam primi ævi tempore Diaconus non legebat Evangelium, quod non erat scriptum; sed postquam statutum est à Patribus nostris, ut Diaconus legeret Evangelium, statuerunt, ut Subdiaconus legeret Epistolam, sive lectionem*: duo hic notabilia scribit Amalarius, unum est, a Diacono Evangelium legi, & à Subdiacono Epistolam, ejusdem esse antiquitatis; alterum, utrumque ab Apostolis esse, ut in sensu absoluto verba illa sonant, *statutum est à Patribus nostris*; statimque incepisse ac scriptum fuit Evangelium, non ante quando *non erat scriptum*. Hinc Concilium Toletanum primum anno 400. hæc habet *Can. 4.*, *Subdiaconus defuncta uxore, si aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur &c. itaut Evangelium, & Apostolum*

non

non legat: ex commissione, & Diacono deficiente, Subdiaconus Evangelium aliquando legebat, sed non ex officio; adeoque prohibitio legendi Evangelium, satis non erat ad illum è suo gradu ejiciendum; unde & prohibendus erat legere Apostolum, quod Subdiaconi officium erat, ac ministerium. Si Subdiaconi ministerium erat Epistolam legere, quid mirum quod à primis Ecclesiæ sæculis per traditionem libri Epistolarum Subdiaconus fuerit ordinatus. Nec refert, quod Amalarius Subdiacono tale ministerium denegare videatur ibidem, *cum hoc non reperiatur ex ministerio sibi in consecratione commissum, neque ex libris Canonicis, neque ex nomine suo; nam primi ævi tempore &c.* Cum vera dicat Amalarius, quin nobis, sibique opponatur; de Consecratione loquitur, quæ fiebat, antequam scriptum esset Evangelium, ut clarissimè verba illa demonstrant, *quod non erat scriptum*: eadem scribit sæculo 11. Mychrologus, *de Ecclesiasticis observationibus cap.* 8.; sed in sensu loquitur explicato. Quæ opponuntur alia; cum de traditione libri Evangeliorum in sua Ordinatione Diacono facta, solvimus; nec audiendus est Catalanus cum dicit traditionem libri Epistolarum ab Archidiacono, non ab Episcopo fieri; siquidem ex Romano Catechismo, & Pontificali Romano expressè constat oppositum.

VI. Constituti in Sacris in Ecclesia Latina, tenentur omnes ad cœlibatum; ut est omnibus certum, & quidem omnes etiam Subdiaconi à primis Ecclesiæ sæculis hac lege tenebantur: Leo Magnus in *epistola* 84. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem sic scribit medio sæculo 5., *ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur; & qui habent sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares*: longè ante idem dixerat, sæculo nempè 4. S. Epiphanius in fine operis contra hæreses, ibi, *si quis ab initio continens fuerit, aut viduus, habere potest locum Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi, aut Subdiaconi*; idem habet *hæresi* 59., quæ est Catharorum: Concilium Illiberitanum anno 305. sic habet *Can.* 33. *Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus positis in ministerio abstinere se à conjugibus, & non generare filios*: ly *placuit* non consilium esse, sed legis innovationem, ex eo clarum est, quod de Episcopis, & Presbyteris pari modo loquatur: immò ab Apostolis hanc esse legem docet Concilium Carthaginense 2. anno 390. Siricio Romano Pontifice, *Can.* 2. ibi, *placuit, & condecet, Sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes; necnon & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus &c.; & ut Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus: ab universis Episcopis dictum est, omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam se ab uxoribus contineant*, & quidem Subdiaconi ad minus verbis illis significantur, *qui Sacramentis divinis inserviunt; & qui Sacramenta contrectant*; ut optimè cum aliis notant Clericatus, & Henno.

Nec refert, quod juniores post Morinum, ac Jueninum opponunt; primis quinque Ecclesiæ sæculis plura fuisse Concilia, & decreta Pontificum de Diaconorum, ac Presbyterorum continentia, nulla facta de Subdiaconis mentione. Cum posterioribus etiam sæculis id evenerit aliquando, quamvis

tunc

tunc Subdiaconi certissimè tenerentur ad Cælibatum; uti videre est apud Clericatum *decis.* 27. & Roccaberti de Romano Pontifice *lib.* 2. *Apologetico cap.* 8 *a* §. 6.. Item plura sunt Concilia, quæ de continentia Diaconorum, & Presbyterorum nullam faciunt mentionem; quid inde? sic dicitur in Concilio Arelatensi 2.*Can.* 2. *Assumi aliquem ad Sacerdotium in Conjugii vinculis constitutum non oportet, nisi fuerit promissa conversio*: ubi nulla Diaconorum mentio: de Continentia Episcoporum idem statutum est in Concilio Meldensi sæculo 9. sub Sergio II., nulla facta mentione Presbyterorum. At etiam a primis Ecclesiæ sæculis documenta esse pro Subdiaconorum Cælibatu dicta satis ostendunt:veniebant tunc etiam aliquando Subdiaconi sub nomine Diaconi, ac Sacerdotis, ut Cabassutius ostendit *ad Canon.* 5. Concilii Carthaginensis 4. & Jueninus *dissert.* 10. *quæst.* 7. *cap.* 8. *artic.* 1.. Dictis non obstat, S. Gregorium permisisse quibusdam Subdiaconis Siciliæ suas retinere uxores, ut ejus testantur epistolæ *lib.* 1.*epistola* 42., *& lib.* 3.*epistola* 34.: cum id ex positiva dispensatione cum illis factum sit, qui non poterant a suis uxoribus abstinere;uti & cum quibusdam Diaconis dispensavit Concilium Ancyranum anno 314. *Can.* 10., & cum aliquibus Sacerdotibus Concilium generale Nicænum anno 325. si vera sit historia de Paphnutio apud Socratem *Historia Ecclesiastica lib.* 1. *cap.* 18.; Sozomenum *lib.* 1. *cap.* 22.; & Cassiodorum *Historia Tripartita lib.* 3. *cap.* 14.

Dices, Subdiaconatum primis Ecclesiæ sæculis non fuisse Ordinem Sacrum; uti rescribit Innocentius III. Episcopo Mutinensi, & refertur in *cap.* 9. *de ætate, & qualitate Ordinandorum*, dicens, Urbanum II decrevisse *Sacros Ordines esse Diaconatum, & Presbyteratum, quos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse*: Unde non poterant Subdiaconi Secretarium ingredi, & Sacra Vasa tangere, ut in Concilio Laodicæno *Canon.* 21. ibi, *non oportet Subdiaconos habere locum in Diaconio, & Dominica Vasa contingere*: Ordinabantur quoque a Chorepiscopis ex Concilio Antiocheno *Canon.* 10.ibi, *ordinent Lectores, Subdiaconos, & Exorcistas*; qui tamen simplices erant Vicarii Episcoporum: si Subdiaconatus non erat Ordo Sacer, nec Cælibatum habebat adnexum. Contra, Subdiaconatus primis Ecclesiæ sæculis non fuit Ordo Sacer relatè solum ad Sacrum Ordinem Episcopalem, ad quem non Subdiaconi, sed Diaconi solum, ac Sacerdotes eligibiles erant; ad quam deinde eligibilitatem etiam Subdiaconi ab Urbano II., & Innocentio III.admissi fuere; *nos volentes* (ait Innocentius in allata decretali) *super hoc articulo disceptationis materiam amputare, statuimus, ut Subdiaconus in Episcopum valeat liberè eligi, sicut Diaconus, vel Sacerdos*: de jure fecit Ordinario Innocentius III., quod Urbanus II. solùm ex dispensatione fecerat; unde & factum est, quod Subdiaconatus sit Ordo Sacer, seu ex tribus majoribus Ordinibus unus. Item Sacra Vasa tangere non poterant Subdiaconi; dum Corpus, & Christi sanguinem continebant; nec hodie tangere possunt: at si vacua fuissent Sacra Vasa, illa tangere poterant, ac debebant Subdiaconi; eaque in sua Ordinatione ab Episcopo recipiebant; *Subdiaconus cum ordinatur* (ait Concilium Carthaginense 4. anno 398. *Can.* 5.) *quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum*. Sic & duplex erat Diaconium, seu Segretarium, unum

in

in quo Christi Corpus, & Sanguis custodiebantur, alterum in quo sola erant Sacra Vasa, Sacræque Vestes; in hoc, secus in illud ingredi poterant ex data ratione Subdiaconi. De Chorepiscopis dissentiunt Eruditi, quidam, putant veros fuisse Episcopos, cum Tournely *quæst.6. artic.* 1. post Basnagium Historiæ Ecclesiasticæ *lib.* 1. *cap.* 5. aliosque: tenent alii illos simplices fuisse Vicarios Episcoporum; quamvis etiam ipsi aliquando, & per accidens, ut hodie contingit, essent Episcopi, sic Natalis Historiæ Ecclesiasticæ sæculo 4. *in Appendice ad dissert.* 44.; Clericatus, Cabassutius *in Can.* 13. Concilii Ancyrani; Morinus, de Marca, Thomassinus, Richardus Simonius, Moreri, Burius, Boucat, & communiùs: in utraque sententia facilis est solutio argumenti; siquidem sive Episcopi fuerint de jure Ordinario, ut prima vult sententia, sive solùm per accidens, ut altera contendit, poterant sine dubio Subdiaconos ordinare; nonnè hodie hoc faciunt Episcoporum Vicarii; si aliquando etiam ipsi Episcopi sint Titulares?

VII. Diaconorum inter officia recensentur, solemniter baptizare, & Eucharistiæ Sacramentum fidelibus distribuere: At neutrum facere possunt Diaconi, nisi de Sacerdotis licentia, vel extrema necessitate urgente, si nullus sit Sacerdos, qui dare possit, aut velit; communissima est Theologorum sententia cum Simonnet *disp.* 2. *de baptismo art.* 3. *& disp.* 7. *de Eucharistia art.* 1. & Clericato *decis.* 28. *de baptismo, & decis.* 30. *de ordine*. Ratio est, quia tale, & non aliud illius est officium; siquidem ait de baptismo S. Isidorus *lib.* 2. *de divinis officiis cap.* 24., & habetur in can. *constat de consecr. dist.* 4., *constat baptisma à solis Sacerdotibus esse tractandum, ejusque ministerium nec ipsis Diaconis explere licitum est, absque Episcopo, vel Presbytero; nisi his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat*: Idem de Eucharistia habet quartum Concilium Carthaginense *can.* 38. ibi, *ut Diaconus, præsente Presbytero, Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget*: Immo nec se ipsos communicare possent, si Presbyter adsit; cum de Diaconis hæc statuat Concilium generale Nicænum primum *can.* 18. *Accipiant secundum ordinem post Presbyteros ab Episcopo, vel à Presbytero Sacram Communionem; quod si non fuerit in præsenti Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferant, & edant*. Quod si Diaconus sine Sacerdotis licentia solemniter baptizet, vel Eucharistiam fidelibus distribuat, mortaliter peccat. & irregularitatem incurrit; est communis cum Gobat *tract.* 2. *de baptismo n.* 140.; Giribaldo *c.* 3. *de baptismo n.* 8. Salmanticensibus *c.* 4. *n.* 20.; Suario *disp.* 31. *sect.* 4.; Bonacina *punct.* 5. *num.* 3.; Leandro *disp.* 4. *quæst.* 20.; contra Henno, aliosque paucos. Ratio est, quia sic Diaconus ministraret in ordine non suo; cum vi ordinationis non receperit, nisi potestatem delegabilem, seu deputabilem ad Sacramenta illa ministranda; adeoque & irregularitatem sic ministrando incurreret, ex decisis in *cap.* 1., *&* 2., *de Clerico non ordinato ministrante*. Secus dicendum esset de Sacerdote, qui sine licentia Parochi solemniter baptizaret; peccaret quidem mortaliter, cum in re gravi utatur jure non suo; sed nullam incurreret irregularitatem, cum in ordine suo ministret; ut communissimè Theologi docent: nec refert, quod etiam Laici in casu necessitatis baptizare possint: cum solemniter, seu cum exorcismis, orationibus, aliisque solemnitatibus

bus ab Ecclesia præscriptis nunquam neque ex delegatione baptizare possint: Ministrabant etiam aliquando Laici Eucharistiam; sed nunquam solemniter, eamque semper à Sacerdotibus, vel à Diaconis de Sacerdotum commissione accipiebant; *semper in Ecclesia Dei mos fuit* (ait Concilium Tridentinum *sess.*13. *cap.*8.) *ut Laici à Sacerdotibus Communionem acciperent.*

Duplex hic corrigendum est Morini figmentum, unum, quod habet *lib.*8. *de Pœnitentia cap.*24., nempè aliquando sibi arrogasse Diaconos potestatem consecrandi, seu conficiendi Eucharistiam: alterum est, quod ibidem habet *cap.*23., nempè Diaconis olim fuisse concessum, Episcopo, vel Sacerdote absente, confessiones audire Sacramentales, ac Sacramentalem absolutionem pœnitentibus impertiri.

Primum figmentum satis rejicitur; cum de tali Diaconorum arrogantia nullum sit in Sacra Historia documentum: multum sibi olim Diaconos arrogasse contra Presbyteros, certum est, in quo & à Patribus exprobrantur; uti videre est apud Hieronymum in Epistola ad Evagrium, & Concilium generale Nicænum primum *can.*18.; in quibus tamen de consecrandi potestate sibi à Diaconis arrogata, altum est silentium; quæ sanè utpotè omnium maxima, ac intolerabilis, minimè fuisset omittenda. Quos adducit Morinus pro suo figmento Conciliorum Canones risum movent: Concilium Laodicænum hæc habet *can.*25. *non oportet Ministros panem dare, vel Calicem benedicere*, at sermonem ibi esse de Subdiaconis, tum ex versione Dionysii exigui certum est, tum ex Canone præcedente, in quo inter Diaconos, & Ministros Concilium apertè distinguit; quod enim faciendum erat à Diaconis circa panem, & vinum non Consecratum Subdiaconi facere tentabant. Concilium Ancyranum *can.*2. statuit de Diaconis Criminosis, *debere tamen cessare ab omni Sacro ita ut nec panem, nec Calicem offerant, nec pronuntient, nisi fortè aliqui Episcoporum &c. voluerint eis aliquid amplius tribuere*: quid ex hoc Canone pro Morino inferri possit, non video; cum etiam hodiè Diaconi hoc faciant; nonnè cum Sacro, seu celebranti Sacerdoti assistunt, una cum illo dicere debent, juxta Missalis Rubricam, & Pontificale Romanum, *offerimus tibi Domine Calicem salutaris &c.*? & quæ fit hodie à Sacerdote Calicis benedictio, *Deus qui humanæ substantiæ dignitatem &c.*; olim à Diacono fiebat; uti videre est in missa antiquissima à Flacco Illyrico edita apud Martene *lib.*1. *de Antiquis Ecclesiæ Ritibus cap.* 4. *art.* 12.: quid ergo de adducto Canone? Diaconus criminosus est ibi à suo munere suspensus: illum explicare absit in sensu Morini; cum illas pœnas ibi Episcopus criminoso Diacono remittere posset; sicque posset Diaconus jure suo utendo licitè, ac honestè sacrificare. Sic quoque intelligendum est Concilium Arelatense primum anno 314. cum statuit *can.*15. *de Diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere*: ly *offerre* munus Diaconi designat, cujus etiam est, Eucharistiam populo dare, offerre, præsentare; unde & S. Cyprianus in *tract. de lapsis* ait, *Diaconum Calicem præsentibus offerre*: hoc autem à Diacono fieri non potest, nisi de Sacerdotis licentia, ut visum est ex Concilio Carthaginensi 4. *can.* 38.; & in Arelatensi 2. *can.*15. dicitur, *in Secretario Diacono inter Presbyteros sedere non licet, vel Corpus Christi præsente Presbytero tradere non præsumat*:

hæc,

hæc, & non alia est prohibitio Arelatensis primi.

Nec meliori nititur fundamento alterum Morini figmentum: S.Cyprianus Epistola 48. quæ est ad Presbyteros, & Diaconos Ecclesiæ Carthaginensis, inquit, *si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesim delicti sui facere possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres Litteris ad nos factis desideraverunt*. At in Cypriani verbis nullum vel Sacramentaliter confitentem, vel Sacramentaliter absolventem video: alias & de Laico idem dicere possemus; cum dicat Angelicus Doctor *in 4. dist.17. quæst.3. art.3. quæst.2.*, *Minister pœnitentiæ, cui confessio facienda est ex officio, est Sacerdos; sed in necessitate etiam Laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei Confessio fieri possit*; & S. Franciscus in sua Regula *cap.20.* hæc de suis Religiosis habet, *si Sacerdotem habere non poterunt, confiteantur fratri suo; sicut dicit Apostolus Jacobus, confitemini alterutrum peccata vestra*; admitteret ne hanc Morinus illationem?

Tria sunt, quorum in sua meminit Epistola S. Cyprianus, nempè *Exomologesis*, seu confessio; *impositio manus in pœnitentiam*, seu absolutio; & *venire ad Dominum cum pace*, quod est absolutionis effectus: Sacramentalem Confessionem certè non significat *Exomologesis*, quæ omnem significat confessionem; & sicuti non omnis confessio Sacramentalis est, sed ea solum quæ fit Sacerdoti, & quidem ad Sacramentalem recipiendam absolutionem; sic & idem est de exomologesi dicendum; in cujus exemplum illam Regis Babilonis Tertullianus adducit *lib. de Pœnitentia, & Patientia* per hæc verba, *diù enim pœnitentiam Deo immolarat, Septemni Squallore Exomologesim operatus*; quæ certè Sacramentalis esse non potuit; uti nec illa, de qua hic meminit S.Cyprianus, cum de Exomologesi loquatur, quæ sequitur pœnitentiam; hanc autem Sacramentalis confessio præcedere, non sequi debebat. Nec omnis *impositio manus in pœnitentiam* Sacramentalem significat absolutionem, sed illa solum, quæ Sacramentali Confessioni respondet; de qua certè, ut visum est, hìc non loquitur Cyprianus: in pœnitentia publica, ac solemni, quæ Sacramentalis non erat (consistebat enim in jejuniis, ciliciis, orationibus, in mortuis sepeliendis, in certo habitu ferendo, & similibus) triplex fiebat manuum impositio; prima, quando ad illam pœnitentiam publicè peccatores admittebantur; *pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, & cilicium super caput à Sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur*; ait Concilium Agathense *can.15.* secunda intermedio tempore. & sæpius iterata, dabatur; sic enim de illa statuit Concilium Carthaginense 4. *can.80. omni tempore jejunii manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponatur*: tertia tandem, quando completa jam erat publica pœnitentia, impertiebatur; de qua Concilium ait Carthaginense 4. *can.78.*, *Pœnitentes, qui in infirmitate Viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint*: plura de his Cabassutius, Tournely, Simonnet: unde & clarum est, non omnem manus impositionem in pœnitentiam, Sacramentalem esse absolutionem. Neque tandem *venire ad Dominum cum pace* semper effectum significat Sacramentalis Absolutionis; cum aliquando pro completa reconcilia-

liatione sumatur, ac pro dimissione cujuscumque pœnæ temporalis, quæ solvenda maneret; quam hodiè dimissionem plenariam indulgentiam vocamus, & olim martyres (seu qui jam martyrium erant subituri) in pacificis suis libellis pro publicis pœnitentibus ab Episcopis petere solebant: de hac pace, seu indulgentia loqui S. Cyprianum, satis verba illa demonstrant, *veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt*. Nihil ergo in quo faveat Morino Cyprianus.

VIII. Simplicem Sacerdotem posse ex Romani Pontificis delegatione Sacerdotalem Ordinem conferre, cum pluribus antiquis asserit Morinus *par.3. exercit.4. cap.3.*, & aliis adductis noster Diana *tom. 3. tract.1. resol.72.*, *ex part.8. tract.1. resol.36.*: sed communissima Theologorum sententia negat, Henno *disp.1. quæst.6. art.2.*; Tournely *quæst.4. art.2.*; Clericatus *decis. 16. num.35.* & passim alii cum Aversa *quæst. 3. sect.3.*, Boucat *art.3. sect.1.*, Simonnet *disp. 4. art. 1.*, Juenino *disp. 4. cap.1.*: & quidem meritò, cum Presbyteros ordinare actum esse solius ordinis Episcopalis, unà sentiant Ecclesiæ Patres: *quid enim facit* (ait S.Hieronymus in Epist. ad Evagrium) *excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat*; S. Epiphanius *hæres. 75.* contra Aerium, *Episcoporum ordo ad gignendos Patres precipuè pertinet, hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio*; *alter* (nempe Sacerdotum) *cum patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit, non tamen Patres, aut magistros*. Nec refert, Concilium generale Nicænum in sua ad Egyptios Epistola apud Socratem *lib. 1. hist. Eccl. cap.9.* Presbyteris, qui nulli unquam Schismati adhæserant, concedere potestatem Clericos ordinandi: & S.Leo Magnus in Epistola ad Rusticum Episcopum Narbonensem, de Clericis ordinatis à Presbytero, qui se Episcopum mentiebatur, sic respondet *Epist.92. cap.1. si ordinatio facta est de consensu Episcoporum loci, potest rata haberi*: Non inquam, refert; cum ibi nulla sit mentio de ordinatione Presbyterorum: quo etiam omisso, dic illos ordinasse, vel ordinare potuisse, ordinandos designando, probando, ac præsentando Episcopo, à quo erant ordinandi; sic S.Cyprianus in Epist.49. ait de Novato Presbytero, cujus opera Felicissimus Diaconus fuerat ordinatus, *qui istic* (nempè Carthagine) *adversus Ecclesiam Diaconum fecerat*; *illic* (nempè Romæ) *Episcopum facit*, nempè Novatianum; esto certissimum sit, à tribus Episcopis Romæ ordinatum fuisse Novatianum, teste Cornelio Summo Pontifice in sua ad Fabium Antiochenum Epistola apud Eusebium *lib.6. cap. 43.* Verum est quoque, etiam à Chorepiscopis fuisse aliquando Presbyteros ordinatos: at visum est, Chorepiscopos aliquando Episcopos fuisse Titulares: Boucat, Jueninus, Tournely cætera solvunt objecta Morini.

An de ordinatione Subdiaconi, ac Diaconi sit pari modo dicendum; dubium est: nec Subdiaconatum à simplici Presbytero conferri posse; pluribus congestis asserit Gonetus *disp.3. art. 1.*, Silvester, Bellarminus, Veranus, Sotus: Alii affirmantes de Subdiaconatu, de Diaconatu negant; sic Tournely, Clericatus, Boucat, Simonnet, Jueninus, Salmanticenses, Hallierius, aliique plures apud ipsos: At etiam Diaconatum conferre posse, communius hodie propugnant, Isambertus Doctor Sorbonicus *in 3.p.* D.Thomæ *disp.6. art. 1.*; Sporerus *de Ordine num 44.*; Henno *disp.1. quæst.6. art. 3.* Car-

3. Cardinalis de Lauræa *disp*.8. *num*.23.; & innumeris relatis, Giribaldus *cap*.3. *num*.7., & noster Diana *tom*.3. *tract*.1. *resol*. 71. *ex p*.10. *tract*.16. *resol*.22.; Navarrus, Victoria, Filliucius, Granados, Marchinus, Vasquez, Hurtado, Leander, Dicastillo, Tamburrinus, Antonius à Spiritu Sancto, cum quibus sentiendum puto: siquidem Summus Pontifex Joannes VIII. anno 1489. concessit Abbati Cisterciensi, ejusque successoribus facultatem Ordines conferendi Diaconatus, ac Subdiaconatus Monachis sui Ordinis, *ne forte Monachi extra Claustrum hinc inde discurrere cogantur*: extat hoc privilegium *lib*.1. privilegiorum ejusdem Ordinis *privilegio* 118.: eamdem se legisse Bullam, testatur Vasquez *in* 3.*p*. S.Th. *disp*.243. *cap*.4. *num*.39. in quodam vetusto Codice, cui titulus *collecta Bullarum ordinis Cisterciensis*; ac servatur in Collegio Complutensi Societatis Jesu: ejusdem meminit Navarrus *lib*.5. de Privilegiis agens consilio 13., addens, Abbates Cistercienses ante Concilium Tridentinum semper hoc privilegio usos fuisse; meminit quoque Isambertus *cit.art*.1., addens, illud esse in usu Episcopis non repugnantibus, immò & consentientibus: Cardinalis de Lauræa *cit.disp*. 8. *num*.13. se illud Privilegium propriis oculis legisse dicit in tomo privilegiorum ejusdem Ordinis, qui inscribitur *regula*, *constitutiones*, *privilegia &c.pag*.190. idem pluribus confirmat Morinus *cit.exercitatione* 4. *cap*.3. *num*. 2.: addit Caramuel Theologiæ Regularis *disp*.129. *Hoc privilegium est in praxi, & hodiè supersunt, qui ad majores Ordines ab ipsis Abbatibus sunt promoti*; & paulò inferius, *hac praxis hodie permanet*: addit quoque P. Henno *cit. art*. 3. *conclus*.3., *id ab ipsis practicari Summi Pontifices certa scientia noverunt, cum Cisterciensium Generalis Romæ an*. 1662. *sciente, & annuente Alexandro VII., & Gandavi in Flandria anno* 1663. *subditos suos ordinaverit Subdiaconos, ac Diaconos; idque vi Concessionis Apostolicæ factæ ab Innocentio VIII. &c.* Possunt ergo Romani Pontifices Diaconi, ac Subdiaconi ordinationem simplici etiam committere Sacerdoti; cum illorum facta jus, ac potestatem faciendi demonstrent.

Nec dicas ex Patribus, & Conciliis solius est Episcopi Sacros Ordines conferre; & quidem omnem excludendo ab aliis potestatem extraordinariam, & ex delegatione; aliàs de collatione Presbyteratus idem dici posset. Contra, ut ordinare ex Patribus, & Conciliis solius est Episcopi, esto minores Ordines ex privilegio etiam ab aliis conferri possint; sic solius est Episcopi in Sacris ordinare, esto Sacræ quædam ordinationes etiam ab aliis possint ex Summi Pontificis delegatione conferri: nec ideo etiam conferendi Sacerdotium posset delegari potestas; siquidem de collatione Sacerdotii nulla constat exceptio, uti & nulla constat de Episcopalis ordinis collatione; adeoque & neutra potest simplici Sacerdoti à Summo Pontifice committi: non sic de Diaconatu, ac Subdiaconatu, de quibus jam data exceptio constat. Nec dicas iterum, Sacra ordinatio actus est ordinis Episcopalis, non autem Jurisdictionis, adeoque & nulli alteri delegabilis; sic cum Eucharistiam conficere actus sit ordinis Sacerdotalis, ex nulla delegatione fieri potest, quod Diaconus conficiat Eucharistiam. Contra, non ergo possunt Minores Ordines à non Episcopo, nec ex delegatione conferri; cum illorum collatio actus sit ordinis Episcopalis: item Sacramenti confirmationis collationem actum esse ordinis

Episcopalis, Patres, & Concilia docent; & tamen quis dubitet ex Romani Pontificis concessione à simplici Sacerdote conferri posse? uti pluries factum est; & cum Presbyteris Calaritanis fecit S.Gregorius Magnus anno 594.; constat ex illius *Epistola* 26. *lib*.4; ex Concilio Florentino in decreto Eugenii; ex Angelico Doctore 3. *p. quæst*.72. *art*. 11., aliisque apud Tournely, Boucat, Jueninum, Simonnet, Henno, Kazenberger, cum de Ministro Confirmationis. Dicendum ergo (quod & omnes dicere debent) plures esse actus ordinis Episcopalis, alii propriissimi, ac indelegabiles, quales sunt Episcopos, ac Presbyteros consecrare; alii verò proprii, ac delegabiles, quales sunt Confirmare, Ordines conferre minores; inter hos actus Diaconatus, ac Subdiaconatus est computanda collatio: non sic Eucharistiam conficere; cum ordinis Sacerdotalis propriissimus sit actus. Nec dicas tandem, collatio Diaconatus Sacramentum est, ac Ministrum habet à Christo Domino constitutum; vel ergo simplex Sacerdos institutus est Minister hujus Sacramenti, vel non, si primum, etiam nulla facta delegatione, validè ordinat; sic valida est ordinatio ab Episcopo facta etiam excommunicato, ac suspenso; & validus est baptismus à quocunque collatus; si secundum, nulla satis est delegatio, ut valida sit ordinatio; ut in collatione patet Sacerdotalis ordinis, vel Episcopalis. Contra, plures urgent instantiæ, tum de cæteris Ordinibus, quos Sacramenta esse invictè probavimus; tum de Confirmatione, quæ à simplici Sacerdote unicè per delegationem conferri potest; tum de Absolutione Sacramentali, quæ actus est ordinis Sacerdotalis, & nulla est, si nulla jurisdictione accepta, conferatur. Dicendum itaque Sacramentorum Ministros, quos Christus instituit, duplicis esse generis, alios quidem ordinarios, alios verò solum delegabiles: Ministros ordinarios, quales sunt Sacerdotes consecrantes, & Episcopi ordinantes, ostendit objectum; delegabiles, quales sunt Sacerdotes confirmantes, absolventes, & ordinantes infra Sacerdotium, adductæ probant instantiæ: unde & quæ opponuntur, de Ministro solum ordinario, secus de extraordinario, ac delegabili, qualis esset in casu, verificari debent.

IX. Quidam sunt de concessione talis Privilegii dubitantes, cum P.Victoria solum in Privilegio legerit Subdiaconatum; & Concilium Tridentinum *sess*.23. *cap*.8. & 10., nullam illius faciat mentionem; nec talis Bulla in Bullario, vel in aliis publicis inveniatur monumentis; immò & Bullæ partes inter se minimè concordant, cum in priori parte supplicatio sit Abbatis pro Tonsura, & minoribus ordinibus conferendis; & in posteriori parte de conferendis Diaconatu, ac Subdiaconatu concessio habeatur. At minimè urgent; cum diversa fuerit Bulla, quam Victoria legit, qui & illam de Diaconatu alios vidisse testatur: de illis tantum ordinibus Tridentinum agebat, in quorum collatione abusus irrepserant: nempè tonsurandi etiam non subditos eosque in minoribus ordinandi: nec Bullæ ex quo in editis non sint monumentis, obligare cessant; cum & innumeræ tales sint Romanorum Pontificum constitutiones. Optimè altera pars Bullæ primæ respondet; siquidem Pontifex petita concedit; additque eâdem supplicationis causâ motus *ac ne Monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Subdiaconatus, ac Diaconatus ordinibus extra Claustrum hinc inde discurrere cogantur; tibi, & Successoribus*

bus tuis, ut quibuscunque dicti Ordinis Monachis &c. Subdiaconatus, ac Diaconatus ordines hujusmodi ritè conferre possitis, concedimus. Allatum privilegium explicare conantur alii de ordinationibus faciendis non alio modo, quam dando dimissorias; sicque à Sacra Congregatione, & à Clemente VIII. intellectum fuisse, inquit Bensonius *lib. 2. de anno Jubilai capite 23.* At omnibus ignota sunt quæ dicuntur à Bensonio decisa, adeoque nec audienda, nisi probentur: nec Bulla illam habere potest explicationem, in qua facultas datur Abbatibus ordinandi solum usque ad Diaconatum: cum dimissoriæ ab illis etiam ad Sacerdotium concedi possint: item quæ ad illos ordines datur in Bulla facultas, non minor est ea, quæ ad minores datur Ordines; hæc autem vera potestas est ordinandi, nec solum dandi dimissorias. Revocatum hoc fuisse Privilegium à Tridentino tenent alii cum Clericato *decis. 16. num. 32.* & nostro Diana *cit. tract. 1. resol. 70*: sed adducta Cisterciensium Abbatum praxis probat oppositum, testantibus Isamberto, Henno, Caramuele: dicit Tridentinum *sess. 23. cap. 8.*, ut unusquisque à proprio Episcopo ordinetur; sed de his non loquitur ordinationibus; aliàs nec ordines minores ab illis Abbatibus conferri possent: dicit *cap. 10.* non permitti Abbatibus, nisi collationem Tonsuræ, & minorum ordinum suis subditis Regularibus faciendam; cum abusus irrepserat, etiam non subditis minores ordines conferendi: dicit *cap. 12.* quod non debent ordinari ab Episcopo Regulares nisi prævio examine, quibuscunque privilegiis penitus exclusis; cum videlicet ordinandi sunt ab Episcopo; alias, ut dictum est, nec minores ordines à non Episcopo conferri possent.

X. *Abbatibus* (ait Concilium Tridentinum *cit. cap. 10.*) *ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis non liceat in posterum &c., cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel Minores Ordines conferre &c.; nec litteras dimissorias aliquibus Clericis Sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant &c., non obstantibus quibuscumque privilegiis, præscriptionibus, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus.* Abbates alii sunt Sæculares, seu qui non Regularem, sed Sæcularem Abbatiam habent; alii verò sunt Regulares, & hi alii sunt simpliciter exempti, & alii exempti sunt, simulque omnimodam Jurisdictionem Episcopalem in Clerum, & populum exercent, ac territorium habent separatum. Abbates Sæculares neminem ordinare possunt, & nullæ sunt ab illis collatæ Ordinationes, ut a Sacra Congregatione decisum est die 4. Aprilis anno 1637. apud Clericatum *decis. 15. num. 16.* Pignatellum, & Fagnanum: quod nec Episcopis licitum est relatè ad suas Abbatias Sæculares; ut Sacra Congregatio decidit die 8. Augusti anno 1621. Abbates verò Regulares subditos habentes Regulares, ea possunt, quæ sunt in Tridentini *cap. 10.* statuta. An suos Novitios ordinare possint, dubium est; affirmant Suarez, Sanchez, Layman, Pellizarius, cum in favorabilibus etiam ipsi censeantur subditi Regulares: at melius negant pluribus citatis nostri Pasqualigus in Additionibus ad Laurentum de Franchis *de controversiis part. 1. num. 10.*, & Diana *tom. 2. tract. 5. resol. 81.* ac decisum est in sua Constitutione a S. Pio V. apud Navarrum in Summa *cap. 27. num. 158.*, & quidem meritò, cum Novitii semper ac volunt; ad sæculum redire possint, ac omnem abjicere subjectionem. Abba-

tes

tes licitè ordinare non possunt non sibi subditos, quamvis isti suorum Superiorum dimissorias haberent, cum absolutè sint prohibiti non subditos ordinare: at dubium est, an valida talis foret Ordinatio; cum pluries fuerit a Sacra Congregatione responsum, hujusmodi Ordinationes irritas esse, ac nullas, & pluriès etiam responderit, validas esse, sed illicitas, uti videre est apud Fagnanum *in cap. statuimus, de supplenda negligentia Prælatorum a num.* 11., & Clericatum *nu.* 22. Sed ad invicem oppositæ non sunt allatæ declarationes; siquidem Abbates, vel subditos habent Regulares, & tunc illicitæ sunt, sed validæ; vel non habent, & solum Abbates sunt titulares, & tunc etiam irritæ sunt, ac nullæ; ut optimè resolvit cum Fagnano Clericatus: hinc Abbas finito officio validè Minores Ordines amplius conferre non potest, quamvis *esset Procurator generalis in Curia*: ut est a Sacra Congregatione decisum die 5. Aprilis anno 1636. apud Pignatellum *tom.* 1. *Consultat.* 366. *num.* 5. Sed quid de Abbatibus Regularibus habentibus omnimodam Jurisdictionrm Episcopalem in Clerum, ac populum suæ Abbatiæ, possuntnè dare Tonsuram, & Minores Ordines omnibus suis subditis tam Regularibus, quam Sæcularibus, & eisdem omnibus dare dimissorias, ut a quocunque Catholico Episcopo etiam ad Sacros Ordines promoveantur? Non posse dicendum est, si territorium non habent omninò separatum, cum Tridentinum *cap.* 10. expressè loquatur de omnibus Abbatibus *intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur*; quod & pluriès fuit a Sacra Congregatione decisum apud Fagnanum *in cap. significasti de officio Archidiaconi a num.* 26.: posse verò dicendum, si territorium habeant separatum; ut pluriès a Sacra Congregatione, & a Rota Romana decisum est apud Clericatum *decis.* 15.: de Abbate Montis Casini patet ex Bulla Sixti V. anno 1585.: de Abbate Cassinensi Sanctissimæ Trinitatis de Cava ex Bulla Pauli V. anno 1620.: de Abbate S. Pauli de urbe ex Bulla Urbani VIII. anno 1625. in Bullario Cassinensi: idem de Priore Carthusiensi S. Stephani de Bosco fuit a Sacra Cengregatione decisum die 18. Junii 1632. apud Clericatum, & Barbosam: nec enim de his Abbatibus loquitur Tridentinum, ut allata verba demonstrant.

XI. Ordinationes etiam factæ ab Episcopis Hæreticis, Schismaticis, Simoniacis, excommunicatis, suspensis, degradatis, ratæ sunt, ac validæ: sic Theologi omnes, siquidem Ordinatio actus est Ordinis Episcopalis, qui non minus ac baptismus, nec amitti potest, nec auferri: *si quis dixerit* (definit Concilium Tridentinum *sess.* 7. *Can.* 9.) *in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt: anathema sit*: Concilium Carthaginense 3. sub Aurelio Episcopo anno 397. ait *Canon.* 38. *illud quoque suggerimus mandatum nobis, quod in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum, non liceat fieri rebaptizationes, & reordinationes*: Capuensis hæc Synodus, cujus meminit S. Ambrosius *lib.* 1. *epistola* 5. & 9., habita videtur anno 377.: adeoque ut Hæreticorum, Schismaticorum &c. baptismus, sic & illorum Sacra Ordinatio iterari non possunt. At non sufficiunt dicta Morino, qui *parte* 3. *de Sacris Ordinationibus Exercitat.* 5. Ecclesiam nihil in hoc decrevisse propugnat *cap.* 8. *num.*

7., &

7., & ferè omnes Theologos usque ad sæculum 13. pro nullis, ac irritis illas habuisse Ordinationes; sic more suo Morinus, cui si hæc Concilia opponas, respondet de Catholicis Ordinationibus, & quæ peractæ sunt secundum institutionem Christi, ea loqui. Sed a Morino petendum, an Baptismus sit ab Hæretico Catholicè collatus, & secundum institutionem Christi, certissimè affirmabit, si cum debita sit materia, forma, ac intentione datus; idem ergo, Ecclesia sic definiente, de Ordinatione ab Hæreticis facta dicendum; cum allata Concilia quoad iterationem Ordinationis, ac Baptismi pari modo loquantur: *illud, quod dicitis* (scribit S. Gregorius Magnus in epistola ad Joannem Episcopum Ravennatem) *ut is, qui ordinatus est, iterum ordinetur, valdè ridiculum est*; & infrà, *absit à Fraternitate vestra sic sapere; sicut autem baptizatus semel iterum baptizari non debet, ita consacratus semel, in eodem Ordine iterum consacrari non valet.*

Semper hæc fuit praxis Ecclesiæ; cujus oppositum malè putat Morinus: sic Episcopi Donatistæ, & ordinati ab ipsis in Ecclesia Catholica sine nova Ordinatione in suis Ordinibus recipiuntur, teste S. Augustino *epistola* 185., *aliàs* 50., ibi *etiamsì extra Ecclesiam ordinati essent, in suis Ordinibus suscipiendos esse censuerunt*: idem de venientibus ab hæresi Pelagiana, scribit S. Leo Magnus *epistola 6. aliàs* 86.: de venientibus ab hæresi Nestoriana, testatur S. Gregorius Magnus *lib. 11. epistola 67., aliàs lib. 9. epistola 61.*: de venientibus ab hæresi Monothelitarum, constat ex Synodo generali 7. *Act.* 1., in qua *Tarasius dixit, suscipitis ab hæreticis ordinatos? Sancta Synodus dixit, oportet suscipere*: de venientibus ab hæresi Ariana, immò & ab omni hæresi, longè ante docuerat Nicænum primum generale anno 325. *Can.* 8., de quo S. Hieronymus dialogo contra Luciferianos prope finem, ait, *Sanctam Synodum omnes hæreticos suscepisse, exceptis Pauli Samosateni discipulis; & quod his majus est, Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterii gradum servat*: Omnes ergo hæreticos in suo ordine suscipere consuevit Ecclesia; & non solum eos, qui fuerant à Catholicis ordinati: siquidem ineptissimè hac utitur distinctione Morinus; aliàs dici posset, omnes hæreticos cum baptismo fuisse ab Ecclesia susceptos, nempè illos omnes qui fuerant à Catholicis baptizati; cum de hæreticis baptizatis, ac ordinatis, omnes cum suo baptismo, ac Ordinatione suscipiendos esse ad Ecclesiam redeuntes, pari modo Patres, & Concilia dicant, *etiamsì extra Ecclesiam ordinati essent*, suscipiendos esse Donatistas, ait S. Augustinus; datque rationem *lib.* 2. contra Parmenianum *cap.* 13. de baptismo, ac Ordine sic loquens, *utrumque Sacramentum est, utrumque non licet iterari; nam si quando ex ipsa parte* (idest Donati) *venientes correcti suscepti sunt, non sunt rursus ordinati; sed sicut baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra; quia in præcisione fuit vitium, quod unitatis pace correctum est; non in Sacramentis, quæ ubicunque sunt, ipsa vera sunt; & cum expedire judicatur Ecclesiæ, ut honores suos ibi non ministrent, non eis tamen ipsa Ordinationis Sacramenta detrahuntur; sed manet super eos; ideoque non eis manus imponitur, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat injuria*: eadem habet *lib. 1. de baptismo contra Donatistas cap.* 1. Hæreticorum Ordinationes nullas fuisse, ait Morinus, sed per Ecclesiæ declarationem fuisse deinde validas:

fidas: at responsio non est digna Theologo; quis unquam dicere ausus est? irritam Ordinationem, invalidam Confirmationem, Baptismum nullum, valida fieri posse per Ecclesiæ declarationem.

Sunt tamen ab illis Episcopis ordinati, ab omni clericali honore, officio, dignitate privati, atque ab Ordinum executione suspensi: hinc de Novatianis ad Ecclesiam venientibus, ait Nicænum primum *Can.*8., *ut impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant*; quæ verba sic explicat Theophylus Alexandrinus Patriarcha apud Labbæum, *magna Synodus statuit, ut ordinentur, qui accedunt, juxta hanc formam, eos qui ad Ecclesiam accedent ordina*: & Patres Niceni in epistola ad Alexandrinos apud Labbæum, de Meletianis habent, *illi verò qui ab eo in Sacrum Ordinem lecti sunt, simul atque Sanctiore Ordinatione confirmati fuerint, ad Communionem post hæc admittantur & permittatur illis Sacris muneribus fungi*: & Innocentius Primus *epistola* 18. ad Alexandrum Antiochenum *cap. ult.* Cum ait, *ab hæreticis baptizati recipiendi sunt cum suo baptismo; sed ab hæreticis ordinati, non sunt recipiendi cum suo Ordine; quia hæretici solum baptisma dare permittuntur*: quæ omnia juxta datam explicationem intelligi debent. Explicat dicta Morinus de nova danda Ordinatione propriè dicta Hæreticis venientibus ad Ecclesiam: at malè, cum illa manus impositio in absolutionem fiat, ac dispensationem ad licitam, ac Sanctam acceptæ Ordinationis executionem; secus autem ad novam Ordinationem; ut jam dicta demonstrant; *& quod his majus est* (ait S. Hieronymus) *Episcopus Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterii gradum servat*, nempè Synodus Nicæna: & S.Augustinus, *cum expedire judicatur Ecclesiæ, ut honores suos ibi non ministrent, non eis tamen ipsa Ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manet super eos; ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat injuria*: non ergo in veram Ordinationem illa erat impositio, sed in absolutionem, ac dispensationem, ut visum est: nec mirum, cum etiam baptizatis ab hæreticis, quando ad Catholicam veniebant Ecclesiam, manus imponerentur, juxta legem Africanis datam à Stephano Romano Pontifice apud Cyprianum in epistola ad Pompejum, *si quis a quacunque hæresi* (ait Stephanus) *venerit ad vos, nihil innovetur, sed teneatur quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.*

In sensu à nobis explicato, secus in illo Morini, intelligendum est, cum Episcopi hæretici dicuntur *non Episcopi*, & ordinati ab illis dicuntur *non ordinati*, & consecratæ ab illis Ecclesiæ *non consecratæ* vocantur; dicuntur istæ *iterum consecrandæ*, illi verò *iterùm ordinandi*; uti de Gregorio Episcopo, hæretico loquuntur Patres Sardicenses in epistola ad Ecclesiam Alexandrinam; de Maximo Cinico Constantinopolitanum primum generale *Can.*6.: de Photio 8. Synodus generalis *act.* 4.: de Proculo Massiliensi Papa Zosimus *epistola* 6. ad Episcopum Carthaginensem, & *epistola* 10. ad Massilienses; & de Ebbone Archiepiscopo Remensi Concilium Svessionense apud Flodoardum *lib.*3. historiæ Rhemensis *cap.* 11.: eodem quoque sensu, Stephanus IV. reordinandos judicavit à Constantino Papa intruso ordinatos; Stephanus VII. ordinatos à Papa Formoso, quem Schismaticum ipse puta-

putabat; Lucius III. se reordinaturum omnes ordinatos ab Octaviano Papa intruso, Friderico Imperatori promisit; Gregorius VII. cum ordinatis ab Hæreticis, & Schismaticis, si converterentur, idem faciendum voluit; aliaque similia sunt facta, quæ à Scriptoribus reprobantur. Siquidem *non Episcopi* dicuntur, & *non ordinati* qui sunt ab illis ordinati; quoad honorem, officium, dignitatem, & susceptorum Ordinum executionem, ac exercitium; in his enim tanquam *non Episcopi*, tanquam *non ordinati* sunt habendi, ac iterum suscipere debent ad Ecclesiam Catholicam venientes; sicque dicuntur iterum quoad hæc ordinati; secus autem quoad novam propriè dictam Ordinationem: nec novum est, quod quæ solùm illicita sunt, irrita dicantur; ait Concilium Bituricense anno 1031. *Can. 11. irrita est illicita ordinatio, ut Sancti Patres dixerunt*; S. Leo Magnus *epistola* 60., *aliàs* 40. ad Anatolium Constantinopolitanum, *in Ecclesia, quæ Corpus est Christi, aliter nec rata esse Sacerdotia, nec vera Sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet, verus immaculati agni sanguis emundet*: eadem habet B. Algerus *lib. 3. de Sacramento Altaris cap.* 12.: quæ reprobantur à Scriptoribus facta Pontificum, est quorundam illorum facilitas, vel in absolvendo, ac dispensando cum malè promotis, vel in legitimè promotos excommunicando, ac deponendo. Urbanus II. *in epistola* 17. ad Præpositum S. Juventii, cum ait, *Schismaticorum, & Hæreticorum Sacramenta, quia extra Ecclesiam sunt juxta Sanctorum Patrum traditiones, formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur; nisi cum ipsi, vel eorum Sacramentis initiati per manus impositionem ad Catholicam redierint Unitatem*; apertissimè hucusque dicta confirmat. Cætera, quæ Morinus opponit, solvunt Clericatus *decis.* 12., Fraffen, Tournely, Simonnet, Jueninus.

XII. Episcopos Superiores esse Presbyteris ratione nedum Ordinis, etiam Jurisdictionis, veritas est, quam Catholica fides docet, & quam moderniores hæretici Basnagius, Blondellus, Salmatius, Anonymus, quem *Trapezitam* Petavius vocat, aliique post Vviclephum, Lutherum, Calvinum, & Aerium, inficiari conantur. *Sacrosancta Synodus declarat* (Concilium inquit Tridentinum *sess. 23. cap. 4.*) *præter cæteros Ecclesiasticos gradus Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere, & positos sicut idem Apostolus ait, à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei; eosque Presbyteris Superiores, ac Sacramentum Confirmationis, Ministros Ecclesiæ ordinare* &c., & *Can. 7. Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris Superiores* &c.; *anathema sit*: & *Can. 6. Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina Ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.*

Docuit hoc idem semper Ecclesia; quod fusè, ac doctissimè Petavius ostendit *tom. 4. de Theologicis dogmatibus* per multos libros: *Quid est* (inquit S. Augustinus enarratione *in Psalm. 44.*) *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii? Patres missi sunt Apostoli; pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi* (Apostolorum loco) *hodie enim Episcopi, qui sunt per totum Mundum, unde nati sunt? ipsa Ecclesia Patres illos vocat; ipsa illos genuit* (per Episcopalem Ordinationem) *& ipsa illos constituit in Sedibus Patrum* (nempè Apostolorum

lorum) *Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum* &c.: *pro Patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram* &c. *Hæc est Catholica Ecclesia, filii ejus* (Episcopi) *constituti sunt principes super omnem terram: filii ejus constituti sunt pro patribus* (ideft Apoftolis): *filios genuit Ecclesia, constituit eos pro patribus suis principes super omnem terram*. Tanta femper fuit Presbyterorum fubjectio relatè ad fuum Epifcopum, ut fine iftius auctoritate nec baptizare potuerint; teftis eft antiquiffimus Tertullianus *lib. de baptismo cap.*17. per hæc verba, *dandi quidem habet jus Summus Sacerdos, qui est Episcopus; deinde Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate* &c. Actorum 20., Epifcopos Afiæ Apoftolus fic alloquitur, *Attendite vobis, & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo*; nonnè de univerfo grege funt etiam Presbyteri? quorum Judices, ac Rectores funt Epifcopi, ex Apoftolo 1. *ad Timotheum* 5. cum dicit difcipulo fuo Timotheo, quem Epifcopum ordinaverat, *adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus*: ad Aerii hærefim expugnandam de paritate inter Epifcopos, ac Presbyteros, hac utitur auctoritate S. Epiphanius *hæresi* 75. Sunt ergo Presbyteris five ratione Ordinis, five ratione Jurisdictionis tum externæ, tum internæ Superiores Epifcopi: utramque Epifcopalem poteftatem in verbis Apoftoli vides expreffam ad Titum *cap.*1., *ut quæ sunt corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros*.

Auctoritatem S. Hieronymi Ecclefiæ hoftes opponunt; qui tum *in cap.* 1. epiftolæ ad Titum, tum in epiftola ad Evagrium, totus eft, ut Presbyteros Epifcopis pares faciat, & æquales: fiquidem primo loco docet in primis, eundem effe Presbyterum, & Epifcopum, & eafdem in utroque requiri dotes: fecundò, ab exordio Ecclefiæ, nullam fuiffe inter utrofque diftinctionem, fed folùm in Schifmatis remedium deinde factam fuiffe: tertiò, iftorum communi confilio primitus Ecclefiam fuiffe adminiftratam, deinde ad Schifmatis extinctionem, totam Ecclefiæ curam uni ex Presbyteris fuiffe demandatam; idque potius effe ex confuetudine Ecclefiæ, quam ex divina difpofitione. Secundo loco eadem habet, ac exemplo firmat Ecclefiæ Alexandrinæ, in qua Presbyteri femper unum ex fe electum in excelfiori gradu collocabant; *quomodo si exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligunt de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocant*. At facilis funt hæc folutionis (quidquid Simonnet in oppofitum dicat *disp.*1. *artic.*6.); Epifcopi, ac Presbyteri ex Hieronymo primis Ecclefiæ temporibus unum erant quoad nomen, feu denominationem, & vocandi modum, & quoad Jurifdictionis, ac poteftatis exercitium; fecus verò quoad rem fignificatam, feu quoad poteftatem, jurifdictionem, Ordinem, & characterem: fiquidem eo tempore Epifcopus ex communi Presbyterorum confilio Ecclefiam adminiftrabat, fed non æquali cum illis poteftate, Jurifdictione, Ordine, & charactere; quod certè numquam Hieronymus affirmare fomniavit; *communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur*; ait primo loco Hieronymus; non communi dignitate dicit, non communi poteftate, ac jurisdictione, fed *communi consilio*; non poteftatis, ac dignitatis, fed nominis inter utrof-

utrosque admittit unitatem, cum dicat ibidem, *sed quia eosdem Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Episcopis quasi de Presbyteris est locutus*: at Episcopos ut longè majoris potestatis, ac dignitatis ibidem agnoscit, cum & illos Moysi comparet, *imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus praeesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret*; quis verò, Moysen septuaginta illis senioribus auctoritate, ac dignitate fuisse superiorem, inficiari audebit? Eamdem habent solutionem, quæ ad Evagrium Hieronymus ait, ut milites Imperatorem, & Diaconi Archidiaconum faciebant, sic & Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyteri unum ex ipsis electum constituebant Episcopum, seu qui erat per veram Ordinationem in Episcopum consecrandus, testante ibidem Hieronymo, Episcopos Presbyteris superiores esse, tum Ordine, tum Jurisdictione, Ordine quidem, cum dicat, *quid facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* & Jurisdictione, *ut sciatis*, inquit, *traditiones Apostolicas sumptas de Veteri Testamento, quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, Presbyteri, & Diaconi vindicant in Ecclesia*; certum est autem Aaronem cæteris Presbyteris, ac Levitis auctoritate fuisse Superiorem: addit quoque, Episcopos successores esse Apostolorum, *cæterum omnes Apostolorum successores sunt*, & Apostolos tum Ordine, tum Jurisdictione Presbyteris fuisse superiores, nullus unquam ausus est inficiari.

Cum Apostolus ait 1. ad *Timotheum* 3., *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse &c.*; vel Episcopos intelligit, quos cæteri Sacerdotes imitari debent, vel omnes intelligit Sacerdotes, præsertim Majores, quales sunt Episcopi; cum primis Ecclesiæ sæculis erant ex Hieronymo Sacerdotibus tum Majoribus, tum Minoribus denominationes illæ communes: cum ad *Philippenses cap.* 1. *Episcopos, & Diaconos* salutat Apostolus: vel nomine *Episcopi* omnes intelligit Sacerdotes, præsertim Majores, & nomine *Diaconi* cæteros omnes Ministros Ecclesiæ, vel solos intelligit Episcopos; nec ideò plures erant in eadem Civitate Episcopi, cum Philippensium nomine tota Provincia significetur, in qua & plures erant Civitates: ad *Timotheum* 1. *cap.* 4. cum ait, ordinatum illum fuisse *cum impositione manuum Presbyterii* solos intelligit Episcopos, qui sunt primi Ordinis Presbyteri. *Actor. cap.* 20. Apostolus *a Mileto mittens Ephesum vocavit majores natu Ecclesiæ*; eosque Episcopos vocat *positos a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei*: sed solos Episcopos alloquitur, non omnes majores natu Ecclesiæ, seu Sacerdotes: vel si omnes alloquitur, omnes diversarum Ecclesiarum erant Episcopi, & non solius Ecclesiæ Ephesinæ: de vocatis Ephesum Episcopis ait Irenæus *lib.* 3. *cap.* 14. *ab Epheso, & reliquis proximis Civitatibus convocatos esse*; quod satis ibidem expressit Apostolus, cum illis ait, *vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim* &c. *& vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei*. Sic de Episcopis intelligendus est, cum Presbyteros nominat ad Titum *cap.* 1., *hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut quæ desunt corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros.* Insula Cretæ plures Civitates habebat, quarum singulis Episcopos præficere opus erat, *hic Episcopos intelligi vult* (ait S. Chrisostomus in

Commentario) *neque enim profectò vult Insulam totam uni viro permitti*. Non ergo favet Scriptura Blondello: uti nec Basnagio favent quædam quæ opponuntur facta de Episcoporum electionibus in Ecclesia Alexandrina, vel alibi, ex Liberato, vel ex Eutychio desumpta; siquidem illæ simplices erant electiones, vel cæremoniæ a Presbyteris factæ; ad quas vera sequebatur consecratio Episcopi, non a Presbyteris, sed ab Episcopo facienda, quæ apud Natalem *Historiæ Ecclesiasticæ sæculo* 4. *dissertat.* 44., Boucat, Tournely, & Petavium ad satietatem videri possint.

XIII. Sed quid dicendum de modernis Anglorum Ordinationibus? quæ nempè juxta Ritualem Eduardi VI. Regis Angliæ fiunt: illas validas esse, duplici opere magno propugnat æstu Pater Le Courrayer ex Canonicis Regularibus. At irritas esse, ac nullas, communissimè tenent Catholici, ac latè probant in dissertationibus de hac re Renaudotius, Harduinus, Lequienius, Fennel, Boucat, Tournely: nec dubitandum est, cum fatentibus omnibus, & praxis ipsa ostendit, ab Anglis Præsulibus Ordinati, venientes ad Ecclesiam Romanam iterum omnes absolutè, & tanquam essent Laici sunt ad Ordines admissi: fatetur ipse Le Courrayer *part.* 2. *dissert. cap.* 13. *pag.* 47., *quoties*, inquit, *aliquis Minister Anglus ad Ecclesiam Catholicam redit, si dignus habitus est, ut admitteretur in Clero, omnes Ordines tamquam mero Laico illi collati sunt*; *&* *ita recenter actum est Romæ*: certum ergo Catholicis est, nullas esse, ac irritas Anglorum Ordinationes; cum Romana Ecclesia columna sit, & firmamentum veritatis, & Ecclesiarum omnium mater est, ac magistra. Item Angli ab Eduardi VI. tempore nullam habent Eucharistiam, nullum verum Sacrificium, nullumque verum habent Sacerdotium; siquidem nullum verum Sacerdotium conferre intendunt, & nullam veram potestatem, quæ sit ad verum ordinata Sacrificium, illorum Ordinationis forma significat, sive in multis, quæ dicuntur, Orationibus consistat, sive in verbis illis, *accipe Spiritum Sanctum &c.*: ut ex ipso Rituali Regis Eduardi VI. citati Auctores ostendunt. Neque mirum, cum Angliæ Præsules non ordinent, nisi ut Ministri Regis, & per potestatem sibi a Rege communicatam, atque ad ejus nutum amovibilem; per potestatem a Rege non quidem immediatè, & per se, sed per suos Ministros communicatam; ut optimè differit Bossuetus *lib.* 10. *Historiæ variationum num.* 14. Certum est autem, a Laica potestate, nullam esse posse Sacram Ordinationem. Nullæ sunt ergo Ordinationes in Anglia ab illis Præsulibus habitæ, cum & nulli ibi sint Episcopi, nullique Sacerdotes.

Nec audienda sunt, quæ adducit monumenta Le Courrayer sive in dissertatione de Anglorum Ordinationibus, sive in vindiciis ejusdem dissertationis, cum duplex illud opus pluribus scateat hæresibus, utque tale fuerit ab Episcopis Galliæ damnatum, ac præsertim a Patribus Concilii Provincialis Ebredunensis, quod habitum est anno 1727. mense Augusto, ac Septembri: damnatum est quoque Brevi Benedicti XIII. anno 1728. die 25. Junii: siquidem sive de Primatu Apostolicæ Sedis agatur, sive de charactere a quibusdam Sacramentis impresso, sive de Eucharistiæ Sacramento, sive de novæ legis Sacrificio, aliisque similibus, Anglorum causam agit Le Courrayer, uti videre est tum in Auctoris opere, tum in actis Concilii Ebredunensis, tum

in

in Bibliotheca Jansteniana *tom.* 1. *a pag.* 147. *editionis* 3. Nec dicere valet; Ordinationes, quæ sunt ab Hæreticis, & Schismaticis habitæ, semper acceptavit Ecclesia. Contra, quæ a Novatianis, Arianis, Donatistis, Nestorianis, Eutychianis, Iconomachis, ac similibus, factæ sunt Ordinationes, ratas habuit Ecclesia; cum non a Laica potestate, sed a veris Episcopis habitæ fuerint, cum debita intentione, ac forma: non sic Angli, qui nullum verum Sacerdotium conferre volunt, ac solùm ut Regis Ministri agentes, Ministros, Prædicantes, ac Regis Commissarios, seu Regiæ commissionis, executores, ad Regis nutum amovibiles, facere intendunt: debita etiam, ut visum est, forma carent. Idemque dicendum de Ordinationibus, quæ sunt a cæteris Protestantibus habitæ; cum nonnisi ministerium à Populo habitum, atque ad illius nutum amovibile in Episcopis agnoscant, nullumque verum Sacerdotium conferre velint. Pium IV. Anglicanam probasse Liturgiam in litteris datis ad Reginam Elisabetham, ut scribit Le Courrayer, apertissimum est mendacium, ubi post Durellum Scriptorem Anglum, & Fullerium ostendit Tournely: sed omisso, certè nonnisi emendatam probavit. Anglis ad Catholicam fidem venientibus promisit Julius III., omnes a Censuris absolvere, & *rehabilitare* ex Clericis eos, qui Ordines, aut nunquam, aut male susceperunt: sed *rehabilitatio* illa Clericorum in sensu accomodo intelligenda est; quatenus omnes essent etiam Episcopi, in suo gradu per novam veram Ordinationem admittendi. Quæ opponuntur alia, solvunt Harduinus, ac Lequienius in suis de hac re dissertationibus, quarum compendium habes in Memoriis Trevoltinis anno 1725. mense Martio, anno 1726. mense Junio, anno 1730. mense Augusto, ac Septembri.

APPENDIX XLII.

INTER NOVAS *Post num.* 198.

AC

DISSERTATIO VI.

De Azymorum usu in Sacrificio Missæ.

AD nonum usque sæculum Ecclesiam Latinam solo usam fuisse Fermentato, latè propugnat doctiss. Sirmundus *tom.* 4. suorum operum *in tract. de Azymo, & Fermentato*; cui & Launojus accedit in opusculo de hac re, quod memorant Ephemerides Parisienses ad annum 1697. Tum Azymo, tum Fermentato indiscriminatim toto eo tempore usam fuisse eruditissimus Cardinalis Bona contendit, tum *lib.* 1. rerum Liturgicarum, tum *in epistola* ad Mabillonium; cum quo sentiunt Bocquilot *in tractat. historico de Sacris Liturgiis*, aliique Recentiores; quod & probabile putat Natalis Alexander Histo-

Historiæ Ecclesiasticæ sæculo 11., & 12. *dissertat.* 11. *artic.* 3. *à num.* 3. Cum Bona sentit Claudius de Vert Benedictinus Cluniacensis *in explicatione Sacrarum Cæremoniarum*, cujus tamen in multis displicet opus; Missæ Canonem, aliaque secreta esse alta voce dicenda inter alia contendit, & Sacris Cæremoniis, quibus utimur in Missa, uti luminaribus, thurificationibus, &c. nullum tribuendum esse Mysterium. Cum Bona sentiunt alii, sed solum pro sex primis Ecclesiæ sæculis; sic Auctor Dominicanus de re Sacramentaria *lib.* 4. Tournely *quæst.* 4. *de Eucharistia artic.* 5. Jueninus in Commentario de Sacramentis *disputat.* 4. *quæst.* 2. *artic.* 4. §. 5. aliique.

Semper Ecclesiam Latinam in solo Azymo celebrasse (tempora si excipias Apostolorum) Mabillonius contendit tum in Præfatione ad sæculum 3. Benedictinum, tum *in disputat.* de Azymo; cui accedunt Christianus Lupus Augustinianus *tom.* 3. Scholiorum in Decreta, & Canones Conciliorum, *differt. de Actis S. Leonis* 9. *à cap.* 7., Martene *tom* 1. *de Antiquis Ecclesiæ ritibus*, *lib.* 1. *cap.* 3. *artic.* 7., aliique. Nec tempore Apostolorum excepto, Latinam Ecclesiam semper in solo Azymo sacrificasse, propugnant doctissimi alii recentiores Ciampinus *in conjecturis de Azymo*, *&* *Fermentato*, Honoratus à S. Maria Carmelita Discalceatus *tom.* 2. *Animadversionum Criticarum lib.* 4. *differt.* 4., Edmundus Simonnet *disputat.* 2. *de Eucharistia*, *artic.* 3.: Boucat *part.* 3. *de Sacramentis*, *artic.* 4. *de Eucharistia Sect.* 2. *punct.* 2., §. 2., Antonius Sandini *dissertat.* 11. *ex Historia Ecclesiastica*, aliique plures. At in prioribus octo sæculis nullum apud Ecclesiasticos Scriptores positivum extare documentum pro solo Azymorum usu summa eruditione contendit Honoratus.

Latinam Ecclesiam in solo Azymo ab initio celebrasse, sed adveniente Ebionitarum hæresi (qui contendebant, cum lege nova servanda esse legalia, atque in Azymis sacrificandum) ritum mutasse, tantùm in Fermentato celebrando; cessante deinde illorum hæresi, iterum ad solum Azymum rediisse: antiqui Scholastici propugnant in 4. *sententiarum dist.* 11.; sic Alensis, Durandus, Scotus, S. Thomas, S. Bonaventura, & passim alii: at non multum in hoc audiendi cum res non scholastica sit, sed historica.

Ecclesiam Latinam semper in Azymo, nunquam in Fermentato (nequa tempore Apostolorum excepto) consacrasse videtur: siquidem Leo IX. qui medio sæculo 11. Summus erat Pontifex, in celeberrima illa epistola doctrinali, quæ est 1. ad Michaelem Cærularium Patriarcham Constantinopolitanum, de hac materia loquens, hæc habet *cap.* 5. *Ecce jam post mille, ac fermè viginti a passione Salvatoris nostri annos, incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria passionis ejusdem sit recolenda, quasi nihil contulerit ei & c. mors pretiosa illius venerabilis Senis, cui specialiter Christus dixit. Beatus es Simon Bariona* &c.; *&* *cap.* 20., *quapropter à tanta amentia jam resipiscite, & Latinos vere Catholicos, atque maximi Petri familiares discipulos institutionis ejus devotiores sectatores, cessate subsannando Azymitas vocare* &c.; & *cap.* 24. ait, *quotquot extitere Martyres in Ecclesia Latina, Azymis sapinatos fuisse*; eadem repetit *in epist.* 6. quæ est 2. ad eundem Cærularium, sic illum redarguens, *illud autem quis non stupeat, quod post tot Sanctos, & Orthodoxos Patres per mille, & viginti a passio-*

passione Salvatoris annos novus Calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti anathematizans eos quicumque participarentur ex Azymis &c.

In duabus his Epistolis quatuor sunt, quæ docet Leo IX. (cujus tempore certum est universam Latinam Ecclesiam in solis Azymis consacrasse) Primum est, Christum Eucharistiam instituendo in Azymis consacrasse; quod fusè in 2. Epistola probat: secundum, quod Latina Ecclesia Christi exemplum secuta per mille, ac viginti annos in solo Azymo consacraverit: tertium, quod praxis hujusmodi a nullo ante Cærularium blasphemata fuerit, sed eam laudaverint omnes, cum à Divo Petro fuerit instituta, atque à devotioribus ejus sectatoribus executioni mandata: quartum, quod Martyres omnes ab initio Ecclesiæ in solis Azymis susceperint Eucharistiæ Sacramentum, ex quo illos dicit *Azymis Saginatos*: His autem documentis Leo, meritò ab Ecclesia Latina sæculo 11. in solis Azymis celebratum fuisse, ostendit.

Eadem habet Humbertus Cardinalis Legatus ejusdem Pontificis Leonis IX., tum in Refutatione Michaelis Cærularii, tum in responsione adversus Nicetam Pectoratum; dicit in prima, *jam quia sufficienti auctoritate novi, & veteris testamenti constat, Dominum nostrum Jesum Christum commemorationem suæ passionis recolendam in Azymo discipulis suis sub ipsa Cæna commendasse, sicut hodieque S. Romana & Latina Ecclesia noscitur recolere; dicere debetis, cujus institutionem in Fermentato tam obstinatè defenditis*: igitur Ecclesia Romana, ac Latina ab ejus initio, usque ad tempora, in quibus scribebat Humbertus, memoriam passionis Christi recolebat in Azymo, videlicet non Fermentatum, sed Azymum consacrando: in altera dicit, *non tantum ab Apostolis, quantum ab ipso Christo Domino traditum est nobis, non de phase judaico comedere, sed de Pascha Christiano percipere*; quis autem dubitabit, Ecclesiam Romanam, ac Latinam, quod à Christo, ejusque Apostolis acceperat, non semper servaturam esse, semperque servasse?

Perpetuam hanc Ecclesiæ Romanæ traditionem, quam Leo IX. & Cardinalis Humbertus opposuere Græcis, etiam illi testantur, qui sæculo 12. scripserunt; ait S. Algerus *lib. 2. de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini cap.10. omnis autem Ecclesia, præter Græcam, primordio sui ex traditione Principum Ecclesiæ, Petri scilicet, & Pauli in Azymis consacravit*, Græcam excipit Ecclesiam; cum suo tempore Apostolorum illa traditio à Græcis interrupta, ac violata jam esset: Hugo Tuschus, seù Eterianus, *lib.2. de hæresibus cap.17. Latinorum Ecclesia æternaliter Azyma offert, & immolat &c., secundum Christi traditionem*: Rupertus Abbas Tuitiensis *lib. 2. de divinis officiis, cap.22.* scribit, *Ecclesiam Romanam Fermentatum nunquam adhibuisse*: eadem habet Summus Pontifex Innocentius III. *lib.4. de Mysteriis missæ cap. 4.* ubi de ritu loquens in Azymis celebrandi, ait, *ab ipsis ergo Apostolis Petro, & Paulo, quos vivos habuit, & defunctos custodit Ecclesia Romana, hunc sacrificandi ritum accepit, quem hactenus inviolabili cultu servaverit.*

Perpetuo Azymorum usui in Ecclesia Latina favent ejusdem ævi Scriptores Græci Michael Cærularius, Leo Ancridanus in Bulgaria Archiepiscopus, ac Nicetas Pectoratus; qui etsi apertissimo mendacio, in suis scriptis, vel

Epi-

Epiſtolis Chriſtum in Azymis in ultima cœna celebraſſe negent, eumque in Fermentato ſacrificaſſe velint; nunquam tamen recentem aliquam, vel antiquam in hoc ritu factam fuiſſe mutationem, oppoſuere Latinis; quod longè facilius ipſis erat, quam negare Chriſtum in Azymis celebraſſe; *quod omnino falſum eſſe* (inquit Leo IX. *in cit. epiſt.* 2. ad Cærularium) *ex utroque teſtamento facillime deprehenditur*; hoc ipſum deinde invictiſſimè probans: ſupponunt ergo à Latinis ſemper Azymorum uſum religioſe fuiſſe retentum, ſæculo igitur 11., & 12. communis hic erat Latinorum Eccleſiæ ſenſus.

Reſpondent, recentes eſſe hujuſmodi Scriptores: adeoque non multam in re antiqua fidem illis eſſe adhibendam. At, contra Sirmundum, ac Bona noſtrum urget argumentum, allatique Scriptores; non ergo facta eſt hujuſmodi mutatio tempore illo, quod inter Photium mediat, ac Michaelem Cærularium, nempè à ſæculo 9. declinante uſque ad medium ſæculum 11. ſiquidem relatè ad hoc tempus allati Scriptores, qui 11., & 12. Eccleſiæ ſæculo floruere, ſatis antiqui ſunt, ac proximi. Facta credimus, quæ primo, vel ſecundo Eccleſiæ ſæculo evenerunt, ſi à Scriptoribus narrentur, qui quarto, vel quinto ſcripſerunt Eccleſiæ Sæculo; ut Euſebius eſſet, S. Athanaſius, S. Epiphanius, S. Baſilius, Sancti Gregorius Nazianzenus, & Nyſſenus, Joannes Chryſoſtomus, Auguſtinus, Hieronymus, Cyrillus Hieroſolymitanus, & Alexandrinus; ſic Beatam Virginem Mariam Epheſi mortuam eſſe, ac ſepultam, tenent non pauci ſeverioris Criticæ Sectatores, ut Serrius, Baillet, Tillemontius: ſed qua ducti auctoritate? Concilii Generalis Epheſini, quod habitum eſt ſub Cæleſtino primo anno 431., à quo id aſſeri putant: quantò magis credenda ſunt, quæ 9., vel 10. ſæculo evenerunt, à magnis narrata Scriptoribus, qui proximo eo tempore, nempè ſæculo 11., ac 12. floruere?

Item ſi Fermentati uſum pro ſacrificio medio illo tempore inter Photium, ac Cærularium, Latina prohibuiſſet Eccleſia, potuit ne tam inſigne factum latere Cærularium? vel ſi non latuit, quo modo Cærularius potuit tam ſibi favorabile factum ſilentio præterire; illudque non objicere Latinis perantiquum Eccleſiæ Latinę morem rejicientibus? at ne verbum quidem de hoc habet Cærularius in ſua ad Joannem Epiſcopum Tranenſem Epiſtola; in qua totus eſt in Latinis de Azymorum uſu impugnandis; eoſque ſola Sacrarum Scripturarum auctoritate vincere tentat.

Cæterum & ante tempora Photii ſolum Azymum fuiſſe in Latina Eccleſia conſacratum; contra Sirmundum, Bona, & Natalem, ex Alcuino, & Rabano Mauro, qui 8. ſæculo florebant ſatis innoteſcit: Alcuinus (qui anno deceſſit 804.) *in Epiſt.* 69. ad Fratres Lugdunenſes ſic habet: *panis, qui in Corpus Chriſti conſacratur abſque Fermento ullius alterius infectionis debet eſſe mundiſſimus*: ſic enim ſcribit homo Anglus ad Gallicanos, utriuſque Eccleſiæ conſacrationem demonſtrans; Rabanus Maurus (qui anno ſcribebat 819.) Moguntinus Archiepiſcopus *lib.* 1. *de inſtitutione Clericorum cap.* 31. dicit *ergo panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in Sacramento Corporis, & Sanguinis Chriſti ſacrificari oportet*: quæ verba non ſolum in editis, ſed etiam in manuſcriptis codicibus extant; & *cap.* 33. poſtquam de Azymorum uſu egerat, addit, *iſtum ergo ordinem ab Apoſtolis, & Apoſtolicis Viris traditum*

ditum

ditum Romana Ecclesia, & per totum penè Occidentem omnes Ecclesiæ eandem traditionem servant: ubi vides Rabanum sæculo 9. ineunte, nempe anno 819., quando opus de Clericorum institutione composuit, usum testari Azymorum, nedum de Ecclesiis Germaniæ, sed etiam de Ecclesia Romana, ac de omnibus Ecclesiis occidentalibus, simulque affirmare esse hunc usum ab Apostolis, & Apostolicis viris traditum: hinc & male concludit sua critica Sirmundus, Azymum in Ecclesia Latina eo temporis spatio introductum fuisse, quod inter Photium mediat, ac Michaelem Cærularium, seu ab anno 867. usque ad 1054., cum ipso sæculo 9. ineunte, & ante Photium, solus Azymus panis in universa fuerit Ecclesia usitatus; creditumque ab *Apostolicis viris*, immo & ab *ipsis Apostolis* emanatum.

Nec dicas ly *per totum penè Occidentem* &c. saltem significare, aliquam Occidentis Ecclesiam tunc in Fermentato consacrasse. Contra, sunt verba illa ad significandum non quæ incerta, sed quæ certa omnibus erant; siquidem de omnibus ferè occidentis Ecclesiis in Azymis tunc consacrasse constabat, sed non certum de singulis hoc erat Ecclesiis; esto de nulla Occidentis Ecclesia constaret oppositum.

Certum est quoque contra Borquilot, Du Vert, & Honoratum, auctoritate Legatorum, quos Agatho Papa ad sextam Synodum generalem misit, habitam anno 681., ut ejus nomine præsiderent, qui ut scribit Humbertus Cardinalis Episcopus Silvæ Candidæ in responsione adversus Nicetam Pectoratum (quam habes apud Baronium Annalium *tom.* 11. *in Appendice*, & in Bibliotheca Patrum Lugdunensi) peracta Synodo à Constantino Imperatore interrogati, qualiter Romana Ecclesia de Sacrificio Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi ordinem teneret; responderunt. *In Calice Domini non debet offerri solum vinum; sed aqua mixtum* &c. *Oblatio verò quæ in Sacrificium Altaris offertur, nullam commixtionem, aut corruptionem Fermenti habere debet; sicut Beata Virgo Maria absque omni corruptione, Christum concepit, & peperit* &c. additque Humbertus: *tunc placuit piissimo Principi Constantino hæc traditio Apostolicæ Sedis*. Testimonium hoc Legatorum, cum exploratum omnibus esset, negare ausus non est Pectoratus: ex quibus primo deduces, sæculo 7. Ecclesiam Romanam in solis Azymis consacrasse, ut notant verba illa, *nullam commixtionem, aut corruptionem Fermenti habere debet*: secundo, quod sæculo 7. antiqua hæc erat, ac universalis Apostolicæ Sedis traditio: tertio, quod sæculo 7. tantæ Antiquitatis erat, ac universalis traditio in solis Azymis consacrandi, quantæ antiquitatis erat, ac universalis traditio consacrandi in vino aqua mixto; cum de utraque traditione Legati Agathonis pari modo loquantur: nec refert de hac allocutione in Actis sextæ Synodi nihil haberi, cum sexta Synodo jam peracta, habita fuerit.

Clarum etiam est contra Natalem, Sirmundum, aliosque recensitos ex Concilio Toletano 16. quod habitum fuit sæculo 7. labente, hoc est anno 693. *can.* 6. sicque habet: *ad conventus nostri agnitionem delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus, quidam Sacerdotum, partim nescientia impliciti, partim temerario ausu provocati, non panes mundos, & studio præparatos, supra Mensam Domini in Sacrificio offerant, sed de*

panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super Altare cum vino, & aqua pro Sacro libamine offerant: quod factum nequaquam in Sacræ auctoritatis historia gestum perpenditur: & deinde; *unde temeritatis huius, atque nescientiæ cupientes terminum ponere, id unanimitatis nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini Sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat.*

Mandat ergo Concilium, Ecclesiarum consuetudinem inviolabiliter servari, *secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat*, de pane in Sacrificio adhibendo, quod nullo sit fermento commixtus; quid enim est *panis integer nitidus, & ex studio præparatus*, nisi azymus panis? nec enim panis consacrandus in posterioribus Conciliis, & constitutionibus alio nomine vocatur; sic Concilium Coyacense in Diœcesi Ovetensi habitum medio sæculo 11. (quando. & certum est in solis azymis fuisse celebratum): *cap.* 3. his utitur verbis: *Hostia sit ex frumento sana, & integra*; & Canonibus sub Eadgaro Rege in Anglia collectis 10. sæculo declinante, nempè anno 967. *Canon.* 39. panem consacrandum vocat, *oblationem puram, vinum purum, & aquam puram*: & sæculo 8. Egbertus Eboracensis Episcopus in suis exceptionibus *Can.* 98. ait, *ut panis, vinum, & aqua, sine quibus nequaquam Missæ celebrantur, pura, & munda fiant*: tunc autem certum est ex dictis præsertim ex Alcuino, & Rabano Mauro in solis azymis fuisse celebratum, Hinc de pane loquitur Toletana Synodus, de quo solum *in Sacræ auctoritatis historia gestum perpenditur*; seu in Sacra Scriptura nobis in Evangelio, Christi exemplum proponente, qui non in Fermentato, sed in Azymo pane Eucharistiæ Sacramentum instituit; quid clarius? Breviùs hoc deinde S. Anselmus Episcopus Cantuariensis expressit in epistola ad Valerianum de tribus quæstionibus: ubi *quæst.* 2., quæ est de Fermento, & Azymo, sic habet; *apertissimum est, quod melius sacrificatur de Azymo, quàm de Fermentato; tum quia valde apertiùs, puriùs, ac diligentiùs fit, tum quia Dominus hoc fecit.*

Nec dicas, Concilium non panem Azymum requirit, sed *nitidum, & studio præparatum*, seu ex selectioribus frumenti granis confectum: hinc panem Fermentatum consacrandum, *panem purum* vocant Græci. Contra, sive panem purum Græci vocent, sive purissimum, nihil ad rem nostram: siquidem nullum panem Fermentatum, studio præparatum, cum Sacramentum instituit Euchaistiæ, Christus adhibuit, ut Sacra docet Historia; adeoque omnem panem Fermentatum, etiam nitidum, & studio præparatum, Concilium reprobat, ut verba illa ostendunt: *quod factum nequaquam in Sacræ auctoritatis historia gestum perpenditur*; quodnam est hoc factum? Si novum legas Testamentum, exemplum est Christi, qui quocumque Fermentato relicto, in Azymis consacravit. Si Testamentum respicies antiquum, pro Sacrificio Domini Fermentum prohibitum esse, videbis: Hinc *Levitic.* 2. sic habetur: *omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque Fermento fiet, nec quidquam Fermenti ac mellis adolebitur in Sacrificio Domini*; unde, & Anselmus Havelbergensis Episcopus sæculo 12. hæc scribit *lib.* 3. *Dialogorum*

ad

ad Nicbetem: nusquam in Veteri Testamento præcipitur, vel etiam conceditur, Fermentum offerri in Sacrificio Domini, immò prorsus interdicitur, & sicut ingratum Deo ubique in lege offerri prohibetur: nunquam ergo pro Sacrificio Domini Fermentum in Sacra Scriptura legimus usurpatum. Dictis non officit, quod habetur Amos *cap. 4.*: *Sacrificate de Fermento laudem*, vel ut Aquila vertit, *Sacrificate de Fermento Eucharistiam*: cum certum sit, verba illa ad facti reprobationem dici, ut quæ præcedunt verba demonstrant; *Venite ad Bethel, & iniquè agite ad Galgalam, & multiplicate prævaricationem*: quod verò dicitur de oblatione panis Fermentati, *Levitic. cap. 7., & 23.* & *Numerorum cap. 15.*; non est de oblatione Deo facienda super Altare, sed facienda ipsis Sacerdotibus, & Levitis, qua & ipsi vescerentur.

Nec dicas iterum, ergo usque ad sæculum 7. non deerant in Hispania Sacerdotes in Fermentato celebrantes. Contra, non deerant id facientes, sed ex temeritate, vel ignorantia, & deceptione, secus autem ex rationabili aliqua consuetudine; hinc temeritatis, ac ignorantiæ redarguit eos Concilium, *quidam Sacerdotum partim nescientiæ impliciti, partim temerario ausu provocati* &c., & deinde; *temeritatis hujus, atque nescientiæ cupientes terminum ponere* &c.; illisque venerandam Ecclesiarum consuetudinem inviolabiliter observandam proponit, *secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat*: & quidem Christi exemplo comprobatam, *quod in Sacræ auctoritatis historia gestum perpenditur*: adeoque ut contra novos insurgentes errores pugnare consuevit Ecclesia, sic & contra novum de Fermentato conficiendo errorem se Toletani Patres opposuere, & quidem ostendentes morem in solis Azymis consacrandi, nec novum esse, neque peculiarem; sed antiquam, ac universalem Ecclesiæ consuetudinem in Christi exemplo fundatam; aliàs nec Sacerdotes illi, qui in Fermentato conficiebant, tanta fuissent reprehensione digni.

Item, contra Jueninum, Tournely, Honoratum, ac recentissimum Auctorem de re Sacramentaria, præstantiora suppetunt Antiquitatis monumenta pro solo Azymorum usu in Ecclesia Latina, siquidem Concilium Carthaginense 3., 4. sæculo labente habitum, *Can. 24.* inquit; *in Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mixtum*; sermo hic est de eo quod Christus tradidit exemplo suo, & quod ipse fecit; secus autem de eo, quod præcepto tradidit, & de substantia est Sacrificii; cum certum sit, talem nôn esse mixtionem aquæ cum vino à Concilio præceptam: mandat ergo Concilium in eo pane consacrandum esse, quem Christus suo exemplo tradidit, & facto suo probavit, atqui Christus Dominus suo exemplo tradidit, in Azymis consacrandum esse, & in vino aqua mixto; mandat ergo Concilium in Azymis consacrandum esse, & in vino aqua mixto.

Nec dicas, Consacrationem etiam in Fermentato Christus exemplo suo probavit; nonnè Christus post resurrectionem, panem consacravit? habetur Lucæ 24., *dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum in fractione panis*; panis autem ille Fermentatus erat. Contra, post resurre-

furrectionem fuam Chriftum panem confacraffe dubitant Patres;quæ habetur in Emmaus facta, Lucæ 24.talis eft:cum nulla ibi legatur confacratio vini, & una fpecies fine altera de jure Divino confacrari non poffit ; nulla quoque legitur confacrationis forma in panis benedictione à Chrifto prolata , quæ tamen eft de confacrationis effentia : item nec verifimile videtur , Chriftum Difcipulis Corpus dediffe fuum in fide non fatis firmis , imò & de ipfius refurrectione dubitantibus ; quod verò Chriftum Difcipuli in fractione panis cognoverint, effectus effe poterat immediatus ipfius virtutis Chrifti , qui jam in Difcipulorum cordibus ante panis benedictionem operabatur ; hinc dicebant : *nonnè cor noftrum ardens erat in nobis , dum loqueretur in via ?*

At omiffo , panem illum à Chrifto benedictum , confacratum fuiffe in Corpus Chrifti , quid inde ? Panis erat Fermentatus ? minime gentium : Panis erat Azymus , & fine Fermento ; fiquidem certum eft , Chriftum tertia die refurrexiffe à mortuis , & confequenter tertia die Azymorum furrexiffe , cum prima folemni die Azymorum Cruci affixus fuerit ; atqui eadem Refurrectionis die Difcipulis apparuit euntibus in Emmaus , cum illis cœnavit , panem benedixit , ac fregit , &c. , ut certum eft ex illis verbis Difcipulorum, Lucæ 24. , *tertia dies eft hodie quod hæc facta funt* : contigit ergo panis hæc benedictio , feu confacratio tertia die Azymorum , quando certum eft , nullum panem fuiffe Fermentatum , fed omnem panem Azymum , juxta præceptum Domini , Exodi 12. *feptem diebus Fermentum non invenietur in domibus veftris:qui comederit Fermentum , peribit anima ejus* , &c. , & Levitici 23. ; *quintadecima die menfis hujus* (ideft primi menfis) *folemnitas Azymorum Domini eft ; feptem diebus Azyma comedetis* &c.: non ergo Fermentatus , fed Azymus , & fine Fermento fuit panis , quem Chriftus benedixit , ac fregit ; factam hanc fuiffe confacrationem fecunda die Azymorum ait , fed fallitur Jueninus .

Item omiffo panem illum fuiffe Fermentatum , nec evincitur intentum : cum non fuerit pro noftro data exemplo confacratio illa : aliàs , & panem fine vino confacrare poffemus , & panem fine verborum forma à Chrifto Domino inftituta confacrare , quod nullus unquam dicere fomniavit ; fola confacratio fub utraque fpecie a Chrifto facta , *in qua nocte tradebatur* ex Apoftolo 1. *ad Corint.* 11. , *& pridie quam pateretur* ; ut habetur in Canone Miffæ , & Scripturis , & Conciliis , & Patribus , pro noftro data eft exemplo : de hac fola Chriftus ait : *hoc facite in meam commemorationem* : in qua , & certum eft in Azymo fuiffe confacratum ; manet ergo , folam panis Azymi confacrationem fuiffe Chrifti exemplo comprobatam .

Nec dicas iterum , allatum Concilium Carthaginenfe circa panem confacrandum , aliquam inducit mutationem, ut verba illa oftendunt: *nihil amplius offeratur , quàm* &c. ergo fi Concilium præcipit Azymum adhibendum effe panem , fignum eft in Azymum panem factam effe mutationem , adeoque ad quartum ufque fæculum , panem confacrandum fuiffe Fermentatum . Sed contra , & quæ opponitur inftantia ipfos urget adverfarios contendentes , Concilium non de pane Azymo , fed de pane triticeo , & quoad fubftantiam effe intelligendum ; fiquidem fi de pane Fermentato Concilium intelligas ; ergo ufque ad quartum fæculum pane Azymo ufa eft Ecclefia ,

quem

quem in Fermentatum deinde mutavit: si verò Concilium de triticeo pane loquatur; ergo usque ad quartum sæculum pane non triticeo usa est Ecclesia, quem in triticeum panem deinde mutavit, ut verba illa ostendunt; *nihil amplius offeratur.. quam* &c.: quid ad hæc adversarii? Nullam ergo circa panem Azymum significant verba illa mutationem; uti hæc nulla significant circa mixtionem aquæ cum vino, cum pari modo ad utrumque referantur: *nihil amplius offeratur*. Concilium ait) *quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mixtum*: verba illa *nihil amplius offeratur, quam* &c. quid faciendum sit ostendunt, non quod aliter factum sit; ut allatæ omnes instantiæ probant. Evangelicis verbis certè illudebat Helvidius, cum impiè dicebat: Beatissimam Virginem Mariam post Partum carnaliter fuisse cognitam à S. Josepho; cum dicatur *Matthæi* 1. de Maria, & Josepho: *antequam convenirent, inventa est in Utero habens de Spiritu Sancto. Convenerunt ergo postea*; ait Helvidius. Cui S. Hieronymus in commentariis ibibem respondet; *quod dicitur antequam convenirent, non sequitur quod postea convenerint; sed Scriptura, quod factum non sit, ostendit*: sic & verba illa, *nihil amplius offeratur*; non quæ facta non sunt, sed quæ sunt facienda demonstrant; de pane Azymo nullam dicunt mutationem, uti & nullam dicunt de vino aqua mixto; immò ut de vino aqua mixto, sic & de Azymis perpetuam supponunt Ecclesiæ traditionem, cum pari modo de utrisque loquantur. Hinc allata verba Concilii, ut perpetuum Azymorum usum in Sacrificio probant; sic & Fermentum semper exclusum evincunt.

Nonnè eadem habet sæculo 3. S. Cyprianus in celeberrima sua epistola ad Cæcilium? quæ est 63.; ibi: *sic verò Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrunque sibi misceatur, quomodo nec Corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum* &c. *si in Sacrificio quod Christus obtulit, nonnisi Christus sequendus est; utique id nos obaudire, & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandavit*; ubi nullam vides fermenti mentionem, sed solius mixtionis farinæ cum aqua, seu panis azymi; similibus ac Cypriani verbis utuntur 4. sæculo S. Gaudentius Brixiensis Episcopus *tract.2. de Paschate*; sæculo 5. S. Augustinus *serm. 83. de diversis*; sæculo 7. S. Isidorus Hispalensis Episcopus *lib.1. de officiis Ecclesiasticis cap.*18. adducens verba ipsa Cypriani: sæculo 9. eadem adducit Amalarius *lib.3. cap.*19., quando & jam universalis erat solus Azymorum usus in Ecclesia Latina; ut ex Alcuino, & Rabano Mauro fuit ostensum.

Nec dices, sermonem ibi esse de substantia Sacrificii; adeoque præscindendo ab Azymo, & Fermentato: Contra, oppositum præcedentia verba ostendunt; *Sic verò Calix Domini non est aqua sola, neque vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur; quomodo nec Corpus* &c. Certum est autem, mixtionem aquæ cum vino non esse de substantia Sacrificii; sic enim loquitur Cyprianus de farina aqua mixta, ut de vino loquitur aqua mixto relatè ad Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini: atqui de vino aqua mixto loquitur, sed non prout est de substantia Sacrificii: adeòque etiam de farina aqua mixta loquitur, sed non prout est de substantia Sacrificii; non ergo loquitur præscindendo ab Azymo, vel Fermentato.

Si

Si dicas, de illa mixtione loquitur Cyprianus, quam Christus Dominus *fecit, & faciendam esse mandavit*; quod non verificatur de mixtione panis sine Fermento; cum de hoc nullum extet divinum præceptum, ut certum est. Contra, de mixtione loquitur, quam Christus Dominus faciendam esse mandavit, non quidem præcepto, sed exemplo suo, ut illa verba ostendunt, *quod Christus fecit*; nec enim alio modo mixtionem aquæ cum vino Christus *mandavit*.

Nec dicas iterum, in illis Cypriani verbis, *adunatum*, *copulatum*, & *solidatum*, Fermenti satis fieri mixtionem; quod enim copulat, adunat, & solidat, Fermentum est. Contra, oppositum posteriora verba demonstrant: *Si in Sacrificio, quod Christus obtulit, nonnisi Christus sequendus est, utique id nos* &c.: de utraque illa mixtione loquitur Cyprianus, & in qua Christus obtulit, & quam exemplo suo comprobavit: certum est autem Christum cum Sacramentum instituit Eucharistiæ panem sine Fermento consacrasse, & vinum aqua mixtum: siquidem in eo adunato, copulato, ac solidato, ex aqua, & farina fieri debet Corpus Christi, in quo Christus obtulit, ex Div. Cypriano; atqui Christus obtulit in adunato, copulato, & solidato ex aqua, & farina sine Fermento; ergo ex Cypriano in adunato, copulato, & solidato ex aqua, & farina, quod est sine Fermento, *fieri* debet Corpus Christi.

Si dicas, recentem fuisse, ac peculiarem Carthaginensis Ecclesiæ consuetudinem illam, panem sine Fermento consacrandi. Contra est, illa S. Cypriani verba obstant, *quod Christus fecit, ac faciendum esse mandavit*; quæ ut de vino aqua mixto, sic de pane sine Fermento enunciantur; & pari modo de utrisque loquitur Cyprianus; certum est autem vinum aqua mixtum pro Sacrificio adhiberi, neque recentem esse, neque peculiarem Carthaginensis Ecclesiæ consuetudinem, sed omnibus Ecclesiis communem, ac universalem, antiquam, immò & à Christo inceptam.

Idem secundo Ecclesiæ sæculo docuit Summus Pontifex Alexander I. ad Pontificatus apicem assumptus juxta Petavium, & utrumque Pagium anno 108. juxtà Henschenium 109., juxtà Calmetum 110., juxtà Ricciolium, Brietium, Cabassutium, Moreri 119., juxtà Baronium, Sandinum, Berninum, aliosque 121., decessit autem nono, vel decimo sui Pontificatus anno.

Habent verò antiquissima hujus Pontificis acta quæ Romana Ecclesia in divinis officiis die tertia Maii nobis legenda proponit; *hic constituit, ut tantummodò panis, & vinum in Mysterio offerantur. Vinum autem aqua misceri jussit*: Concordat quæ sub nomine hujus Pontificis circumfertur epistola, relata *de Consacratione dist. 2. Can. 1.* in illis verbis *panis tantum, & vinum aqua permixtum in Sacrificio offerantur; non enim debet (ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet) in Calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum* &c. Quam Pontificis epistolam præ oculis habuisse videtur S. Cyprianus, cum ad Cæcilium scripsit in allata *epistola 63.*, dum verba illa repetit; *Sic verò Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur* &c.: vocans hoc idem *Dominicam Traditionem*.

Con-

Constituit ergo Alexander Papa, ut *tantum panis, & vinum offerantur* in Sacrificio; & quidem, *secundum quod à Patribus accepimus*, ut ipse testatur. Loquitur ne Pontifex de vino prout est de substantia Sacrificii? minimè: cum certum sit talem non esse mixtionem aquæ cum vino; adeoque Pontifex nec de pane loquitur, ut est de substantia Sacrificii; cum de utrisque pari modo loquatur: sicque de pane loquitur secundum quod Christus suo facto commendavit, suoque firmavit exemplo; nec enim alio modo loquitur de vino: igitur de solo Azymo hæc dicta fuere; cum certum sit, ex perpetua Ecclesiæ Latinæ traditione, immò & universæ Græcorum Ecclesiæ, teste Photio, in sua Bibliotheca *Codice* 116., Christum in Azymis consacrasse. Hinc Alexandrum Papam præcepisse in Azymis consacrari, secus in Fermentato scribunt Barlaamus Hieracensis Episcopus *in epistola ad Græcos*; Radulphus Tungrensis libro *de Canonum observantia*, *proposit*. 23. Martinus Polonus in Chronico ad ann. 132. Platina in vita hujus Pontificis; aliique.

Nec dicas ex Platina, & Polono, Alexander Papa præcepit, *ut oblatio ex Azymo fieret, non autem ex Fermentato, ut anteà fieri mandavit*: ergo saltem anteà, sæculo namque primo consacrabatur in Fermentato. Contra, ut suppositum tale decretum habent Critici Tournely, Honoratus, Sandinus, & alii, cum undecim sæculorum spatio à nullo unquam fuerit Scriptore relatum ante Martinum Polonum, qui sæculo 13. declinante florebat; & cum antiquis Alexandri actis minimè concordet.

At legitimum esse hoc Alexandri decretum, libenter admitto; cum ex dictis cum actis hujus Pontificis mirè concordet: nec me verba illa terrent, *non ex Fermentato ut anteà*, quasi antè Alexandri tempora, Fermentato in Sacris usa fuisset Ecclesia; cum ly *ut anteà* non ad præcedentia verba, sed ad sequentia referri debeat, nempè ad ly *fieri mandavit*, cum Pontifex fieri mandaverit, *ut anteà*, quod nempè antè fiebat, *quodve à Patribus acceperat*; explicandum ergo hoc Pontificis decretum eodem planè modo, ac verba illa explicavimus *Canon*. 24. Concilii Carthaginensis tertii, quod sæculo quarto labente habitum est, *ut in Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini, nihil ampliùs offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aqua mixtum*; ubi notandum ly *nihil ampliùs*.

Immò & longè antè Alexandrum, nempè antè secundum sæculum (quo ineunte fuit ille ad Pontificatum assumptus) solum Azymorum usum fuisse in Ecclesia, satis denotant verba illa Pontificis, *ut à Patribus accepimus*: sicque jam 1. sæculo 1. solus erat in Ecclesia Azymorum usus; quod & conjecturæ omnes, præsertim quæ in negativo fundantur argumento, confirmant. Siquidem antiquissimæ hujus consuetudinis in Ecclesia Latina consacrandi in Azymo pane, nemo assignare potest Auctorem, vel tempus, quo ipsa incepit. Ergo recurrendum est ad Apostolorum tempora, & instituta; hæc enim est regula, juxta Sanctos Patres, Apostolicas dignoscendi traditiones. Hinc & consuetudo in Ecclesia Latina consacrandi in solo Azymo ab Apostolis incepta, semper duravit; *Quod universa tenet Ecclesia*, inquit S. Augustinus *lib*.4. contra Donatistas *cap*. 24., *nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur*; &

lib. 5.

lib. 5. cap. 23. sunt multa quæ universa tenet Ecclesia ; & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quanquam scripta non reperiantur.

Item nulla lex extat ; nullus Canon de mutando Fermentato , & recipiendo Azymo proferri potest, sive sit à Summo Pontifice, sive à Concilio, sive ab aliquo Episcopo emanatus ; eo vel maximè , quod Pontifices, Concilia , Episcopi de pane in Eucharistia consacrando , ejusque præparatione plures ediderint Sanctiones ; adeoque nunquam talis mutatio facta fuit in Ecclesia Latina , sicque semper in Azymis consacratum . Item contra talem mutationem nulla unquam reclamavit Ecclesia , ut constat ; reclamassent autem si aliquando de mutando Fermentato , & Azymo recipiendo fuisset illis impositum : cum de mutatione agebatur Divinorum officiorum temporibus Caroli Magni , ac Successorum , nempè ut Ecclesiæ Romanæ in Divinis Officiis cæteræ uniformarentur Ecclesiæ ; quot Ecclesiæ reclamarunt ? Esto longè minoris momenti res esset . Quot habuit Oppositores Gregoriana correctio , seu celeberrima illa Kalendarii Romani emendatio , Gregorio XIII. jubente, facta , atque probata ? Contra illam , quàm acri calamo scripsere Josephus Scaliger tum *de emendatione temporum* , tum *in Elencho anni Juliani* , Sethus Calvisius *in Elencho Kalendarii à Gregorio XIII. comprobati* ; Michael Mæstlinus *in examine Kalendarii Gregoriani* ; aliique ; nullus ignorat : quibus tamen doctissimi viri fecere satis , Scaligero Dionysius Petavius in celeberrimo illo opere *de doctrina temporum* ; Calvisio Paulus Guldinus tum *in Refutatione Elenchi Calvisiani* , tum *in Paralippomenis ad Refutationem ejusdem Elenchi* ; Mæstlino Chrystophorus Clavius tum in opere , quod Clemente VIII. jubente composuit , *Romani Kalendarii à Gregorio XIII. restituti explicatio* ; tum *in Computo Ecclesiastico* ; tum *in novi Kalendarii Romani Apologia* ; tum *in Appendice ad Apologiam* ; *tomo* 5. operum Clavii hi tractatus habentur ; sicque alii summa eruditione prædici fecere Scriptores . Si tot excitavit motus Gregoriana correctio , quot majores excitare debuisset mutatio in ipsa facienda materia Sacrificii ? At nulli contra ipsam , ad sæculum usque 11. , quo Cærularianum Schisma vigebat , excitati unquam fuere in Ecclesia motus : nunquam ergo talis fuit facta mutatio .

Quæ Sirmundus opponit minimè obstant , nempè olim Eucharistia ex populi oblationibus consecrabatur ; ex quibus , quod supererat , Sacrorum Ministrorum , pauperum , & viduarum usibus inserviebat , ut Ecclesiastica docet historia : id autem nonnisi de pane Fermentato intelligi posse videtur ; nam Ministri , pauperes , & viduæ , non Azymo , sed Fermentato pane vescebantur .

Contra est , plura sunt , quæ falso , & sine probatione in suo assumit argumento doctissimus Sirmundus . Primum est , solum panem Fermentatum panem fuisse usitatum , atque communem primis Ecclesiæ sæculis ; cujus oppositum antiqua docet Historia : siquidem nedum Fermentatum panem : etiam Azymum , tum apud Romanos , tum apud exteras Nationes panem fuisse communem , ac usitatum , tradunt primi Ecclesiæ sæculi Scriptores , Plinius *lib.* 18. *cap.* 11. , Galenus *lib.* 1. *de Alimentorum facultatibus cap.* 2. *de tritico* , & Cornelius Celsus *lib.* 2. *cap.* 18. 24. , & 28. , & latè probat doctissimus Ciampinus *cap.* 2. *de Azymo , ac Fermentato* ; pro divitum men-

mensis usitatior erat panis Fermentatus, quia gratior; sapidior, elatior: pro mensis vero pauperum usitatior erat Azymus, substantiam, non saporem, vel apparentiam quærentium panis. Sic respondet sæculo 11. Humbertus Cardinalis in sua Michaelis Cærularii confutatione, ibi: *perquiramus, an Fermentum ad humanas mensas præparatum sincerius, ac mundius sit plebejo Azymo*. Panem azymum communem panem vocat sæculo 12. Rupertus Abbas Tuitiensis, dicit enim *lib. 3. de operibus Spiritus Sancti cap. 21.* de Christo, *panem communem accepit; sed benedicendo longè aliud, quam fuerat transmutavit*: certum est autem apud omnes, quod sæculo 12. in solis Azymis tota Occidentalis consacrabat Ecclesia; si ergo panis Azymus etiam usualis erat, & communis primis Ecclesiæ sæculis, nullum est dubium, quod panis consacrandus Azymus esse potuerit. Quo etiam modo facile explicatur Tertullianus *lib. 2. ad uxorem cap. 5.*; & S. Ambrosius *lib. 4. de Sacramentis cap. 4.*

Secundum est, quod consacrabatur Eucharistia ex pane communi, ac usuali à populo, seu à fidelibus oblato: cujus oppositum etiam Antiqua docet Historia; siquidem omisso, Eucharistiam ex pane à fidelibus oblato fieri consuevisse, certum est panem illum panem non fuisse communem, ac usualem, sed peculiarem, & speciali modo, ac diligentia confectum; constat ex Concilio Toletano 16. (quod sæculo 7. labente habitum est) *Can. 6.* ubi dicitur *de pane consacrando, quod sit integer, ac nitidus, qui ex studio fuerit præparatus*; idque ex antiqua traditione mandat, *secundum quod Ecclesiæ consuetudo retentat*: & Theodulphus Episcopus Aurelianensis, (qui medio sæculo 8. vivebat) in sua instructione Pastorali, hæc Sacerdotibus mandat: *panes, quos Deo in Sacrificium offertis, aut a vobis ipsis, aut à vestris pueris coram vobis nitidè, & studiosè fiant*; hinc & duplicis oblationis a fidelibus fieri solitæ meminit sæculo 9. Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus *lib. 1. capitularium cap. 16.* una ante Evangelium fiebat, altera verò post Evangelium; & quidem pro Eucharistia conficienda. Si ergo panis in Eucharistiam consacrandus non erat de communi, & usuali, nil prohibet, quod Azymus esse potuerit.

Dices, si panis in Eucharistiam consacrandus de communi, ac usuali non fuisset; de pane consacrando non dixisset S. Ambrosius *lib. 4. de Sacramentis cap. 4.*; *tu fortè dicis, meus panis est usitatus, sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum; ubi accesserit consacratio, de pane fit Caro Christi*: ergo ex Ambrosio panis consacrandus panis est usualis, atque communis, cum de illo dicat, *meus panis est usitatus*: neque dixisset S. Irenæus *lib. 4.* adversus hæreses *cap. 34. jam non communis panis est, sed Eucharistia.* Tertullianus *lib. 2.* ad uxorem suam *cap. 5.* ait; *non sciet maritus* (infidelis) *quid secretò ante omnem cibum gustes; & si sciverit panem; non illum esse credet, qui dicitur*: non ergo panis consacrandus, panis erat peculiari, & speciali modo, ac forma confectus; sed usualis, & communis, aliàs vir infidelis scivisset, aut saltem suspicatus esset, ibi adesse Corpus Christi.

Contra, quid si iisdem omninò verbis loquatur sæculo 12. Rupertus Abbas Tuitiensis, ac loquuntur sæculo 4. S. Ambrosius, & sæculo 2. S. Irenæus?

næus? panem Azymum, panem communem vocat Rupertus *lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 21.* in allatis verbis *panem communem accepit, sed benedicendo, longè aliud, quam fuerat, transmutavit*: certum est autem ejus tempore solum in Azymis fuisse in tota Occidentali Ecclesia consacratum: idem ergo de Sanctis Ambrosio, ac Irenæo dicendum. Secundò, certum est, non loqui Patres illos de pane usitato, & communi ad discernendum inter Azymum, & Fermentatum; sed solum ad discriminandum inter panem prophanum, & Sacrum, terrenum, & cœlestem, naturalem, ac supernaturalem: uno verbo, inter triticeum panem, & verum, ac reale Corpus Christi, ut clarissimè ostendunt verba illa Irenæi; *non panis communis, sed Eucharistia*; illa etiam Ambrosii, *de pane fit Caro Christi*.

Tertiò, retorquetur argumentum, cum Ambrosius, ac Irenæus de pane loquuntur communi, ac usitato, de consacrando pane loquuntur, ac relatè ad Corpus Christi, ex verbis allatis: atqui panis relatè ad Corpus Christi, seu panis consacrandus, panis erat peculiaris, & quidem speciali modo ac forma confectus, ut ostensum est: cum ergo de pane communi, ac usitato Ambrosius, ac Irenæus loquantur, de pane peculiari, ac speciali modo confecto sunt intelligendi. Hinc in Missa sub nomine Ambrosii (cujus meminit Walafridus Strabo *lib. 2. de rebus Ecclesiasticis cap. 22.*, & quam ex antiquo manuscripto codice doctissimus Pamelius edidit in Liturgicis) habetur expresse, *oblatio panis Azymi cum patena*.

Quartò nullum est fundamentum, nullaque ratio, cur panis Azymus, panis communis, ac usitatus dici non possit; est enim quoad substantiam idem, ac Fermentatus, cum sit ejusdem cum illo substantiæ, ac materiæ: nonnè uterque panis ejusdem est frumenti, ejusdemque farinæ, eadem confectus aqua naturali, eodemque igne decoctus? sic Petrus non est Paulus, sed ejusdem est cum illo humanitatis, ac naturæ.

Tertulliani auctoritas easdem patitur instantias, cum de scientia loquatur discernente inter panem triticeum, & verum Corpus Christi, secùs verò inter Azymum, & Fermentatum, ut verba illa ostendunt: *& si sciverit panem, non illum esse credet, qui dicitur*; nempè Corpus Christi; nec ideò panis ille communis erat, & usualis formæ, alias suspicari potuisset infidelis, ibi esse Corpus Christi, ut opponit Tournely: nam primò, Sacramentorum materiæ, ac formæ ignotæ infidelibus erant; unde & ignotum illis erat, an in Fermentato, vel in Azymo Sacramentum conficeretur Eucharistiæ, ut Ecclesiastica docet Historia; siquidem celabantur infidelibus Sacra, nè prophanarentur ab illis, ut latè Schelestratius probat *cap. 7. de disciplina Arcani art. 5.*, & ex ipso Franciscus Pagius, cum de Innocentio I. *num. 14.* & satis constat ex hoc Pontifice in Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum *cap. 3.* ubi loquens de forma Sacramenti Confirmationis, ait, *verba verò dicere non possum, nè magis prodere videar, quam ad consultationem respondere*: Idemque ostendunt Jamblicus *lib. 2. de vita Pithagoræ cap. 28.*, & Clemens Alexandrinus *lib. 5. Stromatum*.

Secundò etiam omisso, notum illis fuisse, in Azymis consacrari solitum, non ideò Azymum panem videndo, jam consacratum putarent, & Corpus esse Christi; nonnè scimus & nos in solis Azymis consacrari? Nec ideò

ideò omnes, quas videmus extra Ecclesiam, vel in Sacristia particulas, consacratas esse putamus, ac esse Corpus Christi suspicamur; poterant ergo infideles panem videre non communem, & usualem, seu Fermentatum, sed specialem, & peculiari modo, ac diligentia confectum, nempè Azymum, simulque nihil de Christi Corpore suspicari. Hæc pro adversariorum solatio dicta sint: cæterum à vera Tertulliani intelligentia longissimè aberrant Critici, & communiter utriusque oppositæ sententiæ Patroni; siquidem alloquitur in eo libro Tertullianus uxorem suam (de cujus consensu jam erat ad Presbyteratum assumptus) eamque pluribus hortatur argumentis, nè, si forte prior ipse moriatur, alium ducat virum, præsertim infidelem, hujusque inter alia ignorantiam narrat, atque incredulitatem de illis, quæ nostra respiciunt Sacramenta, atque Fidem: hinc ait uxori suæ; *non sciet maritus*, si aliquando maritum duceres infidelem, *quid secretò ante omnem cibum gustes*; cum ignorent Sacramenta nostra infideles, & qua frequentia utantur illis Christiani, *& si sciverit panem, non illum esse credet, qui dicitur*: quod si cibum viderit, quem tentas gustare secretò, sine dubio panem esse putabit, non Corpus Christi: infidelis est, atque incredulus; panem videbit peculiarem, & speciali modo, ac diligentia confectum, te loquentem audiet, atque dicentem, *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam*, &c.; non credet, ridebit, semperque panem esse putabit, non Corpus Christi; *& si sciverit panem, non illum esse credet, qui dicitur*, nempè Corpus Christi: hæc, aliaque multa narrat uxori suæ Tertullianus, ne aliquando illa virum ducat infidelem.

Tertium est, quod Eucharistia consacrabatur ex pane a fidelibus oblato; sed unde hoc Sirmundus habet? Antiqua sunt in oppositum documenta; admitto panem consacrandum fieri ex oblationibus fidelium, & etiam panem fuisse à fidelibus oblatum; sed de hoc pane fuisse consacratum, quo probat argumento Sirmundus? Siquidem inter panem à fidelibus oblatum, & fidelium oblationes, ex quibus conficienda erat Eucharistia, apertè distinguit Antiquitas; Concilium Nannetense 1. quod celebratum est anno 658. de mandato Vitaliani Romani Pontificis *Can. 9.*, sic habet; *ut de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & consacrationi supersunt, vel de panibus, quos offerunt fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyteri convenienter partes incisas habeant in vase nitido, ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint rati, eulogias omni die Dominico, & in diebus festis exinde accipiant, & illa, unde eulogias Presbyter daturus est, ante in hæc verba benedicat* &c.; eadem habet Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus in suis institutionibus *cap. 7.*, *ut de oblatis, quæ offeruntur à populo, & consacrationi supersunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Ecclesiam, vel certò de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido*, &c.

In quo ergo consistebant oblationes istæ pro Sacrificio? Farinam fuisse ex qua deinde fiebat panis consacrandus, putat eruditissimus Vicecomes *tom. 3. de antiquis Missæ ritibus lib. 2. cap. 10.*: at satis verisimile puto, pecuniam fuisse, vel frumentum; favet modernus Ecclesiæ usus, quo pro Missarum celebratione Sacerdotibus dari solent eleemosinæ, ut de Sacrificio

participemus; favent quoque à primis Ecclesiæ sæculis Tertullianus in Apologetico *cap.* 39., cum dicit: *modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, & si modò velit, apponit; nam nemo compellitur, sed spontè confert*: & S. Cyprianus *lib. de opera, & eleemosina*, cum divitem matronam sic reprehendit: *Locuples, & dives es, & Dominicum celebrare te credis, qua corbonam omninò non respicis, qua in Dominicum sine Sacrificio venis; qua partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?* ubi notanda sunt verba illa: *qua corbonam omninò non respicis:*, & *quod pauper obtulit, sumis*. Dationi frumenti clarissimè favet Concilium Carthaginense 3. habitum anno 397. sub Aurelio Episcopo Carthaginense *Can.* 24. ubi dicitur: *ut in Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aqua mixtum; nec ampliùs in Sacrificiis offeratur, quàm de uvis, & frumentis*; cum dicitur, *panis*, sermo est de oblatione, non quidem à populo facta, sed à Sacerdote consacrante; ut enim vinum aqua mixtum, sic & panis, nonnisi à Sacerdote consacrante offertur; secus autem à populo; à quo tamen uvæ offerebantur, ac frumentum. ad participandum de Sacrificio Missæ, ut verba illa demonstrant: *nec ampliùs in Sacrificiis offeratur, quàm de uvis, & frumentis*: unde cum ait S. Ambrosius in *cit. cap.* 4., *Tu fortè dicis, meus panis est usitatus*: ly *panis meus*, panem significat meâ pecuniâ emptum; vel ex mea oblatione confectum: secus verò panem à me oblatum; ut gratis Tournelius explicat; quo etiam modo intelligendus est in allatis verbis S. Cyprianus: *qua partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?* Siquidem dives illa, Eucharistiam sumendo, quod erat pauperis accipiebat; panis enim consacrandus pauperis erat, quia pauperis oblatione confectus. Quæ verò de his oblationibus supererant, sive pecunia, sive frumento datis, sive de panibus à fidelibus oblato, tum pro eulogiis inserviebat, tum pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, pauperum, ac viduarum.

Nihil Sirmundus evincit facto Sanctæ Radegundis in Gallia, quæ oblationes suis manibus faciebat, & venerabilibus locis incessanter (teste Fortunato in ejus vita) dispensabat; vel illius matronæ, quæ Romæ (ut narrat in vita Sancti Gregorii Magni Joannes Diaconus) interrogata, cur risisset; cum ei porrigeretur Eucharistia? Sancto. Pontifici respondit: *quia panem, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, Tu Corpus Domini eum perhibebas*: nihil, inquam, evincit; nonnè poterant piæ illæ matronæ peculiaris devotionis causa, aliquos pro Eucharistia Azymos conficere panes? quid enim, si ab aliqua pia fœmina hoc ipsum hodie fieret? diceturnè, etiam hodiè panem oblatum à populo, vel Fermentatum panem in Eucharistiam consacrari? minimè gentium; putas, incredibile quod illos piæ fœminæ confecerint? sed incredulitatem evidentia tollet. Nonnè hoc ipsum fit à mulieribus hodie? certè nostra hæc S. Pauli Majoris Ecclesia particulis utitur ab honesta quadam fœmina confectis: nihil ergo facta illa evincunt.

Neque Sirmundi probant intentum, quæ habet antiquus ordo Romanus, cum dicit *Archidiaconus accipiens oblatas, ponit tantas super Altare, quantæ possunt populo sufficere*; vel illa Sacerdotis celebrantis verba: *Orate*

fra-

fratres, ut meum, ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum &c. vel alia, quæ in feriis paschalibus frequentatur oratio: *suscipe quæsumus Domine, preces populi tui cum oblationibus Hostiarum* &c. Cum ex dictis quocunque modo fideles ad Sacrificium suis concurrant eleemosinis, allata verba verificentur; nonnè etiam hodiè à celebrante Sacerdote verba illa proferuntur? quæ tamen falsa dici non possunt; estò panem ipsum consacrandum non offerant fideles.

Arguunt Cardinalis Bona, Tournely, & noster Meratius; verisimile est, Apostolos post Christi in Cœlos Ascensionem, Fermentatum sæpiùs adhibuisse; furtim enim, & clanculum (urgente persecutione) Sacris operam dabant, nec in promptu erant Azyma, quæ distribuerent ingenti fidelium numero, apud quos ex improviso divertebant, & nonnunquam medio noctis silentio.

Contra est primò, inopinatus Apostolorum adventus apud fideles ad sacrificandum, eos aliquando in Fermentato celebrasse, minimè probat, cum insignium Scriptorum auctoritate suffulti dicamus, tunc panem etiam Azymum, panem fuisse usualem, atque communem, præsertim apud Hebræos, & maximè in eorum Sacrificiis, ut visum est, & habetur *Levitic.* 2., *Exodi* 29., & passim alibi.

Secundò, retorquetur in Adversarios argumentum; in eo pane celebrabant Apostoli, qui ex inopinato apud fideles adventabant, quem facilius erat apud eosdem persecutionis tempore invenire; longè autem facilius erat, Azymum invenire, quàm Fermentatum; siquidem illum panem longè facilius habebant domi fideles, persecutionis tempore, quem facilius conficiebant: certum est autem, longè facilius confici panem Azymum, quam Fermentatum; hic enim plures dies ad Fermentandum requirit, ille modico temporis spatio statim conficitur; sic Hebræi de Ægypto exeuntes, urgentibus Ægyptiis, panes Azymos comederunt, *Exodi* 12., deficiente illis tempore ad Fermentandos panes. Igitur Apostoli ex inopinato apud fideles adventantes ad sacrificandum, nonnisi in Azymis celebrabant.

Dicendum ergo Apostolos nunquam sine Azymis celebrasse, cum ea parata semper ad sacrificandum haberent; furtim, & clanculum (urgente persecutione) Sacris operam dabant, etiam inopinatò apud fidelium domos adventantes; at vel secum Azyma deferebant, cum modicum panis, etiam pluribus, ut quotidiana docet experientia, satis esse potuerit; quot enim fracta etiam particula, Eucharistiam suscipere possunt? sicque certè communicabant, qui domi, vel nullum habebant panem, vel non habebant, nisi hordeaceum, fabaceum, avenaceum, milleaceum &c. quid enim hoc facilius persecutionis tempore? vel ipsi fideles inopinatum aliquem Apostolorum adventum ad sacrificandum sperantes, de materia Sacrificii jam ab Apostolis instructi, Azymos confectos panes apud se, vel amicos peculiari studio pro Sacrificio servabant: & quidem incredibile satis, Apostolos Christi exemplum, qui in Azymis consacraverat (nulla gravissima urgente causa) statim reliquisse; vel casu, & nullo prævio apparatu tantum peregisse Sacrificium.

Arguunt Jueninus, & Auctor Anonymus de Re Sacramentaria, usus Fer-

Fermenti in Sacrificio Missæ satis colligitur ex decretis Romanorum Pontificum Melchiadis, Siricii, & Innocentii I. Legitur enim in vita Melchiadis; *hic fecit, ut oblationes consacratæ per Ecclesias ex consacratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur Fermentum*; & de Siricio; *hic constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per Hebdomadas, nisi consacratum Episcopi loci susciperet declaratum, quod nominatur Fermentum*; Innocentius verò I. epistola ad Decentium Eugubinum in Umbria Episcopum, *cap.5.*, consultus, an exemplo Romani Pontificis, qui Fermentatum mittebat ad absentes, Episcopis quoque liceret ad rurales Ecclesias idem mittere Fermentum, sic respondet: *de Fermento, quod die Dominica per titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra Civitatem sint constitutæ, quarum Presbyteri, quia die ipsa, propter plebem sibi creditam, nobiscum convenire non possunt, idcircò Fermentum à nobis confectum per Acolytos accipiunt, ut se à nostra Communione, maximè illa die, non judicent separatos, quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda sunt Sacramenta.*

Contra, *quod multipliciter intelligitur, ejus veritas ignoratur*; axioma est commune sapientum: quàm æquivoca, quàm varia sit vocis hujus *Fermenti* significatio; innumeræ, quæ ab eruditis dantur illi explicationes, satis ostendunt; uti videre apud Ciampinum *cap.* 4. Honoratum *artic.3.*, & Sandinum ad vitam Melchiadis Papæ: nullum ergo est argumentum ab unica illa voce *Fermenti* desumptum: quid si in decretis illis Romanorum Pontificum, non Eucharistia intelligatur nomine *Fermenti*, sed panis benedictus? qui & *Eulogia*, & *Charitas*, & *Oblatio* passim in Sacra vocatur Historia; de quibus sermo est, tum in Concilio Laodicæno *can.14.*, quo prohibetur Eucharistiam loco Eulogiarum mittere (habitum est hoc Concilium sæculo 4.) tum in Concilio Nannetensi 1., (quod habitum est anno 658.) *Can.9.* ubi statuitur, *ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint rati, Eulogias omni die Dominica, & in diebus festis exinde accipiant*: assignatur deinde forma Eulogias benedicendi; tum in Concilio Calchutensi in Anglia anno 787.*cap.10.*, in quo de Eulogiis repetuntur verba Concilii Nannetensis; quæ etiam repetit Hincmarus Rhemensis inter capitula, quæ dedit Presbyteris suis anno 852. *cap.* 7. Hinc de Eulogiis intelligenda illorum Pontificum decretа, scribunt Cabassutius in *Historia Ecclesiastica diss.11.& 12.*, Salmanticenses *disp.10. de Eucharistia num. 18.*, Baronius, Binius, Cardinalis Cusanus, Raynaudus, Macedo, Dadinus, Altaserra, Contensonius, aliique apud Ciampinum.

Hæc ipsa Romanorum Pontificum decreta Græci, conflato jam schismate, opposuere Latinis, sed frustra; respondentibus Latinis de Eulogiis, seu de pane benedicto, secus de Eucharistiæ Sacramento ibi esse sermonem: Equidem sæculo 12. id Latinis opposuit pro usu Fermentati Græculus quidam, nempe Nichetes Archiepiscopus Nicomediensis; cui statim respondit Anselmus Episcopus Havelbergensis, dicens *lib.3.* Dialogorum *cap 15. Melchiadis, & Siricii decreta, non de Fermentata hostia, sed de Eulogiis potius intelligenda sunt, quæ per singulos Dominicos dies per Ecclesiam distribui jubentur.*

Ne-

Neque obstat, quod in illis decretis, Fermentum dicatur, *Res consacrata*, & *Sacramentum*, ut opponit Natalis: nam etiam res benedictæ Sacræ,& Sacramentum dici solent; in quo sensu ait Concilium Carthaginense 3. *can*.5., *placuit, ut per solemnissimos dies, Sacramentum Cathecumenis non detur, nisi solum sal.*, & S.Augustinus *lib*.2. de peccatorum meritis *cap*. 26., dicit, *quod accipiunt Cathecumeni, quamvis non sit Corpus Christi; Sanctum est tamen, & Sanctius, quam cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum est.*

At omisso, in decretis illis, nomine *Fermenti* Eucharistiam significari: Siquidem verum est, Episcopos olim, ac Presbyteros Eucharistiam in unionis signum mutuo aliquando misisse inter se: antiquum hunc Ecclesiæ morem testantur Eusebius *lib*.5. historiæ Ecclesiasticæ *cap*.24. Evagrius *lib*.1. *cap*.13. Nicephorus *lib*.4 *cap*.39. Joannes Moscus in Prato Spirituali *cap*.22. aliique; quid inde? forsan Eucharistia *Fermentum* dicebatur, quia ex pane conficiebatur Fermentato? minime; satis enim constat ex illis decretis, Fermenti nomen, Eucharistiæ esse adscititium, non ex natura rei petitum, ut verba illa ostendunt; *quod declaratur Fermentum*; *quod nominatur Fermentum*: Fermentum ibi dicitur Eucharistia ob mysticam rationem; siquidem Ecclesiis, ad quas mittebatur, Fermenti vicem gerebat, eisque unionis inter se vinculum esset; sicuti Fermentum massæ, cui commiscetur; ut etiam notant Porterus, Ciampinus, Mabillonius, Martene, Sirmundus ipse, aliique passim: unionis enim tum Christi cum fidelibus, tum fidelium inter se signum est Eucharistia; *quoniam unus panis, unum Corpus, multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus*; ex Apostolo 1. ad *Corinth*. 10. mystica hæc est significatio tributa *Fermento*. Nonne & Christus ipse extra Eucharistiam, *Fermentum* nominatur à patribus? ut patet ex Epistola Episcoporum Phœniciæ Maritimæ ad Leonem Imperatorem de Concilio Chalcedonensi; de quo ibi dicitur, *eos, qui prodigiose non ex Dei Genitrice Virgine, esse nostrum Fermentum credunt, destruxit.*

Arguit iterum Cardinalis Bona ex Concilio Calchutensi, quod habitum est in Anglia sæculo 8. declinante, nempe anno 787. ubi habetur *can*.10., *oblationes fidelium tales sint, ut panis sit, non crusta*, quasi tunc primò usus Fermentati cœperit prohiberi. Contra, quis dicat crustam esse non posse, nisi ex Fermento: oppositum sane habetur *Exodi* 29., ibi: *tolle panes Azymos & crustulam absque Fermento*: quid ergo Canone illo prohibetur? panis nimio calore adusti, & exsiccati pro Eucaristia conficienda usus inhibetur. Scholasticorum auctoritatem opponunt alii: contra, Historica res est; Historicis ergo potius, quibus antiqua documenta favent, standum est, quam Scholasticis: de Ebionæis in Azymo celebrantibus, certè meminit Epiphanius hæresi 30.; at nil habet, illorum causa aliquam factam fuisse in Sacrificio ab Ecclesia mutationem.

Arguit item Sirmundus, quod Photius nunquam Latinis usum objecit Azymorum, licèt alia plura opposuerit, in quibus à Græcorum moribus, ac ritibus discrepabant: tunc ergo in Fermenti usu cum Græcis Latini conveniebant; tum quia ante Photii ætatem, nulla de Azymorum usu lex condita assignari potest. Contra, etiam Græcorum Ecclesias tunc in Azymis con-

sacrasse

sacrasse, potius evincit objectum: item ante Photii ætatem nullam conditam esse legem de Azymorum usu, nimis fidenter Sirmundus asserit; nonne Alcuini, ac Rabani Mauri asserta; Concilii Toletani 16.; ac Legatorum Romani Pontificis Agathonis testimonia; S. Cypriani ac Summi Pontificis Alexandri auctoritates; accedentibus Ambrosio, Gaudentio Brixiensi; Augustino, ac Isidoro Hispalensi; immo & conjecturis omnibus præsertim in argumento negativo fundatis; jamque suo loco discussis; oppositum clare satis ostendunt?

Hæc de Latinorum Azymis; sed quid de Græcorum Ecclesiis? Illas perpetuò in solo consacrasse Fermentato, Recentium eruditorum ferè communis est sensus, Calmet, Jueninus, Natalis, Mabillonius, Bona, Sirmundus. At Græcorum Ecclesias à primis Ecclesiæ sæculis in solis Azymis consacrasse, longè probabilius est, ut cum antiquis doctissimi Recentiores sentiunt, Simonnet, Boucat, Honoratus, Sandinus, Macedo, Clericatus. Et quidem earumdem Ecclesiarum perpetua hæc traditio fuit: S. Epiphanius *hæresi 30. §. 16.* hæc de Ebionitis habet Μυστήρια δὲ δῆθεν τελοῦσι κατὰ μίμησιν τῶν Ἁγίων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀπὸ ἐνιαυτοῦ εἰς ἐνιαυτὸν διὰ Ἀζύμων, καὶ τὸ ἄλλο μέρος τοῦ Μυστηρίου δι' ὕδατος μόνου: *Mysteria verò videlicet perficiunt secundum imitationem Sanctorum, qui sunt in Ecclesia ab anno in annum per Azymum, & aliam partem Mysterii per aquam solam*; in sacrificando duo faciebant Ebionitæ, in Azymis consacrabant, & in aqua sine vino; sed quid ad Sanctorum imitationem faciebant? Consacrare in aqua sola? Minimè gentium; cum hoc semper fuerit in Sanctorum Ecclesiis inauditum: faciebant ergo ad Sanctorum imitationem hoc, quod est in Azymis consacrare; adeoque & qui tunc erant in Ecclesia Sancti, in Azymis consacrabant. At quænam in verbis illis, *Sanctorum qui sunt in Ecclesia*, intelligitur Ecclesia? Ecclesia sine dubio Græcorum, cujus ritum in sacrificando Græci, inter quos Ebionitæ, sectantur: adeoque in Azymis, secus in Fermentato Ebionitarum tempore Græcorum Ecclesiæ sacrificabant: primo Ecclesiæ sæculo fuisse Ebionitas (quidquid Dupinius dicat) scribit S. Hieronymus *de Viris Illustribus cap. 9.*, ibi, *Joannes Apostolus, novissimus omnium scripsit Evangelium rogatus ab Episcopis Asiæ &c. maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens.*

Testantur hoc ipsum sæculo 3. Origenes *part. 1. pag.* 271. juxta editionem Danielis Huetii, sive Coloniensem, sive Rothomagensem, in illis verbis Οὔπω δὲ μήποτε ζύμη οὐ προσφέρεται ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον *ita autem nunquam Fermentum non offertur super Altare*; nunquam igitur Origenis tempore offerebatur in Fermento; siquidem duæ negationes apud Græcos vehementiùs negant, ut omnibus compertum est, notatque Sandinus: Origenis versio, quam Sandinus habet, cæteris est præferenda; cum simplicior sit, ac de verbo ad verbum facta translatio. Longè ante Origenem idem saltem de suis Ecclesiis habet S. Justinus Martyr, Græcus & ipse Dialogo cum Tryphone *pag. 159.*, cum ait, *oblationem simile pro iis, qui à lepra purgabantur, fuisse figuram panis Eucharistici*; certum est autem illam fuisse sine Fermento *ex cap. 2., & 7. Levitici*: S. Justinus medio secundo Ecclesiæ sæculo decessit. Idipsum ratio suadet; Christum Pascha Legale

gale celebrasse, ac instituisse Eucharistiam in Azymis prima die Azymorum, ac pridie quam pateretur, certum Græcis Patribus erat, teste Photio *Codice* 116., & Victore Antiocheno in Marcum *cap.* 14.: inquiunt enim *S. Joannem Chrysostomum, & universam Ecclesiam sic sentire*: item ad Christi exemplum imitandum etiam in minutioribus addictissimi erant Orientalis Ecclesiæ Patres; siquidem non alia ratione Pascha celebrare volebant Asiani Luna 14. in quamcumque illa diem incideret, uti videre est apud Eusebium *lib.* 5. *Histor. Eccles. cap.* 24. Adeoque incredibile, illos maximè in materia Sacrificii, sine nova gravissima causa, Christi morem imitari noluisse; in Azymis ergo à primis Ecclesiæ sæculis Patres illi celebrarunt.

Inquies, panem consacrandum, *panem vulgarem, communem, ac usitatum* vocant Græci Patres, *non enim ita meminimus ut communem panem, & communem potum* ait S. Justinus *Apologia* 2. Contra, *panem communem* vocant ad differentiam panis consacrati, seu Corporis Christi, secùs verò ut inter Azymum distinguant, ac Fermentatum, ut ostensum est. S. Epiphanius reprehendit Ebionitas, quod in Azymis celebrarent; cum de celebratione in Azymis pari modo loquatur, ac de celebratione in aqua sola. Minimè; cum tantum de secundo, ut visum est, Ebionæos damnet Epiphanius; de primo laudat, cum illud facere dicat *secundum imitationem Sanctorum*: nec dici potest, Epiphanium loqui de sola substantia Sacrificii, cum ly *per Azymum* materiam etiam in specie apertè designet. Si quæ fuit ab antiquo diversitas inter Latinam, & Græcam Ecclesiam in Sacris ritibus, & in Sacrificio Missæ, de qua Eusebius *cit. lib.* 5. *cap.* 24. & Photius *epistola* 64., facilè salvatur in aliis, cum de materia Sacrificii nulla ibi sit mentio; aliundè satis antiquum sit Græcis paulò ante Communionem calidam aquam cum Christi Sanguine miscere, ut antiquæ illorum Liturgiæ testantur, præsertim Sanctorum Basilii, & Chrysostomi, Chronicon Dacii Mediolanensis, in quo legitur, Div. Ambrosium *Græcorum Ecclesiam in plurimis officiis imitatum fuisse, & Sacrificium eorum, scilicet Fermentatum cum nostro Azymo in celeberrimis festivitatibus benedixisse*, minimè nobis obstat; cum eruditorum judicio suppositititium sit opus, ex Pagio, Oudino, Cavio, & omnium sensu incredibilia narret; quis enim dicat S. Ambrosium Fermentatum simul cum Azymo consacrasse? Pro pane consacrando panem turgidum, atque integrum requirunt Liturgiæ Græcorum: quid inde? etiam panis Azymus talis esse potest, nisi nimio sit calore exsiccatus, adustus, atque depressus; sicque Cærulario respondet Cardinalis Humbertus. Ex indole Græcorum Mabillonius probat, qui majorum suorum ritibus tenaciùs semper adhæserunt: at Græcos levis esse animi, & passim à suis recessisse majoribus, pluribus adductis exemplis Leo Allatius ostendit *lib.* 3. *cap.* 13. *de perpetua consensione Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis*.

Primis decem Ecclesiæ sæculis non quidem in Fermentato, sed in Azymo Græcorum Ecclesiæ sacrificabant (quidquid Honoratus dicat, Sandinus, Boucat, Tournely); siquidem sæculo 11., ac sequentibus, ut visum est, Græcos reprehendunt, quod sacrificent in Fermentato, Latini; secus ante: item ab eo tempore solùm Azymorum usum in Sacrificio Græci opposuere Latinis, secùs ante; adeoque præcedentibus sæculis in materia Sacrifi-

cii inter Græcos, ac Latinos nulla certè fuit dicrepantia: non Synodus Trullana sæculo 7. labente habita, non Photius sæculo 9., non alii Græci, Latinos de Azymorum usu damnant; damnassent autem, ut in cæteris fecerunt minoris etiam momenti, si ab illis in celeberrimo hoc ritu discrepassent: Latinos autem eo tempore solùm in Azymo sacrificasse, ex Alcuino vidimus Rabano Mauro, & Legatis Apostolicæ Sedis ad sextam Synodum in allocutione cum Imperatore Constantino habita. Immo nec undecimo currente sæculo omnes Græcorum Patriarchales Ecclesiæ in Fermento consacrabant; siquidem Ecclesiæ Hierosolymitana, & Alexandrina tales erant: de prima sic habet Humbertus Cardinalis in Epistola responsiva ad Michaelem Cærularium, *quam reverendam Angelis, & hominibus institutionem; prima scilicet Ecclesia, usque ad hæc moderna tempora, sicut ab Apostolis recepit, fideliter retinuit; adeo ut quidam Hierosolymitanorum Pontificum, datis Epistolis, significaverint, quantum illorum institutio discrepet à Græcis*: de utraque Ecclesia idem scribit Cærularius ipse Constantinopolitanus Patriarcha in Epistola ad Petrum Patriarcham Antiochenum, ibi; *Ad nostras aures pervenit, quod prædicti duo Patriarchæ, non solum alios Azymis vescentes recipiunt; sed etiam ipsi aliquando in Azymis sacrum conficiunt Sacrificium*: nec obsunt quæ sequuntur verba; *& nos quidem cum non haberemus in promptu hominem, per quem de hac re illos scrutaremur; quin etiam nec aliis confidere volentes, rem totam tuæ Sanctitati requirendam relinquimus, ut de hac re cum omnia diligenter fuerint scrutata; humilitati nostræ singula faciat manifesta*: siquidem Petrus Cærulario rescribens, & factum omnibus exploratum negare non valens, tacet omnino; factique veritatem proprio silentio firmat. Cardinalem Humbertum ibi de Azymis minime loqui, male Jueninus ait; cum revera de illis cum Græcis esset concertatio.

Nullius sunt momenti quæ nobis opponunt: S.Nicon, decimo currente sæculo, in opusculo de pessima Religione Armenorum, illos reprehendit, quod *in pane mystico utantur Azymis, & in Sanctum Calicem aquam non immittant*. Contra, non ad Azymi usum, sed ad Calicis abusum objurgatio illa refertur; aliàs S.Gregorius VII. minime 11. currente sæculo dixisset in Epistola ad Archiepiscopum Sinnadensem, de Azymorum usu Armenos *esse laudandos*; esto *ab imperitis Græcis* dicatur oppositum. Theodorus Abucara, 9. currente sæculo, in opusculo 22. Saracenum sic alloquentem Christianos inducit; *ex eadem farina duobus panibus confectis, unum in cibum communem relinquitis, alterum in particulas partitum populis distribuitis, nominatisque Christi Corpus* &c. Contra, nobis Abucara favet, cum non dicat *ex eadem massa*, sed (quod omnino diversum est) *ex eadem farina duobus panibus confectis*, nempe Azymo, & Fermentato, hunc ad communem usum, illum pro Eucharistia servando. Synodus Trullana septimo labente sæculo *can.* 11. de Christianis habet, *ne Judæorum Azyma comedat, vel ullam cum eis familiaritatem ineat*. Contra, de Eucharistico pane nulla ibi mentio, sed solùm de communi, ac familiari mensa Judæorum, seu cum Judæis habita. S.Thomas *part.3. quæst.74. art.4.* verba hæc adducit S.Gregorii in Registro, *Romana Ecclesia offert Azymos panes* &c.; *sed Græcæ offerunt Fermentatum*.

Con-

Contra, fatentibus cum Juenino adversariis, sunt verba illa S.Gregorii VII., qui 11.labente sæculo, & Cæruliano jam Schismate consummato, ad Pontificatum fuit assumptus.

Moyses Catholicus (seu Magnus Armenorum Patriarcha) sexto labente sæculo à Mauritio Imperatore Constantinopolim vocatus cum cæteris Armenis Episcopis ire noluit ob factam ibi Sacrificii mutationem; respondítque, *absit ut transeam fluvium Azat, vel furno coctum comedam, aut calidum bibam*; sic & alii responderunt Armenorum Episcopi; ut habet Narratio de rebus Armeniæ apud Combefisium. Contra, Moyses, aliique Armeniæ Episcopi ire noluerunt, & quidem ob Sacrificii mutationem, non Constantinopoli, sed ab ipsis Armenis factam, nolentibus in Calice aquam vino miscere: unde illos Trullana Synodus damnavit *can.32.*ibi, *ad nostram cognitionem pervenit, quod in Armeniorum regione vinum tantum in Sacra mensa offerunt, aquam illi non miscentes* &c. *si quis ergo Episcopus, vel Presbyter non secundum traditum ab Apostolis ordinem facit, & aquam vino non miscens, sic Immaculatum offert Sacrificium, deponatur* &c.. Minus etiam obstant, quæ, sexto labente sæculo, Philoponus ait in disputatione *de tempore celebrandi Pascha* in illis verbis; *neque Azymum proprii Corporis; antitypum discipulis suis dedit Christus; nam & hoc etiam nunc fieret*: cum suppositicia sit disputatio illa, nec ante sæculum 11.fuit illa conficta; siquidem Philoponi opera in sua Bibliotheca Photius, & in suo apparatu Possevinus accuratissimè recensent; illius tamen disputationis nulla facta mentione: item sit illa Philoponi, quid inde? potuit de peculiari sua hæreticorum secta loqui; cum ait *nam & hoc etiam nunc fieret*, nempè in Azymis Sacrificium: hæreticum illum fuisse Tritheitam, Priscillianistam, & Eutychianum, ejus scripta testantur contra Severum, & Proclum, contra mortuorum resurrectionem, & Chalcedonense Concilium; unde fuit in sexta Synodo generali actione undecima damnatus. At demus, locutum fuisse Philoponum de universa Græcorum Ecclesia; quis homini mendacissimo credat? Cum & apertissimo mendacio, & universa Græcorum Ecclesia reclamante, negare sit ausus, Christum Dominum in Azymis consacrasse.

Sed quid de illo anathemate dicendum? ab Armenis proferendo ad Græcorum Ecclesiam redire petentibus (quod habes apud Cotelerium in notis ad quintum librum constitutionum Apostolicarum) *si quis in panem oblationis non immittit Fermentum, & sal, nec aquam cum vino in Sanctum Calicem, anathema sit*: dico, undecimo currente sæculo, fuisse confictum; cum nullo antiquiori monumento possit ostendi. Idemque dicendum de illa Melchitarum sententia contra Maronitas apud Tournely, & Faustum Naironum, *& qui in Fermento offerunt, nos simul cum occidentalibus, & Armenis, dicentes, Azymum non esse panem*: quis enim unquam ante Schisma Michaelis Cærularii hæc dicere somniavit?

APPENDIX XLIII.

INTER NOVAS *Post num.* 201.

De Eucharisticæ Consacrationis forma.

CHristum Dominum verbis consacrasse, & quidem verbis illis, quibus a Sacerdotibus consacratur, ex antiquis aliqui malè negarunt; cum Patres, ac Theologi omnes affirment. Tertullianus *lib.* 4. contrà Marcionem, *cap.* 40. ait; *Christum acceptum panem Corpus suum fecit, hoc est Corpus meum dicendo*: Sanctus Joannes Chrysostomus *homilia* 60. ad Populum Antiochænum post medium, inquit; *qui namque dixit hoc est Corpus meum, & verbum facto confirmavit*, nempè ipsa conversione: Sanctus Joannes Damascenus *lib.* 4. *de Fide Orthodoxa cap.* 14. sic habet, *dixit Deus, hoc est Corpus meum, & hic est Sanguis meus, atque omnipotenti ipsius præcepto, donec ipse veniat hoc efficitur*, (idest per Sacerdotes) *his enim verbis usus est, donèc veniat*. Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 1. *Majores nostri omnes, qui de Sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissimè professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima Cæna Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis, vinique benedictionem se suum ipsius Corpus illis præbere, ac suum Sanguinem disertis, ac perspicuis verbis testatus est*: non ergo *per*, sed *post* benedictionem Christus notissimis illis verbis consacravit; ut ex traditione majorum declarat Concilium Tridentinum: quænam sunt illa verba, nisi *hoc est Corpus meum* ab Evangelistis, & Paulo expressa?

Ab unanimi sententia Patrum minime recedit Innocentius III. *lib.* 4. *de Sacro Altaris Mysterio cap.* 6., cum inquit, *sanè potest dici, quod Christus virtute Divina confecit, & postea formam expressit, sub qua Posteri benedicerent; Ipse namque pro se virtute propria benedixit; non autem illa virtute, quam indidit verbis*: Siquidem de forma loquitur, non qua nos consacramus; sed qua collata nobis fuit potestas consacrandi; nempè de illis verbis: *hoc facite in meam commemorationem*, quæ verba dicta a Christo fuere post factam Consacrationem; iisdemque verbis Apostolos Sacerdotes ordinavit, ac potestatem illis contulit Eucharistiam consacrandi: hanc esse Innocentii mentem verba illa demonstrant: *Ipse namque pro se virtute propria benedixit; nos autem illa virtute, quam indidit verbis*; ubi inter Consacrationem a Christo factam, & nostram, non aliud agnoscit discrimen, quam quod Christus id fecerit virtute propria, nos autem virtute, seu potestate a Christo nobis communicata. Dices, Evangelistæ docent Christum prius benedixisse panem, & deindè protulisse verba illa *hoc est Corpus meum*, dicitur enim in Evangelio: *Accepit Jesus panem, benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, dicens, Accipite, & comedite; hoc est Corpus meum*: & nomine benedictionis Patres intelligunt ipsam Consacrationem, adeoque prius Christus consacravit, & deinde verba illa protulit, quibus nos consacra-

sacramus. Contrà. Panem duplici benedictione Christus benedixit, una, quæ Cæremonialis fuit, & Consacrationis verba præcessit, de qua Evangelistæ, ac Tridentinum; altera consacrativa, & essentiali, in verbis illis consistente *hoc est Corpus meum*; de qua 1. *ad Corint. cap.* 10. Apostolus inquit *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* & Sanctus Ambrosius *libro de initiandis cap.* 9.: *Hic est panis, quem benedictio consacravit*: hac ipsa benedictione nos ipsi consacramus. Dices iterùm: si Christus verbis illis consacrasset *hoc est Corpus meum*, illa propositio falsa fuisset, non enim fuisset vera ante completam prolationem verborum, cum antè illam non erat Corpus Christi: at nec deindè potuit esse vera, cum veritas propositionis præsupponat, cui conformatur, objectum. Contra, factum nimis probat argumentum; probaret utique, nec alios Sacerdotes his verbis *hoc est Corpus meum* consacrare posse; cum per falsam propositionem consacrare nemo possit: dicendum itaque, illam propositionem esse veram consequentèr, secus autem antecedentèr ad completam ejus prolationem: nec præsupponere debet suum objectum ad modum speculativæ propositionis; sed illud significando efficit, & efficiendo significat ad modum practicæ propositionis; ut & in cæteris Sacramentis contingit.

Consacrationem precibus, ac orationibus perfici, atque per Spiritus Sancti invocationem; non verò illis Christi verbis *hoc est Corpus meum*, post Græcos Schismaticos Marcum Ephesinum, Nicolaum Cabasilam Thessalonicensem, & Hieremiam Patriarcham Constantinopolitanum contendunt Moderni quidam Critici. Sed unanimis Theologorum sententia negat, cum de forma Consacrationis, Jueninus *in Commentario quæst.* 3. *cap.* 2. *art.* 2. Boucat. *art.* 5. *sect.* 4. Tournely *art.* 8. Simonnet *disp.* 3. *art.* 2. *& seqq.*; recentissimus Anonymus *de re Sacramentaria lib.* 4. *quæst.* 3. *cap.* 2.; Martene *de antiquis Ecclesiæ Ritibus tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 8. *num.* 20.; aliique passim. Schismaticis novis editis epistolis, ac dissertationibus favent P. Le Brun Oratoriensis Presbyter, & Dominus Toutèe Editor Benedictinus: sed his doctissimè replicarunt primo quidem P. Bougeant *in tractatu Theologico de forma Consacrationis* &c.; alteri verò P. Orsi *in dissertatione Theologica de invocatione Spiritus Sancti in Liturgiis Græcorum, ac Orientalium* &c.; quorum compendium habes in memoriis Trevoltinis ann. 1729. a pag. 1447., & 1644.; & an. 1732. a pag. 1909.

Communis, verique asserti brevis, ac facilis est probatio: nonne Sacerdos in persona Christi, & Christi verbis consacrat? Concilia testantur, & Patres; Florentinum in decreto Eugenii; Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 1. *&* 3.; Sanctus Justinus *Apologia* 2.; S. Irenæus *lib.* 4. adversùs hæreses *cap.* 18., *aliàs* 34.; Sanctus Joannes Chrysostomus *homilia* 1. *de proditione Judæ*; Sanctus Joannes Damascenus *lib.* 4. *de Fide cap.* 14.; sicque passim Græci Patres; itèm & Latini, Tertullianus *lib.* 4. contra Marcionem *cap.* 40., Sanctus Ambrosius *libro de Initiandis cap.* 9., aliique. Certum est autem, Sacerdotem in consacrando tantùm verba illa proferre in persona Christi, & quibus usus est Christus, *Hoc est Corpus meum*; secus alia, *Fac hunc panem Corpus Christi*, in quibus Græcorum oratio consistit. Itèm Sacerdos immediatè post ver-

verba Consacrationis, *Hoc est Corpus meum*, adorat Corpus Christi, ac Populo adorandum proponit; ut constans, ac firma Ecclesiarum omnium praxis ostendit: adeoque & verbis illis perfecta est Consacratio; secùs autem orationibus, ac precibus deindè recitatis.

Quæ opponuntur Liturgiæ Græcorum, præsertim Jacobi, Clementis, Chrysostomi, Basilii, & Armenorum, in quibus verbis illis Evangelicis *Hoc est Corpus meum* jam prolatis, illa dicitur oratio *Fac hunc panem Corpus Christi*; quæ inutilis foret, si completa jam esset Consacratio; sic post Evangelica verba dicitur in Liturgia Jacobi: orat Sacerdos, ut Spiritus Sanctus *adveniens sanctificet, & faciat hunc quidem panem Corpus Christi tui; & hunc Calicem pretiosum Sanguinem Christi tui*: in Liturgia Clementis post Consacrationis verba prolata, sic orat Sacerdos; *Rogamus te, ut clementèr inspicias hæc, eis bene complacens ad honorem Christi tui, & mittas Spiritum Sanctum tuum testem Passionis Domini nostri Jesu super hoc Sacrificio, qui hunc panem Corpus Christi tui, & hunc Calicem Sanguinem Christi tui efficiat*: In Liturgia Sancti Joannis Chrysostomi, Sacerdos post Evangelica verba sic orat: *Et rogamus, atque obsecramus, emitte Spiritum Sanctum tuum super nos, & super hæc proposita munera.* Et paulò post: *& fac hunc panem pretiosum Corpus Christi tui: quod autem in poculo, pretiosum Sanguinem Christi tui, transmutans Spiritu Sancto tuo*: in Liturgia Sancti Basilii, orat post eadem Christi verba Sacerdos: *Confidentes appropinquamus Sancto Altari tuo, & propositis iis, quæ Sanctum Corpus, & Sanguinem Christi tui repræsentant, te rogamus, & te obsecramus, Sancte Sanctorum, per tuæ bonitatis placitum, ut Spiritus Sanctus tuus ad nos veniat, & ad hæc proposita dona, & ea benedicat, & sanctificet, & efficiat.... Panem quidem hunc fac pretiosum Corpus Domini, & Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi.... Hunc verò Calicem pretiosum Sanguinem Domini, & Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi.... qui pro Mundi vita effusus est*: in Liturgia Armenorum perantiqua, hæc legitur oratio post verba Christi, *Hoc est Corpus meum. Emitte super nos, & super hæc proposita dona consempiternum, & coæternalem Sanctum Spiritum tuum, quo panem, & vinum hoc benedictum, Corpus verè Carne ipsa, & Sanguinem re ipsa facias Domini nostri Salvatoris Jesu Christi, mutando illa per Sanctum Spiritum tuum.* Tum dicitur in eadem Liturgia. *Et demum perficitur Corpus, & Sanguis Christi*: sicque passim Orientalium Liturgiæ.

Facilem explicationem habent; siquidem in allatis Liturgiis sic orat Sacerdos, *ut fiat Corpus Christi* non quidèm absolutè (quod jam per Evangelica verba factum est) sed relatè ad nos, nempè ut ad nostram fiat utilitatem, & salutem: idipsum & nos petimus, cum Consacratione peracta sic oramus, *Jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime Altare tuum, in conspectu Divinæ Majestatis tuæ: ut quotquot ex hac Altaris participatione, Sacrosanctum Filii tui Corpus, & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione Cælesti, & gratia repleamur* &c. Quod in Concilio generali Florentino testati sunt Græci, cum sessione ultima dicatur: *Latinis quærentibus de panis transmutatione, cur Græci post hæc Dominica verba, Accipite, & manducate* &c. *Bibite ex hoc omnes* &c.; *quibus*

bus profectò verbis Sacramentum cofinci videtur; hac etiam utuntur oratione, Fac panem hunc &c. *Reſponderunt Græci, ſe ſimilitèr credere verbis illis Dominicis Sacramentum fieri: ſed quemadmodum Latini, confecto hoc Sacramento, hac ſolent uti oratione Jube hæc perferri* &c.: *ita quoque Græcos illa verba proferre ſolum, ut Sacratiſſimum Chriſti Corpus, & Sanguis peccatorum noſtrorum remiſſioni, ac noſtris Animabus ſaluti fiat*: ſic Græci Catholici: unde alitèr ſentientes Græci ſive ante, ſive poſt Concilium Florentinum, Schiſmatici ſunt cenſendi

Poſſunt item verba illa, *Fac hunc panem Corpus Chriſti tui* ad tempus trahi præteritum, nempè ad tempus illud, quo per Evangelica verba facta eſt Conſacratio: nonnè cum in panis oblatione dicimus, *Suſcipe Sancte Pater Omnipotens Æterne Deus, hanc immaculatam Hoſtiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo, vivo, & vero, pro innumerabilibus peccatis, & offenſionibus, & negligentiis meis, & pro omnibus circumſtantibus, ſed & pro omnibus fidelibus Chriſtianis vivis, atque defunctis: ut mihi, & illis proficiat ad ſalutem in vitam æternam*; ad futurum tempus, nempè faciendæ Conſacrationis, hujuſmodi eſt oratio trahenda? Et in Miſſis Defunctorum verba illa Offertorii, *Domine Jeſu Chriſte, Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium Defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas Tartarus, ne cadant in obſcurum; ſed ſignifer Sanctus Michael repræſentet eas in lucem Sanctam; quam olim Abrahæ promiſiſti, & ſemini ejus*, ad tempus præteritum, nempe a corpore recedentis Animæ trahuntur: & ad tempus veterum Prophetarum illæ referuntur Antiphonæ, quæ in officiis antè Nativitatem Domini dicuntur, in quibus adhùc pro futuro Meſsiæ adventu rogamus.

Verba igitur illa, *Fac hunc panem Corpus Chriſti tui*, actualem Conſacrationem minime ſignificant: quod & duplici Græcorum Liturgia (apud Le Brun, & memorias Trevoltinas ad annum 1728. a *pag.* 568.) firmatur: Siquidem antequam illa proferatur oratio, dicitur in una, Choro canente, *Corpus Dominicum, & Sanguis Salvatoris adeſt coram*, quando non adhùc per Evangelica verba facta eſt Conſacratio; & in altera Presbytero dicenti, *Hic eſt Calix* &c. Populus reſpondet, *verè eſt Sanguis tuus, credimus*: quæ verba evidentiùs, quam illa *Fac hunc panem Corpus Chriſti tui*, realem in Altari Corporis Chriſti præſentiam deſignant. Etiam poſt Evangelica verba panis, & vinum *Antitypa, & ſigna* Corporis, & Sanguinis Chriſti a Baſilio in ſua Liturgia dicuntur; tùm quia ſunt Sacramentum, adeoque & ſenſibile ſignum; tum quia ſigna ſunt Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub panis, ac vini ſpecie latentis; ſigna quidem non vacua, ſed plena, & quæ rem contentam ſignificant; ſic dolium, quod habet vinum, & quam pecuniam continet crumena, deſignant. Quod in Liturgia habetur Armenorum, emendandum eſt; uti Romæ anno 1677. typis edita emendata fuit; & loco verborum illorum *verè facias* &c. appoſitum eſt, *panem, & vinum benedicens, Corpus, & Sanguinem feciſti Domini noſtri, & Redemptoris Jeſu Chriſti mutando Spiritu tuo Sancto.*

Patres (inquiunt) Conſacrationem orationem vocant, ac preces; *per precem* (Sanctus Juſtinus inquit Apologia 2.) *Euchariſtiam factum cibum ſumi-*

sumimus. Contrà: quid Patres nomine orationis, ac precis intelligant ab ipsis audiendum; certè non aliud, quam Evangelica verba designant, *Hoc est Corpus meum*: Sanctus Justinus ait loco citato *Eucharistiam* confici *per preces ab ipso verbo Dei profectas*; additque, *nam Apostoli in Commentariis a se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Jesum; eum enim pane accepto, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in meam commemorationem, Hoc est Corpus meum. Et poculo similitèr accepto, & gratiis actis dixisse: Hic est Sanguis meus*: Sanctus Irenæus *lib. 4. cap. 17., aliàs 32. eum* (inquit) *qui ex Creatura panis est, accepit* (Christus) *& gratias egit dicens Hoc est Corpus meum*: idem habent Chrysostomus homilia prima *de proditione Judæ*; Sanctus Joannes Damascenus *lib. 4. de Fide Orthodoxa cap. 14.*; & passim Græci Patres. Quod si aliquando Patres, præter Evangelica verba, etiam orationes, ac preces pro Consacratione requirunt; ut Sanctus Basilius libro *de Spiritu Sancto cap. 27.* aliique: de precibus loquuntur, quæ Consacrationem ante vel post, comitari solent; nec possunt sine gravi culpa omitti; sic validè, sed illicitè consacraret, qui Canonem in totum, vel in partem omitteret.

Scotistæ Consacrationem per Evangelica verba perfici pro certo habentes, etiam præcedentia illa verba, *qui pridiè quam pateretur* &c. essentialia esse censent: cum aliàs Evangelica verba non essent sensibilitèr determinata ad Corpus Christi significandum; sic Faber, Dupasquier, Rada, Brancatus. At melius alii cum Mastrio, & Clericato negant; cum Consacratio ex Patribus, & Conciliis nonnisi verbis Christi fiat; sitque certum, Christum Dominum sine anterioribus illis verbis consacrasse: sunt quoque Evangelica illa verba ad significandum Corpus Christi sensibilitèr determinata ratione circumstantiarum; stultus quidem, vel iniquus esset, qui videns Sacerdotem seriò super panem verba illa proferentem, putaret illum Ministerium non agere Christi, & proprio, non Christi nomine loqui. Meritò quidem ait Rubrica Missalis Romani *de defectibus in Celebratione* &c. §. 3. *num. 6.* Quod si depræhendatur defectus panis post sumptionem Sanguinis, *apponi debet rursùs novus panis, & vinum cum aqua, & facta priùs oblatione, ut supra, Sacerdos consacret incipiendo ab illis verbis, qui pridie* &c.: cum nostra sententia probabilior sit, sed minime certa; & præcedentia illa verba necessaria sint necessitate præcepti, non minus quam vini, ac panis oblatio, & mixtio aquæ cum vino.

Ad validam consacrationem Calicis illa verba sufficere, *Hic est Calix Sanguinis mei*, negant pluribus congestis, Salmanticenses, Gonet, Capisucchius: sed probabilius affirmant alii, Boucat, Contensonius, Gravina, Joannes a Sancto Thoma, Dicastillo, Lugo, Marin, Henno, Frassen, Dupasquier. Sensus hic est Angelici Doctoris 3. *parte quæst. 78. art. 1.*, ubi quærens, *utrum hæc sit forma hujus Sacramenti hoc est Corpus meum, & hic est Calix Sanguinis mei*, respondet affirmativè, *quia forma hujus Sacramenti importat solam consacrationem materiæ, quæ in transubstantiatione consistit, puta cum dicitur, hoc est Corpus meum, vel hic est Calix Sanguinis mei*, & infra, *unde dicendum est, quod si Sacerdos sola verba prædicta*, quæ videlicet erant in titulo) *proferret, cum intentione perficiendi hoc Sacra-*

cramentum, *perficeretur hoc Sacramentum*. Sensus est Patrum; qui in illis solis verbis totam reponunt formam Calicis consacrativam; ut alios omittam, Sanctus Justinus citata *Apologia* 2., ait Christum accepto pane dixisse: *hoc facite in memoriam mei*; *hoc est Corpus meum*; *dixisse etiam accepto poculo*: *hic est Sanguis meus*, *ipsisque solis dedisse*; & S. Joannes Damascenus *citato cap.* 14. *dixit Deus*: *hoc est Corpus meum*: & *hic est Sanguis meus*; & ; *hoc facite in meam commemorationem*; *atque omnipotenti ipsius præcepto*, *donec ipse veniat*, *hoc efficitur*. Ratio favet; si ad validam Corporis consacrationem sola hæc verba sufficiunt, *hoc est Corpus meum*, cur hæc alia, *hic est Calix Sanguinis mei* ad Calicis consacrationem sufficere non possunt? cum pari modo utraque forma totalem suum exprimat effectum; & Sacramentorum formæ, quod significant, operentur.

Christus (inquiunt) in consacratione Calicis etiam sequentia illa verba protulit. Quid inde? etiam in consacratione Corporis ait, *quod pro vobis tradetur*, ex Apostolo 1. ad Corint. 11.; nec ideo sunt verba illa de essentia formæ: non ut essentialia formæ protulit ea verba Christus, sed tantùm ad majorem illius explicationem. Antiquæ omnes Liturgiæ (dicunt) etiam illa, quæ sequuntur, verba in Calicis consacratione requirunt. Nihil ad rem; cum & mixtionem aquæ cum vino, & panis, ac vini oblationem omnes illæ requirant: & quidem meritò, cum necessaria sint necessitate præcepti. Nec refert, quod etiam posteriora illa verba ad formam consacrationis Calicis pertinere dicantur à Concilio Florentino in decreto Eugenii: cum revera ad formam pertineant relatè ad ejus integritatem, ac majorem explicationem; secus quoad illius essentiam; sicque intelligendus Angelicus Doctor *cit. quæst.* 78. *art.* 3., ubi de his verbis ait, *omnia prædicta verba sunt de substantia formæ*; cum statim addat, *sed per prima verba, hic est Calix Sanguinis mei*, *significatur ipsa conversio vini in Sanguinem eo modo*, *quo dictum est in forma consacrationis panis*; *per verba autem sequentia designatur virtus Sanguinis effusi in passione*, *quæ operatur in hoc Sacramento*. Inquies, nostra sententia ab operibus Cajetani, jussu Pii V. fuit expuncta. Contra, deleta quidem fuit, non ob sententiæ novitatem; aliàs etiam ab aliorum Auctorum operibus, præsertim Divi Thomæ explodi debuisset; sed quia parum æque Gajetanus de Angelico suo Præceptore fuerat ibi loquutus. Replicabis, si tota illa forma non sit integrè prolata, totam ex integro repetendam esse, docet Ecclesia; sunt ergo singula illa verba de essentia formæ. Contra, nulla est illatio; cum aliquando etiam illa repetenda sint, quæ non sunt essentialia formæ; sic deficiente Sacerdote forma Calicis non integrè prolata, alius Sacerdos supplere debet, ex integro formam Calicis repetendo, & quidem incipiendo ab illis verbis *simili modo postquam cænatum est* &c. juxta Rubricam Missalis, quæ est decima *de defectibus num.* 3.; quæ verba fatentibus Adversariis, non sunt de essentia formæ. Sicque meritò dispositum fuit; cum nostra sententia certa non sit, nec è finibus exeat probabilitatis, si quæ alia sunt in hac re solvenda, *Appendice* 14. *dissert.* 3. *art.* 2. jam fuere soluta.

APPENDIX XLIV.

INTER NOVAS *Post num.* 239.

AC

DISSERTATIO VII.

Pro quibus Sacrificium offerri possit ; & an pro damnatis : ubi an Fabula sit quod de Trajano fertur ab Inferis liberato .

SAcrificium pro tota Ecclesia offerri potest , ac debet , adeoque & pro omnibus baptizatis , & ab Ecclesia non præcisis ; sic Bellarminus *lib.* 2. *de Sacrificio Missæ cap.* 6. : Tournely *quæst.* 8. *artic.* 7. , Boucat *dissert.* 3. *art.* 11. *sect.* 3. Simonnet *disp.* 8. *artic.* 7. , & omnes : ea siquidem , quæ leguntur in Canone , testantur , cum Sacerdos verba illa profert , *in primis , quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua Sancta Catholica* &c. *& omnibus Orthodoxis , atque Catholicæ , & Apostolicæ fidei cultoribus* &c. quorum nullum licitè , aut validè ab hac generali oblatione Sacrificii Sacerdos excludere potest, cum universalis hæc oblatio (secùs de particulari dicendum, ut praxis Ecclesiæ docet) independenter ab intentione Ministri suum habeat effectum ; sic Pasqualigus *de Sacrificio novæ legis quæst.* 138. & passim Theologi cum Divo Thoma. Pro magnis etiam peccatoribus Sacrificium offerri potest etiam directè, & in particulari; non quidem ut satisfactorium est; cum in statu mortalis peccati manentibus nulla possit pœna dimitti : sed ut impetratorium ; *hujus quippe oblatione* (Sacrum Concilium Tridentinum inquit *sess.* 22. *cap.* 2.) *placatus Dominus , gratiam , & donum pœnitentiæ concedens , crimina , & peccata ingentia dimittit* . Item , & pro Energumenis , seù à dæmone vexatis , hoc offerri potest Sacrificium : Suarez , Vasquez , Mæratius , & passim Theologi ; cum ex Tridentino *cit. cap.* 2. pro omnibus necessitatibus offeratur ; & in magna sint necessitate Energumeni , simulque sint Ecclesiæ membra ; immò si forent in gratia , etiam satisfactoriè illis , prodesse posset : non tamen licitum esset illis , offerre ad altare , vel in Ecclesia ministrare , sic enim de his loquitur Concilium Illiberitanum *Can.* 29. *Hujus nomen neque ad altare cum oblatione esse recitandum ; neque permittendum , ut sua manu in Ecclesia ministret* .

Pro infidelibus non baptizatis , Turcis , Paganis , Gentilibus Sacrificium directè , & in particulari offerri posse , plures negant Tournely , Boucat , Catalanus , Granados , Vasquez , Azorius , aliique : sed longè probabi-

babilius est oppositum, si de fructu sermo sit impetratorio; sic innumeris relatis Pasqualigus *quæst.* 152. Salmanticenses *disp.* 13. *num.* 63. Gonet *disp.* 11. *num.* 70. Clericatus *decis.* 36. *num.* 25., Simonnet *cit. artic.* 7. *resp.* 3.: Nonnè & infidelibus, mediante Sacrificio, plura bona temporalia, & spiritualia, necessaria, ut convertantur ad fidem, impetrari possunt? antiqua hæc fuit praxis Ecclesiæ; Tertullianus *lib. ad Scapulam cap.* 2. *Sacrificamus*, inquit, *pro salute Imperatoris*, estò Gentilis foret; & Apostolus 1. *ad Timoth.* 2. ait, *fieri obsecrationes pro omnibus hominibus, pro Regibus, & qui in sublimitate sunt*, quæ de Sacrificio Missæ, tum Græci, tum Latini Patres exponunt: tunc autem Reges communiter Gentiles erant: nonnè & hoc fuit in veteri lege servatum? Sic pro Dario sacrificatum fuit 1. *Esdræ cap.* 6.: *pro Spartiatis* 1. *Machab.* 12.: & pro Heliodoro *lib.* 2. *cap.* 3. Nec dicas, Christum soli Ecclesiæ suæ reliquisse Sacrificium; *quis offerat Corpus Christi* (S. Augustinus inquit *lib. de origine Animæ cap.* 9.) *nisi pro eis, qui sunt membra Christi?* certum est autem non esse de Ecclesia, vel Christi membra infideles. Contra, non actu, sed potentia sunt de Ecclesia Christi, ejusque membra infideles; cum Dei adjuvante gratia, tales fieri possint; adeoque & pro ipsis Sacrificium Christus Ecclesiæ reliquit. Qui sunt Patres in oppositum, de illis loquuntur, qui nec actu, nec potentia sunt de Ecclesia Christi, ejusque membra; quales sunt post mortem infideles, vel infantes sine baptismo decedentes; *quod in contrarium dicitur* (ait Angelicus Doctor *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 2. *artic.* 2. *quæst.* 3. *ad* 4.) *quod non offertur, nisi pro membris Christi, intelligendum est pro membris Christi, quando offertur pro aliquibus, ut sint membra*: sicque intelligendum esse S. Augustinum, clarum est; siquidem contra Pelagianum ibi loquitur asserentem, pro parvulis sine baptismo mortuis, *oblationes assiduas, & offerenda Sanctorum Sacrificia Sacerdotum*.

Pro infantibus non baptizatis, sed adhuc viventibus etiam directè, & in particulari Sacrificium offerri potest, ut impetratorium est; secus ut satisfactorium, ex datis rationibus; sic Pasqualigus, Suarez, Vasquez, Mæratius, & passim Theologi: quæ sunt in oppositum Patrum auctoritates, de illis intelliguntur infantibus, qui sine baptismo decedunt. Ut pro Catechumenis, etiam satisfactoriè offerri potest, si sint in gratia, sive mortui sint, sive viventes; sic innumeris citatis Pasqualigus *quæst.* 151.; Clericatus *decis.* 36. *de Sacrificio num.* 27., Giribaldus *cap.* 2. *de Sacrificio num.* 12., Henno *quæst.* 4. *Conclus.* 2.; contra Vasquium, Simonnet, aliosque paucos: duæ classes erant Catechumenorum, alii *Competentes* erant, alii vero *Audientes*; hi ut Christianæ fidei tyrones, deputatis Catechistis pro instructione dabantur, nec poterant assistere Sacrificio, nisi usque ad Evangelium, & concionem inclusivè; primi ut in rebus fidei jam instructi, baptismum petebant instanter; quibus & permittebatur adstare Sacrificio; sed usque ad Consacrationem exclusivè; hinc Missæ duæ partes erant *Catechumenorum* una, & *Sacramentorum* altera, siquidem isti soli fideles, illi verò etiam Catechumeni assistere poterant; ut cum aliis latè probant Clericatus *num.* 28., & Cardinalis Bona *rerum Liturgicarum lib.* 1. *cap.* 16. Principale sic ostenditur assertum; interrogatus Innocentius III. ab Episcopo

Cremonensi an orandum esset, ac sacrificandum pro Sacerdote, qui sine baptismo decesserat, respondet *in cap. 2. de Presbytero non baptizato*; *Presbyterum, quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti* &c.: *Patrum sententias teneas*; *& in Ecclesia tua juges preces, hostiasque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato*; celebre S. Ambrosii exstat exemplum, qui in Oratione *de obitu Valentiniani Imperatoris* Catechumeni; *date manibus*, inquit, *Sancta Mysteria; date Sacramenta Cœlestia: animam piam nostris oblationibus prosequamur*: cæteri Patres eadem habent: quod si dicant aliquando, non esse pro illis orandum, vel sacrificandum, de illis Catechumenis certè loquuntur, qui ex propria culpa, & negligentia sine baptismo decesserant: nec refert, Catechumenos Sacrificio præsentes esse non posse; cum nec Animæ Purgatorii Sacrificio possint esse præsentes, estò possit pro illis offerri.

Pro Excommunicatis saltem vitandis Sacrificium offerre non licet; decisum est *in cap. 28., & cap. 38. de sententia excommunicationis*: sed validè pro illis offertur nomine Christi, secus autem nomine Ecclesiæ; communissima est Theologorum sententia: cum effectus Sacrificii, uti & Sacramentorum in subjecto capaci impedire non possit Ecclesia, sed tantùm illos, quos ut publicus Ecclesiæ Minister Sacerdos agit. Privatim pro excommunicato etiam vitando licitum est orare; unde & potest hoc Sacerdos, in Missæ *Memento*; sic passim Theologi cum Giribaldo *cap. 2. num. 15.*; cum publicas tantùm preces Ecclesia prohibeat pro illis offerre, ex *cap. 38. de sententia excomm.* De excommunicatis verò non vitandis, seu toleratis, an pro illis Sacrificium offerri possit, certant Theologi; negant Roncaglia, Giribaldus, Reiffenstuel, Madernus, Suarez, Vasquez, Sotus, Bellarminus, Covarruvias, Alterius, Avila, Filliucius, Bonacina, Catalanus, aliique plures: affirmantibus aliis, Navarro, Reginaldo, Ugolino, Aversa, Facundez, Sanchez, Medina, Victoria, Henriquez, Coninch, Sayro, Hurtado, Herinez, Palao, Cardinale de Lugo; quos innumeris citatis sequuntur Pasqualigus *quæst. 146.* La Croix *lib. 6. part. 2. num. 34.*; Salmanticenses de censuris *cap. 3. à num. 57.* Kazenberger in supplemento decalogali *cap. 3. num. 73.* objecta solventes. Ratio istorum est, quia de jure novo, per Bullam, quæ incipit *ad evitanda scandala* &c. post Concilium Constantiense editam, quam probavit, & confirmavit *Martinus 5.* in extravag. *ad evitanda &c.*; cum excommunicatis toleratis tum in divinis, tum in civilibus fideles communicare possunt: adducit hanc Bullam per extensum S. Antoninus testis Coævus *part. 3. tit. 26. cap. 3.*, quam dicit, ab oculatis testibus accepisse: nec refert, Bullam nullo modo hujusmodi excommunicatis favere voluisse, sed solis fidelibus; cum saltem indirectè, & per accidens etiam illis faveat; aliàs & nulla fidelibus facta fuisset communicandi cum illis nova concessio. Poteritne Sacerdos Catholicus Missam pro hæretico celebrare, accepto stipendio, ac etiam ad bonam ejus intentionem? e.g. *in honorem S. Antonii pro inveniendis rebus deperditis, pro recuperanda sanitate* &c. Kilianus Kazenberger affirmat ibidem; cum hæretici excommunicati sint tolerati.

Sanctis minimè sacrificamus, templa erigimus, vel altaria; cum Sacri-

crificium sit oblatio facta Deo in protestationem supremi Dominii, quod ipse in omnes habet creaturas *nos martyribus non constituimus templa, Sacerdotia, Sacra, & Sacrificia*, inquit S.Augustinus *lib.8.de Civit. Dei cap.27.* & *lib.20.*contra Faustum *cap.21.* Non tamen divinæ repugnat institutioni, Sacrificia pro Sanctis offerre, in illorum nempè honorem, eosque invocare, ut apud Deum nostri sint intercessores: *si quis dixerit* (ait Tridentinum *sess. 22. can.5.*) *imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit*: semper hæc fuit Ecclesiæ fides; *non sic Martyres commemoramus* (ad altare) *quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro iis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis*, inquit S.Augustinus *tract.84. in Joannem*: Bellarminus, Boucat, Tournely, Simonnet hæreticorum objecta solvunt. Pro Sanctis Sacrificium offerri non potest ad culpæ, aut pœnæ remissionem; cum nulla maneat illis culpa, aut pœna luenda; uti nec ad gratiæ, vel essentialis gloriæ assecutionem, vel augumentum, ut certum est; bene vero ad accidentalem aliquam gloriam assequendam; rogantes nempè Deum, ut virtute Sacrificii illorum cultum longè, latèque diffundat; Sporerus, Marchinus, Suarez, ac Theologi passim; sic orat Ecclesia, ut Sacrificium *Sanctis prosit ad honorem*; item *ut Sanctis ad gloriam*, sic nobis prosit ad veniam. Ad temporalis pœnæ relaxationem pro animabus Purgatorii Sacrificium offerri potest; sic contra Lutheranos, & Calvinistas Catholici omnes; ac in Tridentino definitum *sess.22. cap.2.* & *can.3.*: semper hæc fuit Ecclesiæ praxis; Tertullianus de *Corona Militis cap.3. oblationes pro defunctis annua die facimus*; S.Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi 5. Mystagogica, hoc Sacrificium tibi offerimus, ut memineris etiam eorum, qui ante nos obdormierunt*. S.Joannes Chrisostomus *homilia* 60. ad Populum Antiochenum, *ab Apostolis hæc Sancita fuerunt, ut in tremendis Mysteriis defunctorum agatur commemoratio.*

Æternas esse damnatorum pœnas, ac malum pro illis orare, vel Sacrificium offerre, nullus est qui dubitet Christianus: testatur apertissimè S.Gregorius Magnus *lib.4. dialogorum cap.44.* dicens „ eadem itaque causa est, cur „ non oretur tunc pro hominibus igni æterno damnatis, quæ nunc etiam cau- „ sa est, ut non orent Sancti homines pro hominibus infidelibus, impiisque „ defunctis, quia pro eis utique, quos æterno deputatos jam supplicio nove- „ runt, ante illum justi Judicis conspectum orationis suæ meritum cassari re- „ fugiunt „ adeoque licitum non esse orare pro damnatis, vel pro infidelibus, „ impiisque defunctis: ut licitum non est, ait S. Gregorius, *orare pro Diabolo, & Angelis ejus*: & *lib.6. epist.15.* dicit, hæreticum esse dicere, Christum quando ad Inferos descendit, liberasse ab Inferno damnatos; & adductis auctoritatibus Philastrii, & Augustini, concludit „ hæc itaque omnia „ pertractantes, nihil aliud teneatis, nisi quod vera Fides per Catholicam „ Ecclesiam docet: quia descendens ad Inferos Dominus, illos solummodo „ ab Inferni claustris eripuit quos viventes in carne per suam gratiam in fide, „ & bona operatione servavit. Quod enim per Evangelium dicit, cum exaltatus „ fuero a terra, omnia traham ad meipsum: omnia videlicet electa. Nam „ trahi ad Deum post mortem non potuit; qui se a Deo malè vivendo sepa- „

„ ravit

„ ravit „. Ex quibus clarum eſt, licitum non eſſe orare pro impio, qui cum ſua impietate deceſſit: ſiquidem, ut S.Gregorius ait, *trahi ad Deum poſt mortem non potuit, qui ſe a Deo malè vivendo ſeparavit*: quæ ſunt in oppoſitum auctoritates Patrum apud Tournely, alioſque Polemicos, de Animabus Purgatorii ſunt explicandæ.

Sed quid quod de Trajano fertur ab Inferis liberato? Siquidem plures impios, ac infideles, qui cum ſua impietate ex hac vita deceſſerant, Sanctorum interceſſione ad vitam fuiſſe revocatos, unus eſt omnium ſenſus: S. Thomas in 4. *ſent.diſt.45. quæſt.2. artic.2. quaſt.1. ad 5.*, ait, *ſicut etiam apparet in omnibus illis, qui fuerunt a Mortuis miraculosè ſuſcitati, quorum plures conſtat idololatras, ac damnatos fuiſſe*: nonnè S. Severus Juvenem peſſimum jam mortuum, ac damnatum ſuis orationibus ad vitam revocavit? teſte S. Gregorio *lib.1. Dialog. cap.12.* S. Franciſcus Xaverius Infidelem mortuum ſua oratione ſuſcitavit? teſte Urbano VIII. in Bulla Canonizationis ejus edita die 6. Auguſti 1623. incipiente *rationi congruit* &c. S. Petrus Juvenem infidelem Cæſaris affinem jam mortuum ad vitam excitavit? teſte Egeſippo *lib.3. cap. 2.* S. Stephani reliquias excitaſſe puerum, qui ſine baptiſmo deceſſerat; ſcribit Evodius *lib.1. de Miraculis S.Stephani*. Quod S.Martinus Turonenſis plures ſuſcitaverit Idololatras, teſtantur in ejus vita S. Paulinus Nolanus, ac Sulpitius Severus. Celeberrimum eſt Sanctæ Agnetis exemplum, quæ peſſimum Juvenem Præfecti Filium, ejus pudicitiam labefactare volentem, occiſum a Diabolo, oratione ad Deum facta, revocavit ad vitam: S. Ambroſius *ſerm. 90.*, aliàs *lib.4. epiſt. 34.*, Agnetem ſic inducit cum Præfecto alloquentem de Juvene jam mortuo, „hic impu-
„ dens, cum manum ſuam ad me contingendum aptaret, dedit eum Angelus
„ Domini in reprobam, quam conſpicis, mortem: dicit ei Præfectus; in hoc
„ apparebit, quia non magicis artibus iſta geſſiſti, ſi deprecata fueris ipſum
„ Angelum, ut reſtituat mihi filium meum ſanum: cui Beata Agnes dixit,
„ licet fides veſtra hoc impetrare non mereatur a Domino; tamen quia tem-
„ pus eſt, ut virtus Domini mei Jeſu Chriſti manifeſtetur &c.: orante autem
„ illa apparuit Angelus Domini, qui elevavit eam flentem, & confortans ani-
„ mum ejus, Juvenem ſuſcitavit „. Quo autem modo iſta evenerint, cum
„ damnatorum pœnæ ſint æternæ, explicat S. Thomas *loco cit.*: dicens „ de
„ omnibus ſimilitèr dici oportet quod non erant in Inferno finalitèr deputati,
„ ſed ſecundum præſentem juſtitiam propriorum meritorum; ſecundum autem
„ ſuperiores cauſas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat de illis
„ alitèr diſponendum „. Quamvis ergo finalitèr mortui in peccato mortali,
„ & finalitèr ad Infernum damnati, ſeu per ultimam, ac finalem ſententiam, ampliùs excitari non poſſint, neque licitum ſit pro illis orare; ſecùs de illis dicendum eſt, qui non ſunt finalitèr mortui, neque finalitèr ad Infernum damnati; ſed ſolùm ad tempus, & ſecundum præſentem juſtitiam.

Quod de Trajano fertur Imperatore Infideli precibus S. Gregorii Magni ab Inferis liberato, ac plura poſt ſæcula redivivo (Gregorius enim ad Pontificatum aſſumptus anno 590., obiit anno 604., Trajanus verò anno 117.) certum non eſſe, ac indubitatum, vel Eccleſiæ auctoritate firmatum, (paucos ſi excipias Græculos) fatentur omnes: ſolùm an ſit probabile diſputatur;

tur: hinc Græci quidam malè hoc factum velùt indubitatum habentes, suis Euchologiis inseruere; ubi *cap.* 96. *de Mortuis* hanc dicit Sacerdos orationem, *quemadmodum Trajanum per intentam servi tui Gregorii Dialogi intercessionem flagro solvisti, exaudi etiam nos te orantes* &c. Sed ab illorum Euchologiis hanc delendam esse fabulam, ex rescripto Sanctæ universalis Inquisitionis innotescit ad nostrum Cardinalem Pignatelli s. m. Archiepiscopum Neapolitanum, dato die 22. Septembris anno 1714.; & quidem meritò, cum non sint Sacris officiis immiscenda, quæ canonica non sunt, & Ecclesiæ auctoritate firmata; sitque fabulosum hæc Trajani facto convenire: quid enim si Sacris Liturgiis distinctionem aliquam formalem, virtualem, vel objectivam (ut in scholis datur) inseruissent Theologi? Aliud est Trajani factum esse probabilitèr verum; aliud verò certum esse, ac indubitatum; ut Græci contendunt.

Putidam esse fabulam Trajani ab Inferis liberationem, communis est Criticorum sensus; adstipulantibus Baronio ad annum 604., Bellarmino *lib.2. de Purgatorio cap.*8.; Capisucchio in selectis *controvers.*7.; & Natali sæculo 2. *dissert.*1.: at veram esse historiam propugnant alii, Ciacconius in opusculo de hac re; Joseph de Turre *tract.*1. *de verbo Dei scripto*, *quæst.* 4. *art.* 16.§.5. Franciscus Mendoza *lib.*1. *Viridarii*, *Problemate* 5.; ac communis est Thomistarum sensus cum Gonet *disp.* 8. *de peccatis num.*100.; & Salmanticensibus *de peccatis disp.*17.*num.*61.*&* 66. Quibus & nobiliores favent antiqui Scriptores, S. Bonaventura, B. Albertus Magnus, Durandus, Ricardus, & alii *in* 4.*sent. dist.*45.; S. Antoninus 1. *parte* Chronici *tit.* 7. *cap.*3.; Vincentius Bellovacensis in *speculo historiali*; Venerabilis Gerson in sermone ad Regem Franciæ pro pace, *considerat.* 4.

Pro omnibus unus sufficiat Angelicus Doctor, cujus eruditionem, ac sapientiam passim Romani Pontifices laudarunt; sic enim habet 3.*parte supplementi quæst.*73.*artic.*5.*ad* 5. „ de facto Trajani hoc modo potest probabilitèr æstimari, quod precibus S. Gregorii ad vitam fuerit revocatus, & ibi gratiam consecutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit, & per consequens immunitatem a pœna; sicut etiam apparet de omnibus illis, qui fuerunt miraculosè a mortuis suscitati, quorum plures constat Idololatras, & damnatos fuisse: de omnibus talibus enim similitèr dici oportet, quod non erant in Inferno finalitèr deputati, sed secundum præsentem propriorum meritorum justitiam; secundum autem superiores causas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat alitèr de eis disponendum „: idemque scribit in 1.*sent. dist.* 43. *quæst.* 2. *art.*2. *quæst.* 1., *&* *in* 4. *dist.*45. *quæst.*2.*art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 5., *&* *quæst.*6. *de veritate art.*6. *ad* 4., ubi vides Div. Thomam, Trajani liberationem, non fabulam, sed factum vocare *de facto Trajani*; non improbabile dicere factum, sed probabile, *de facto Trajani hoc modo potest probabilitèr æstimari*; eoque narrato, pluribus adductis exemplis illud confirmare; *sicut enim apparet in omnibus illis, qui fuerunt miraculosè a mortuis suscitati, quorum plures constat Idololatras, & damnatos fuisse*: idemque in omnibus citatis locis constantèr affirmat. Sicnè loqueretur Angelicus Doctor de Trajani ab Inferis liberatione, si eam aut Christianæ fidei, aut historicæ veritati putaret oppositam?

Idem

Idem conftat ex celebri vita S. Gregorii Magni fæculo 9. compofita, quam præferunt editiones omnes operum ejufdem S. Gregorii: fic enim dicitur *lib.2.cap.44.* ,, legitur etiam penes eafdem Anglorum Ecclefias, quod ,, Gregorius per forum Trajani procedens, judicii ejus, quo viduam confola- ,, tus fuerat, recordatus, atque miratus fit; quod fcilicèt ficut a Prioribus ,, traditur, ita fe habet. Quodam tempore Trajano ad imminentis belli pro- ,, cinctum vehementiffimè feftinanti &c. Hujus ergo manfuetudinem Judicis ,, afferunt Gregorium recordatum, ad S. Petri Apoftoli Bafilicam perveniffe; ,, ibique tamdiù fuper errore clementiffimi Principis defleviffe, quoufque re- ,, fponfum fequenti nocte cepiffet, fe pro Trajano fuiffe auditum: pro nullo ,, ulterius Pagano preces effunderet. Sed cum de fuperioribus miraculis Roma- ,, norum nemo fit, qui dubitet, de hoc, quod apud Saxones legitur hujus ,, precibus Trajani animam ab Inferni cruciatibus liberatam, ob id, vel ,, maximè dubitari videtur, quod tantus Doctor nequaquam præfumeret pro ,, Pagano prorsùs orare &c.: non advertentes, quia non legitur pro Trajano ,, Gregorium exoraffe, fed tantùm fleviffe; fic enim cum non oraverit Gre- ,, gorius, plangendo potuit exaudiri; ficut Moyfes cum dolendo taceret, po- ,, tuit clamaffe videri &c.: notandum quia non legitur, Gregorii precibus ,, Trajani Anima ab Inferno liberata, & in Paradifo repofita: quod omninò ,, incredibile videtur &c. fed fimplicitèr dicitur ab Inferni cruciatibus li- ,, berata.

Hæc Joannes Diaconus 9. fæculo fcribit: ne autèm dicas, Joannem Diaconum hujus fabulæ omnium primum fuiffe affertorem; plura funt, & quidem non perfunctoriè notanda: quod hæc fcribat Joannes, vir fuo tempore infignis, ab ætate S. Gregorii non longè remotus, tertio nempè fæculo non adhuc elapfo; & quidem fcribat jubente, ac probante Summo Pontifice Joanne VIII., & nullo reclamante fcribat: nonnè quod afferit, gravitèr ipfe confirmat, ex certa Romanorum fide? *tum de fuperioribus Miraculis Romanorum nemo fit qui dubitet*; ab antiquis Patribus accepta, *ficut a Prioribus traditur, ita fe habet*: teftantibus quoque Saxonum Tabulariis, *apud Saxones legitur*, & Anglorum Ecclefiis, *legitur etiam apud eafdem Anglorum Ecclefias* &c.: nec enim potuit fabula tantis firmari documentis. Optimo quidem Criterio vera difcernens a falfis,rejicit quæ fabulam fapiunt, vel Chriftianæ Fidei videntur opponi; ut quod Trajanus ab Inferno liberatus, nulla intercedente mora, ac nulla pœnitentia interveniente, mox fuerit in Paradifo repofitus, *non legitur Gregorii precibus Trajani Anima ab Inferno liberata, & in Paradifo repofita*: putatque Trajanum, non Gregorii precibus, fed lacrymis fuiffe liberatum; quod exemplo Moyfis confirmat.

Antiquiora etiam funt, quæ nobis documenta favent; fiquidem S.Joannes Damafcenus, qui Sancto Gregorio proximior floruit fæculo 8., hæc fcribit in oratione pro Defunctis ,, Gregorius Dialogus antiquioris Romæ Epi- ,, fcopus, vir, ut omnes norunt, tùm vitæ fanctitate, tùm eruditione cla- ,, rus, ac celebris &c.: hic cum per locum lapidibus ftratum, aliquando iter ,, faceret, dedita opera conftitit, intenfiffimafque pro peccatorum Trajani ,, remiffione preces ad Animarum amantem, & mifericordem Dominum fu-

,,dit:

dit: statimque vocem hujusmodi divinitùs emissam audivit: preces tuas " exaudivi, ac Trajano ignosco: tu vero posthac caveto, ne mihi pro im- " piis supplex sis. Quodcumque istud verum sit, & ab omni calumnia alie- " num, Oriens totus, atque Occidens testantur „ Duo hic habes testimonia, " unum est Sancti Joannis Damasceni, qui totum Orbem sua doctrina, ac sanctitate sæculo 8. illustravit; alterum est omnium Ecclesiarum unanimis consensus, tùm Occidentalium, tùm Orientalium, teste eodem Damasceno; *quodque istud verum sit, Oriens totus, atque Occidens testantur.*

Hanc non esse orationem Sancti Joannis Damasceni, Natalis ait: cum putidam contineat fabulam de Trajano ab Inferis liberato. Sed minimè audiendus; quid enim aliàs posset antiquis comprobari monumentis, si ex hoc in suspicionem adduci posset? solemnis hæc est petitio principii; quod enim quæritur est, an Trajani liberatio fabula sit, vel historia; an Trajano contigerit, quod infidelibus multis, ac impiis post mortem, Sanctorum orationibus certum est evenisse: *eadem est ratio de Trajano, ac de illis, qui post unum diem suscitati sunt*, ait Angelicus Doctor *cit. dist. 43. quæst. 2. art. 2. quæst. 1.* Cæterum orationem illam esse S. Joannis Damasceni (quidquid Lequienius dicat) satis ex eo constat, quod Scriptores omnes antiqui, præsertim Angelicus Doctor illam esse dicant Sancti Joannis Damasceni; tùm quia hæc oratio sive in editis, sive in manuscriptis non sub alio nomine inveniatur, quam ipsius: nulli ergò magis, quam Damasceno tribuenda.

Esse non posse Sancti Joannis Damasceni, asserit Cardinalis Capisucchius; cum ille vixerit sæculo 4. sub Theodosio Seniore; adeòque longè ante Gregorium vixit, & illius facta narrare non potuit. Sed intolerabilem continet hæc responsio Anachronismum; cum Joannem Damascenum sæculo 8. floruisse, atque adversus Leonem Isaurum, Constantinum Copronymum Imperatores, aliosque Iconoclastas strenuè propugnasse veritatem, sit omnibus compertum ex Joanne Hierosolymitano in ejus vita; ipsaque de Sacris imaginibus Damasceni scripta testantur. Corrigendus ergo Anhacronismus, in quem post Vincentium Bellovacensem, S. Antoninum, & Raphaelem Volaterranum incidit Capisucchius.

Fortè Damascenum fuisse in hujusmodi narratione deceptum, ait Cardinalis Bellarminus. At incredibile satis, tantum virum, non minus sanctitate, quàm prudentia, doctrina, ac eruditione celebrem (uti videre est apud Joannem Hierosolymitanum in ejus vita, & Theophanem in annalibus) in re tanti momenti tàm facilè fuisse deceptum: nonnè quod asserit Damascenus, Ecclesiarum omnium consensione firmatur, quem doctissimus vir ignorare non poterat; & quidem nullo reclamante asserit: at certissimè reclamassent, si fabulam Damascenus Ecclesiarum omnium auctoritate, & consensione firmasset.

Joannem Damascenum, ac Joannem Diaconum, dicunt opposita loqui; cum Damascenus Trajanum asserat, Gregorii precibus ab Inferis liberatum; & Joannes Diaconus pro Trajano Gregorium orasse, aut orare potuisse neget. At illos in facti substantia convenire, quis non videt? Cum & de Trajano per Gregorium ab Inferis liberato, ac de communi Ecclesiarum sensu testetur uterque: de modo lis est, quo id Gregorius obtinuit; orando

Damafcenus ait, non orando, fed flendo, Joannes Diaconus affirmat. Parvi momenti res eft, in qua potiùs Damafceno credendum, cum antiquior fit, & proximior facto; idque nullo reclamante fcripferit ex communi fenfu Ecclefiarum: junior eft Joannes Diaconus, & Saxonum reclamantibus Ecclefiis fcribit.

Negabis forfan fæculo 8., communem fuiffe Ecclefiarum fenfum de Trajano ab Inferis liberato; quia filent illius ævi Scriptores? At qua fronte negas, cum teftes fint Joannes Diaconus, & quos ille adducit Ecclefiarum Codices; teftis eft quoque Damafcenus, & in Codicibus notatur Ecclefiarum, quarum communem adducit ipfe traditionem? Si enim hujufmodi traditiones minimè tunc fuiffent, quo pacto Damafcenus, ac Joannes Diaconus, tantæ doctrinæ, ac eruditionis viri tàm fidentèr illas adduxiffent? Quomodo notabilem hanc falfitatem de afferta liberatione Trajani tantis five Orientalibus, five Occidentalibus impofuiffent Ecclefiis? quis de talibus viris hoc dicere audebit? illæ fine dubio reclamaffent Ecclefiæ, quibus fuerat impofitum; & non reclamafse, fatis ex illius ævi Scriptorum filentio compertum eft.

Vetuftioribus innixum eft monumentis factum de Trajano ab Inferis liberato: antiquiffima S. Gregorii vita, quam Auctor fcripfit Anonymus, & quidem ipfi coævus, ut ibidem Auctor ipfe fatetur, & quam habes apud Bollandum die 12. Martii, teftatur hoc ipfum: cum facti meminiffet de Trajani juftitia, ac manfuetudine, fic profequitur „ cujus rei gratia compunctus Venerabilis Pontifex, cæpit lacrymofis gemitibus &c.; perveniensque ad fepulcrum Beati Petri Apoftoli, ibidem diutius oravit, & flevit, atque veluti graviffimo fomno correptus, in extafi mentis raptus eft, quo per revelationem fe exauditum difcit; & ne ulteriùs jam talia de quoquam fine baptifmo Sacro defuncto præfumeret petere, promeruit caftigari „ *promeruit caftigari*, feù potiùs admoneri. Servatur hæc vita in celebrioribus Europæ Bibliothecis, tefte Bollando, & Genuinum effe Auctoris coævi opus, affirmant viri docti, quos fequitur Bollandus; cum & ab ipfo plura S. Joannes Damafcenus de Sancto Gregorio accepiffe videatur.

Æternas effe damnatorum pœnas, eft de fide, oppofitores exclamant, ac Gregorius ipfe teftatur *lib.6. epift.15.*; fiquidem peccatum eft pro damnatis orare, ut peccatum eft orare pro diabolo; fcribit S. Gregorius *lib.4. Dialog. cap.44.*; non ergo potuit S. Gregorius pro Trajano fundere preces, & ipfum ab Inferis liberaffe. Factum exprefsè negat Joannes Diaconus *in cit.lib.2.cap.44.* dicens, narrationem de Trajano precibus Divi Gregorii liberato, a Saxonibus originem habuiffe; quam proindè ex profeffo ipfe impugnat.

Æternæ funt damnatorum pœnæ, fi de finalitèr damnatis, feu per finale Judicium, loquamur; pro quibus nec orare licitum eft: at fi ad tempus damnati fint, & fecundùm præfentem juftitiam; pro his nullus eft qui dubitet, licitum effe orare; unde, & plures Infideles fuere poft mortem Sanctorum orationibus excitati; ut in præmiffis jam vifum eft. Sed unde Gregorius habuit, fibi licitum effe orare pro Trajano? Faciliimum eft, ex divina revelatione id habuiffe Gregorium; ut cæteri habuere Sancti, qui

pro

pro infidelibus, impiisque defunctis orarunt: *eadem est ratio de Trajano, ac de illis, qui post unum diem suscitati sunt, de quibus etiam dicendum est, quod non finaliter erant damnati*; ait Angelicus Doctor *cit. dist.43. quæst. 2. artic.2. quæst.1.*; eademque de omnibus illis est, qui cum mortali peccato decedunt; *trahi ad Deum post mortem non potuit, qui se a Deo malè vivendo separavit*; ait S. Gregorius *cit. lib.6. epist.15.* Joannes Diaconus Trajani liberationem a Gregorio factam, ex antiqua, & communi Ecclesiarum traditione constantèr affirmat, solùm orationibus, ac precibus factam fuisse negat; *non legitur* (ait *cit. lib.2. cap.44.*) *pro Trajano Gregorium exorasse, sed tantùm flevisse; sic enim cum non oraverit Gregorius, plangendo potuit exaudiri; sicut Moyses cum dolendo taceret, potuit clamasse videri* &c.

Insigniores qui de S. Gregorio scripsere Auctores, de tam insigni facto silent, Gregorius præsertim Turonensis ipsi coævus, ac Venerabilis Beda; quod utique non fecissent, vera si fuisset liberatio Trajani. Nonnè si hoc factum evenisset, totus fuisset orbis rei novitate commotus? quot enim ex remotioribus Mundi partibus, ad magnum hunc videndum Imperatorem post quingentos annos a mortuis excitatum, profecti fuissent? Item quid de Trajano a mortuis excitato actum sit, omnes ignorant.

Sed antiquos Scriptores, veteresque Codices de Trajano ab Inferis liberato, jam visum est meminisse: siluit Turonensis quæ de Gregorio dicere non potuit, cum pluribus annis ante illum excesserit; siquidem Gregorius obiit anno 604., Turonensis verò anno 596.: Trajani liberationem siluit Turonensis; cum Pontificis Gregorii octo annorum gesta, factaque gloriosa silere debuerit. Beda silet, cum notiora omittat, pauca dicere contentus; ut in ejus videre est Anglorum historia; insigniora in ea silet; imo & factis omnibus prætermissis, integra sæcula percurrit; dicere satis sit, quod quingentorum ferè annorum spatio unius tantùm meminit Regis Angliæ, nempè Lucii, qui anno regnabat 156., juxtà Morerum, aliosque: quid ergo mirum si de Gregorio, quæ notissima tunc erant, omittantur a Beda? Neque totus debuit Orbis rei novitate commoveri; quot enim, & quidem magni nominis infideles fuerunt è mortuis Sanctorum precibus excitati, quin fuerit totus Orbis rei novitate commotus? numquid etiam ad illos invisendos ex remotioribus Mundi partibus abire debuisset? quidvè si Trajanus è mortuis excitatus post unam, vel alteram diem decesserit baptizatus, iterumque in cinerem corpus ejus redactum? id contigisse non constat; at nec evenisse constat oppositum. Ignoramus quid de Trajano è mortuis excitato actum sit; sed cum pluribus infidelibus simili modo excitatis hoc est illi commune: forsan (ut Angelicus Doctor sentire videtur *supplementi 3. part. quæst. 73. artic. 5. ad 5.*) divina gratia ad pœnitentiam conversus, salvus factus est. Sentiunt hoc idem S. Joannes Damascenus, Joannes Diaconus, & antiquissimus Auctor vitæ Sancti Gregorii; cum absolutè dicant, animam Trajani liberatam ab Inferno, non verò quod Inferni pœna solùm fuerit illi suspensa; vel quod anima Trajani mox fuerit in Paradiso reposita; *non legitur* (ait Joannes Diaconus) *Gregorii precibus Trajani animam ab Inferno liberata, & in Paradiso reposita* &c.; *sed simplicitèr dicitur*

ab Inferni cruciatibus liberata: signum ergo ad pœnitentiam fuisse divina gratia conversum: nec enim ad Inferos rediisse dici potest; cum Inferni pœnæ non fuerint solùm Trajano suspensæ, sed absolutè a cruciatibus illis fuit Trajani anima liberata.

Si aliqua esset traditio (urgent alii) de Trajano ab Inferis liberato, tota ab unius dicto penderet, illius nempè, qui de hujusmodi liberatione visionem habuit, seu apparitionem: nullam ergo fidem meretur; sicut & dicenti se animam damnatam ab Inferno liberasse, ac de hujusmodi liberatione ab Angelo fuisse monitum, nulla esset præstanda fides; uti nec illi præstanda esset qui diceret, se Beatum aliquem revocasse ad vitam, qui tandem decesserit damnatus: cum hujusmodi apparitiones, potiùs illusiones sint, ac deceptiones, quàm certa veritatis aperitio.

Sed Oppositores sua torquet instantia, si aliqua esset traditio de Trajano ab Inferis liberato, tantam meretur fidem, quantam ille meretur, a cujus dicto pendet: At non ab alio pendere potest, quam ab ipso S. Gregorio, cui talis facta est apparitio: tantam ergo meretur fidem hujusmodi traditio, quantam S. Gregorius ipse meretur: at Magno Pontifici Gregorio dicenti, se animam damnatam ab Inferis liberasse, ac de hujusmodi liberatione ab Angelo fuisse monitum, fidem non esse præstandam, quis dicere audebit? quis tantum Pontificem sanctitate, prudentia, ac doctrina celebrem, illusum diceret, atque deceptum? Nonnè quod contigit S. Martino Turonensi, qui plures Idololatras è mortuis excitavit (ut in ejus vita testantur S. Paulinus Episcopus Nolanus, & Sulpicius Severus) aliisque pluribus Sanctis, Sancto Pontifici Gregorio contingere potuit? *eadem est ratio de Trajano* (ait Angelicus Doctor), *ac de illis, qui post unum diem suscitati sunt*: & ex ipso S. Gregorio *lib. 4. Dialogor. cap. 44. eadem est causa, ut non orent Sancti homines pro infidelibus, impiisque defunctis, quæ est, ut non oretur pro diabolo, & Angelis ejus*. Non sic de æterna Sanctorum gloria dicendum; cum ad illam per absolutum, ac finale Dei Judicium, sint omnes destinati; nec ulla sit exceptio in oppositum.

Plinius Junior (doctissimus Recentior in suis Animadversionibus criticis opponit) in celeberrima illa sua panegyrica oratione, quam cum esset Consul ad laudem Trajani, coram ipso recitavit, nullum omisit factum, quod ad Trajani gloriam conducere potuisset: sed de allato mansuetudinis exemplo nec verbum facit: unde hujusmodi Trajani factum cum vidua fabulosum esse videtur.

At si celeberrimo Trajani facto, Plinii silentium obstaret, actum jam esset de insignioribus Trajani victoriis, ac triumphis: siquidem ipse de Dacis, ac Scythis duplici insigni victoria triumphavit, victo Rege Decebalo, Iberos, Sauromatas, Osroenos, Arabes, Bosphoranos, Colchos in fidem ipse accepit; Seleuciam, Ctesiphontem, Babiloniam, aliasque subjecit Urbes; Daciam, Armeniam, Assiriam, Mesopotamiam, ipse Romani Imperii Provincias fecit: sunt ne fabulæ certissima hæc apud Historicos Trajani facta; cum de illis nec verbum Plinius habeat in sua pro Trajano panegyrica oratione?

Siluit hæc omnia Plinius, uti & celebre factum de Trajani mansuetudine,

dine, qua nempè cum vidua usus erat, pro mortuo filio suo contrà Interfectorem justitiam petente; & quidem non laudatoris defectu siluit, sed vaticinii; cum Trajani gloriosa gesta narraret, non facienda prædiceret; Orator esset, non Propheta Plinius: siluit hæc omnia Orator; cum his omnibus sapientissimi laudatoris præcesserit oratio. Dixit hanc Plinius panegyricam orationem, cum esset ipse Consul; testatur ipse *lib.* 3. *epist.* 18. *officium Consulatus injunxit mihi, ut Reipublicæ nomine Principi gratias agerem*: cum tertiò Consul esset Trajanus, eodem Plinio teste in sua oratione *cap.*61. *Quid? quod duos paritèr tertio Consulatu collegas tui sanctitate decorasti?* quando & collegam habuit Frontinum, seu Frontonem; uti videre est in Fastis Consularibus; quæ cum anno Christi centesimo concurrunt: hoc ergo anno suam dixit Plinius orationem; ac optimè ostendunt Laurentius Patarol, Pagius, Calmet.

Quæ verò allata sunt insignia Trajani facta, certum est posterioribus annis contigisse; aliàs & certissimè illorum Plinius in sua oratione meminisset. In prima Daciani belli expeditione celebre factum Trajanæ mansuetudinis cum vidua justitiam petente contrà filii occisorem evenit; nullam de hoc facto facere debuit in sua oratione Plinius mentionem; uti & Daciani belli, ejusque expeditionis meminisse non potuit; siquidèm ante quartum Trajani Consulatum, seu Christi annum centesimum primum, expeditio hæc bellica facta non erat.

Nec iterùm opponas, Plinius hæc habet in Panegyrico Trajani *cap.* 88. *Justis ne de causis Senatus, Populusque Romanus Optimi tibi cognomen adjecit?* Habuit verò Trajanus hoc à Senatu cognomen, postquam de Parthis, atque Armenis triumphaverat, teste Xyphilino ex Dione *lib.* 68. certum est autem longè post Dacios devictos, Parthos, atque Armenos fuisse debellatos; siquidem Dacium bellum initium habuit circa annum Christi 103.; Parthum verò, atque Armenum bellum non antè incepit 112.; ut Adnotator Baronii adhunc annum ostendit. Habuit ergò Panegyricam hanc Plinius orationem post annum 112. adeoque, & longè post bellum Dacianum: sicque in suo robore manet objectum de silentio Plinii relatè ad celebre factum de mansuetudine Trajani.

Cum nullius sit difficultatis objectum; Trajanum debellatis jam Parthis, atque Armenis *Optimum* fuisse à Senatu cognominatum, libentèr admitto: at nego novam tunc habuisse denominationem; vel Plinianam orationem illis fuisse victoriis posteriorem; non enim adhuc de Parthis, atque Armenis victoriam Trajanus habuerat: siquidem hæc sunt verba Xyphilini; *jam verò multa decreta sunt à Senatu; sed in primis Optimus cognominatus est* : dicit fuisse tunc cognominatum *Optimum*; secus autem quod primo tunc fuerit cognominatus *Optimus*: quot enim hodie nomina dantur, vel cognomina, quæ nova non sunt, sed antiquitùs data, aliàs neminem suo nomine, vel cognomine vocare possemus: Parthis, atque Armenis debellatis *in primis*, idest antè omnia, quæ tunc erant à Senatu decernenda, Trajanus denominatus est *Optimus*, non quidem denominatione illi nova, cum à duodecim jam annis ea potiretur, sed quia sic erat suo nomine vocandus, & quidem summè sibi grato nomine, teste Xyphilino ibidem; *cognomine Optimi*

mi multò magis gloriari videbatur: non ergo post Dacianum bellum oratio pro Trajano fuit à Plinio dicta; neque objectum Plinii silentium de celebri Trajani facto in suo robore manet: cum Panegyrica illa oratio habita fuerit à Plinio anno Christi 100., & cum tertiò Consul esset Trajanus, ipso testante Plinio, ut visum est; adeoque & antè initum Dacianum bellum, & antequam egregium Trajani factum evenisset.

Egregium quod dicitur Trajani factum videtur fabulosum, atque antiquis ignotum, (obstrepat Natalis) cum toto quingentorum annorum spatio quod à Trajano ad S. Gregorium Magnum decurrit, de facto tam insigni nullus Scriptorum meminit: item assignari non potest, unde habuit S. Gregorius hoc Trajani factum; ex quo pietate motus, pro illo dicitur orasse.

At nullum esse argumentum ex Scriptorum silentio desumptum, sat est omnibus notum: *hæc argumenta futilia esse, quia negantia sunt*, passim Natalis ipse fatetur, præsertim *Historia Ecclesiastica sæculo 1. dissert. 12. 21., & 16.*, & quidem si validum hoc esset argumentum, actum jam esset de tota Hebræorum Historia, quam nobis reliquit Josephus, sub titulo *Antiquitatum Judaicarum*, in quibus historiam suæ nationis se scribere dicit, & quinque mille annorum, quæ in Sacra Scriptura continentur; cum in celeberrima hac historia, egregioque antiquitatis monumento, innumera adducantur facta, nullius Scriptoris auctoritate firmata: de innumeris actum esset historiis veteris Testamenti, passim solius Josephi auctoritate nixis, ut Orosii, Saliani, Tornielli, Spondani, Schottani, Talon, Andily, & ipsiusmet Natalis, quas tamen Eruditi magno plausu receperunt: de vitis Prophetarum S. Epiphanii; de ortu, vel interitu Patrum S. Isidori Hispalensis, actum esset, si validum hoc esset Adversariorum argumentum.

Dicendum itaque, factum de Trajani mansuetudine antiquis omnibus fuisse notum; illudque S. Gregorii tempore nedum antiqui codices, & majorum traditio, sed antiquissimi etiam lapides, ac ædificia Trajano ipsi coæva, testabantur; in quibus egregia Imperatoris facta nobilitèr erant incisa, & quæ Trajani Forum speciosissimè ornabant: de his testatur ædificiis sæculo 3. Dio Cassius *lib.* 68. dicens de Trajano, *in Foro suo columnam maximam collocavit, partim sepeliendi sui causa, partim ut opus, quod ipse circà Forum fecerat, Posteris ostenderet*. Et sæculo 4. Aurelius Victor in Trajano, dicens: *adhuc Roma à Domitiano cœpta, Fora, atque alia multa magnificè coluit, ornavitque*; & Ammianus in Constantino Augusto, dicit; *verum cum ad Trajani Forum venisset, singularem sub omni Cœlo structuram, ut opinamur, numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus, per Giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles.* Nec refert, quod tempore Gregorii Roma jam fuerit pluries devastata, ac pretiosis omnibus spoliata. Cum hoc non obstante etiam plura nunc extent illius ævi monumenta, ut videre est. tum in *Columna Trajana*, tum in aliis, quæ passim terram effodiendo inveniuntur, & S. Gregorii tempore extitisse testatur Paulus Diaconus *cit. lib. 2. cap.* 44., dicens: *legitur penes easdem Anglorum Ecclesias, quod Gregorius per Forum Trajani, quod ipse quondam pulcherrimis ædificiis illustrarat, procedens, judicii ejus, quo viduam*

conso-

consolatus fuerat recordatus, atque admiratus sit &c.; idemque testatur Anonymus Gregorio coævus, apud Bollandum *num.* 25. *Idem verò perfectissimus, & acceptabilis Deo Sacerdos, cum quodam die per Forum Trajani, quod opere mirifico constat esse constructum, procederet, & insignia misericordiæ ejus conspiceret, inter cætera mirabile illud comperit.*

Constat ergo unde S. Gregorius habuerit celebre Trajani factum. At non constare omittamus; quid inde? nobis nota sunt documenta omnia, quæ Sanctissimus Gregorius præ manibus habuit? Suntne hodie singula ea monumenta, quæ sexto Ecclesiæ sæculo extabant? Nullus profectò sanæ mentis hoc affirmare audebit: Sanctissimo Pontifici notum certè fuit Trajani factum, *judicii ejus; quo viduam consolatus fuerat recordatus*, scribit Paulus Diaconus, eoque teste, Anglorum Ecclesiæ notarunt; *& cum insignia misericordiæ ejus conspiceret*, ait Anonymus Gregorio coævus; *Deo pro anima Trajani intensissimas fudit preces*, ut universæ tùm Orientis, tùm Occidentis testantur Ecclesiæ, ait S. Joannes Damascenus, *quodque istud verum sit, Oriens totus, atque Occidens testatur*. Unde verò, & quo medio notum hoc fuerit D. Gregorio, est ineptè quæsitum; sicque nostrum non est hæc dare documenta.

Pro utraque disceptantium parte rationes non levitèr expendi: at quæ secundæ favent opinioni, cum graviora sint documenta; quod de Trajano fertur Imperatore Infidele S.Gregorii precibus ab Inferni cruciatibus liberato, veram esse historiam probabilius puto; sicque secundùm severioris criticæ regulas sentiendum.

APPENDIX XLV.

INTER NOVAS *Post decreta Rituum.*

De Vitandis Sinensium Ritibus.

CONstitutionem Clementis XI. *ex illa die* de Sinensium Ritibus vitandis confirmat, innovat, ampliatque recentissima Sua Constitutione Summus Pontifex Benedictus XIV. data hoc anno 1742. quinto idus Julii; sicque habet.,, ex quo singulari Dei providentia factum est, ut Orientalium, & Occidentalium Indiarum Regiones Europæ innotescerent, Apostolica Sancta „ Sedes, quæ ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Evangelicæ veritatis lumen ubique „ diffundere, & illud ab omni erroris umbra servare maximo studio curavit, „ in his quoque novissimis temporibus Evangelicos Operarios in antedictas Regiones sedulò misit; ut Idololatria ibi latè dominante funditus eradicata Christianæ Fidei semen opportunè spargerent, atque horrentes illos & incultos „ campos in fertiles florentesque vineas uberrimos æternæ vitæ fructus daturas „ commutarent. Ex Regionibus autem illis, quas Sancta Sedes præ cæteris „ ante oculos habuit, fuit profectò amplissimum Sinarum Imperium: in quo „ quidem negari non potest, quin Christiana Fides processus ingentes fecerit, „ longè

„ longè etiam majores factura, nisi coorta inter Operarios a Sancta Sede „ illuc missos dissidia cursum intercidissent.

„ Occasionem dissidiis ejusmodi dederunt Ceremoniæ quædam, & Ritus, „ quibus Sinenses ad Confucium Philosophum, & Majores suos honoribus pro- „ sequendos uti consueverunt: cum nonnulli ex Missionariis contenderent, „ eas esse Ceremonias, & Ritus merè civiles, adeòque concedendos iis, qui „ relicto Idolorum cultu Christianam Religionem amplectebantur; contra ve- „ rò alii eos, utpote superstitionem olentes, sine gravi Religionis injuria per- „ mitti nullo modo posse assererent. Quæ sanè controversia multis annis A- „ postolicæ Sedis curam & sollicitudinem ad se traxit; cum id maximè caveat, „ ne zizania in agro Dominico radices agant, aut, si fortè egerint, eæ, quam „ cito fieri potest, evellantur.

„ Primò itaque ad Sanctæ Sedis Tribunal Causam hanc detulerunt ii, qui „ Ceremonias illas, & Ritus Sinicos superstitione imbutos suspicabantur. Su- „ per illis dubia nonnulla proposita fuerunt Congregationi de Propaganda Fide, „ quæ anno 1645. comprobavit responsa ac decisiones Theologorum, qui Ce- „ remonias & Ritus eosdem superstitione revera infectos judicarunt. Proinde „ Innocentius Papa X. ad præfatæ Congregationis preces, omnibus & singulis „ Missionariis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, sibi, ac Sanctæ „ Sedi reservatæ, mandavit, ut responsa ac decisiones prædictas omnino ob- „ servarent, easque ad praxim deducerent, donec sibi, & Apostolicæ Sedi a- „ liter visum non esset.

„ Verùm paulò post ab aliis ejusdem Missionis Operariis alia dubia de „ iisdem Ritibus & Ceremoniis ipsimet Congregationi de Propaganda Fide fue- „ runt exhibita, ex quibus Ceremoniæ ipsæ, Ritusque nullam in se supersti- „ tionem habere videbantur. Negotium itaque hujusmodi ab Alexandro Pa- „ pa VII. Sac. Inquisitionis Congregationi commissum fuit: quæ, prout varia „ diversaque ratione fuerat sibi de eisdem Ceremoniis expositum, alias quidem „ tamquam merè civiles & politicas esse permittendas, alias verò tolerari pos- „ se judicavit: idemque Alexander Pontifex anno 1656. hanc sententiam pro- „ bavit, & confirmavit.

„ Sed ecce tertiò ad Sanctam Sedem hæc eadem controversia. Cum plura „ dubia Sacræ Inquisitionis Congregationi proposita fuissent, illud quoque ab „ ea quæsitum fuit, utrum adhuc vigeret Innocentii Papæ X. præceptum, quo „ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ mandabat observantiam re- „ sponsionum, ac decisionum, quæ a Congregatione de Propaganda anno 1645. „ ut supra dictum est, emanaverant. Præterea, an, stantibus recens exposi- „ tis dubiis, earum praxis retinenda foret: cum præsertim obstare videretur „ Decretum Sac. Inquisitionis, quod ab ea emanavit anno 1656. super quæsitis „ nonnullis diversa ratione, aliisque circumstantiis propositis ab Operariis A- „ postolicis in Sinarum Regno commorantibus. Respondit ad hæc Sac. Inqui- „ sitionis Congregatio anno 1669. præfatum Congregationis de Propaganda Fi- „ de Decretum adhuc vigere habita ratione rerum, quæ fuerunt in dubiis ex- „ positæ; neque illud fuisse circumscriptum a Decreto Sacræ Inquisitionis, „ quod anno 1656. emanavit; immo esse omnino observandum juxta quæsita, „ circumstantias, & omnia ea, quæ in antedictis dubiis continentur. Decla-

ravit

ravit pariter eodem modo esse observandum prædictum Sacræ Congregationis Decretum anni 1656. juxta quæsita, circumstantias, & reliqua in ipsis expressa. Hoc autem Decretum Clemens Papa IX. comprobavit.

Cum autem omnia præfata Decreta pro varia rerum expositarum ratione fuerint facta, ac promulgata, tantum abfuit, ut Rituum Sinensium controversia finem obtineret, ut magis illa vires, & incrementum acquireret. Nam scissis Evangelicis Operariis in partes, adducta res fuit in acriorem animorum, ac sententiarum contentionem. Atque hinc, non sine gravi scandalo, magnoque Fidei damno, consecuta est prædicatio non uniformis, & non eadem ubique Christianorum illorum disciplina & institutio. De his autem absurdis certior factus Innocentius Papa XII. Prædecessor noster, id muneris sui omnino esse putavit, ut perniciosis adeò dissidiis finis daretur; proinde exactam maximèque accuratam totius hujus controversiæ discussionem Sacræ Inquisitionis Congregationi commisit. Cumque nihil intentatum reliquisset, quo sinceram facti notitiam obtineret, firmata quoque fuerunt de illius mandato summa cum diligentia Quæsita, quæ per eandem Sacram Congregationem resolverentur.

Quæsitorum illorum examen Innocentii Papæ XII. mors intercepit. Clemens autem XI., qui successit, Prædecessoris sui zelo plenus, coram se quæsitorum eorumdem examen fieri voluit. Quamobrem post diuturnam, maturam, & accuratissimam rei discussionem, post auditas ex utraque parte rationes, quibus liberè producendis unicuique locus amplissimus datus fuit, idem Clemens Papa XI. anno 1704. confirmavit, & Apostolica authoritate comprobavit præmemoratæ Sacræ Congregationis responsiones ad omnia & singula quæsita proposita, quibus Ritus Sinenses, utpote superstitione imbuti, prohibebantur; mandavitque præfatas responsiones ad Carolum Thomam de Tournon Antiochiæ Patriarcham, Commissarium, & in Sinarum Regno Visitatorem Apostolicum transmitti; ut nimirum exactam earumdem observantiam omnibus & singulis Missionariis, pœnis quoque Canonicis in refractarios indictis, præciperet.

Promulgavit quidem Patriarcha Antiochenus decisionem Apostolicam, addito Decreto, quo ab universis ejus observantiam exigebat. Cum autem illam tentassent eludere, variisque inanibus rationibus effugere ii, qui Sinenses Ritus tamquam politicos, ac merè civiles propugnaverant, prædictus Pontifex Clemens XI. Decreto, quod per Sacræ Inquisitionis Congregationem emanavit anno 1710. præcepit omnimodam, & inviolabilem earumdem responsionum abs se Apostolica authoritate confirmatarum observantiam, & alia quæ Decreto ipso continentur, quod est tenoris sequentis:

DECRETUM

Super omnimoda, ac inviolabili observatione Responsorum aliàs in Causa Rituum, seu Ceremoniarum Sinensium a Sacra Congregatione datorum, & a Sanctissimo approbatorum cum aliis Ordinationibus.

Feria v. die xxv. Septembris MDCCX.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram Sanctissimo Domino Nostro D. Cle-

Clemente Divina Providentia Papa XI., ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Idem Sanctissimus Dominus Noster in Causa Rituum, seu Ceremoniarum Sinensium, auditis tam in Congregationibus anno præterito non semel, quam in aliis, mense & anno præsentibus pluries coram Sanctitate Sua habitis, præfatorum Eminentissimorum & Reverendissimorum DD. Cardinalium, qui rem maturè, ac diligentissimè discusserunt, sententiis, decrevit, & declaravit, responsa aliàs in Causa hujusmodi ab eadem Congregatione data, & a Sanctitate Sua die 20. Novembris 1704. confirmata & approbata, necnon Mandatum, seu Decretum ab Eminentissimo & Reverendissimo Domino Domino Cardinali de Tournon, tunc Patriarcha Antiocheno, Commissario, & Visitatore Apostolico Generali in Imperio Sinarum die 25. Januarii 1707. hac de re editum, ab omnibus & singulis, ad quos spectat, inconcussè, & inviolabiliter, sub censuris & pœnis in Mandato, seu Decreto hujusmodi expressis, observanda esse. quovis contrafaciendi quæsito colore, seu prætextu penitus sublato, ac potissimum non obstante quacumque appellatione a quibusvis Personis sive Sæcularibus, sive Regularibus, etiam specifica & individua mentione, & expressione dignis, ac quavis Ecclesiastica dignitate fulgentibus, ad Sedem Apostolicam interposita, quam propterea Sanctitas Sua rejiciendam esse decrevit, ac re ipsa rejecit. Porro cum idem D. Cardinalis de Tournon in suo Mandato, seu Decreto supradicto Apostolicæ decisioni die 20. Novembris 1704. latæ se expressè inhærere professus fuerit, Sanctitas Sua ulterius declaravit, ipsum Mandatum, seu Decretum unà cum censuris in eo contentis ad normam eorumdem responsorum accipiendum esse, itaut nihil per illud responsis præfatis additum, seu detractum fuisse censendum sit, ac omnia, quæ in eis insunt, etiam in Mandato, seu Decreto prædicto inesse intelligantur. Cæterum Sanctitas Sua, tametsi non sine ingenti animi sui mœrore acceperit, quod humani generis hostis multiplicia in die zizania in latissimis illis Regionibus superseminare non cessat; non tamen propterea in eis Catholicæ Religionis propagandæ saluberrimum ac sanctissimum opus ullatenus deserere volens, sed illud majori, qua potest, animi contentione, ac studio, iisque potissimum dissidiis, quibus inibi Christianæ Fidei seges veluti spinis suffocatur, prorsus submotis, ardentius, semper, & enixius promovere cupiens, congruam super præmissis, aliisque ad ea pertinentibus Instructionem confici, illamque dicto D. Cardinali de Tournon, quatenus adhuc in illis partibus commoretur, sin minus, illi qui ejus loco deputatus fuerit, necnon Episcopis, & Vicariis Apostolicis earumdem partium transmitti mandavit, qua non minus debitæ Apostolicorum Decretorum executioni, quam Missionariorum concordiæ, Evangelicæ veritatis prædicationi, atque animarum saluti opportunè consulatur. Demum, ut nimiæ illi de his rebus scribendi licentiæ, quæ non sine Fidelium scandalo inter Partes diuturna contentione exasperatas invaluit, modus imponatur, Sanctitas Sua districtè præcepit omnibus & singulis cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti & Societatis, etiam de necessitate exprimendæ, Regularibus, aliisque

que

que quibuscumque sæcularibus Personis tam Ecclesiasticis, quam Laicis, cujuscumque tandem status, gradus, conditionis, & dignitatis existant, ut in posterum non audeant sub quovis quæsito colore, vel prætextu imprimere, vel quoquo modo in lucem edere Libros, Libellos, Relationes, Theses, Folia, seu Scripta quæcumque, in quibus ex professo, vel incidenter de Ritibus Sinicis hujusmodi, vel de controversiis desuper, seu illorum occasione exortis quomodolibet tractetur, sine expressa & speciali licentia a Sanctitate Sua, seu pro tempore existente Romano Pontifice in Congregatione supradicta Sanctæ & Universalis Inquisitionis obtinenda. Ut autem ejusmodi prohibitio inviolabiliter observetur, eadem Sanctitas Sua voluit, & declaravit, contravenientes quoscumque excommunicationis latæ sententiæ; Regulares verò etiam privationis vocis activæ & passivæ pœnas ipso facto absque alia declaratione incurrere, & nihilominus aliis etiam pœnis Sanctitatis Suæ, & Successorum suorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis subjacere. Libros porro, Libellos, Relationes, Theses, Folia, ac Scripta quæcumque, quæ in futurum contra præsentis prohibitionis tenorem edi contigerit (citra ullam aliorum hactenus editorum approbationem, super quibus opportunè providebitur) pro expressè prohibitis haberi voluit, absque alia declaratione, sub pœnis & censuris in Regulis Indicis Librorum prohibitorum contentis. Impressores verò, præter Scriptorum sic impressorum amissionem, pecuniariis, aliisque corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem, teneri mandavit. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Joseph Bartolus Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis Notarius.

At verò nec Decretum hujusmodi ad difficiles animos subjiciendos valuit. Itaque Clemens idem Papa XI. quò illos tandem aliquando frænaret, Constitutionem anno 1715. evulgavit, qua solemniter iterum confirmavit antedictas Sacræ Inquisitionis responsiones, easque exactè & adamussim observari mandavit, præclusis omnibus iis effugiis, quibus perfectam earum observantiam contumaces homines aliquo pacto evadere potuissent; & est tenoris, qui sequitur: »

CLEMENTIS PAPÆ XI.

Præceptum super omnimoda, absoluta, integra, & inviolabili observatione eorum, quæ aliàs a Sanctitate Sua in Causa Rituum, seu Ceremoniarum Sinensium decreta fuerunt: cum rejectione quarumcumque rationum, seu excusationum ad ejusmodi Decretorum executionem declinandam allatarum, ac præscriptione Formulæ Juramenti per Missionarios illarum partium præsentes & futuros hac in re præstandi.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Ex illa die, qua, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, Catholicæ Ecclesiæ gubernacula, hoc est, munus sua amplitudine gravissimum, ac temporum iniquitate molestissimum, Deo sic disponente, suscepimus, nihil

Nobis manum clavo admoventibus antiquius fuit, quam acerrimas contententiones jampridem in Imperio Sinarum inter Apostolicos illarum partium Missionarios exortas, semperque in dies magis invalescentes tam circa quasdam voces Sinicas ad sanctum & ineffabile Dei nomen exprimendum inibi usurpatas, quam circa nonnullos earum gentium Ritus, veluti superstitiosos a quibusdam ex Missionariis prædictis reprobatos; ab aliis verò, utpote eos civiles tantum asserentibus, permissos, Apostolici Judicii censura opportunè dirimere, ut, sublatis dissidiis, Christianæ Religionis, Catholicæque Fidei propagationem turbantibus, omnes tandem id ipsum dicerent in eodem sensu, & in eadem sententia, unoque ore glorificaretur Deus ab iis, qui sanctificati sunt in Christo Jesu.

Hoc consilio responsa illa, quæ ad varias quæstiones super ejusmodi rebus excitatas, prævio diuturno examine, dudum, videlicet tempore fel. record. Innocentii Papæ XII. Prædecessoris nostri inchoato, ac deinde jussu nostro per plures annos continuato, auditisque utriusque Partis rationibus, nec non complurium Theologorum, & Qualificatorum sententiis a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium in tota Republica Christiana Generalium Inquisitorum adversus hæreticam pravitatem authoritate Apostolica deputatorum data fuerunt, Nos die 20. Novembris 1704. eadem authoritate confirmavimus, & approbavimus.

Ea autem, quæ in responsis hujusmodi decreta fuerunt, sunt quæ sequuntur: Cum Deus Optimus Maximus congruè apud Sinas vocabulis Europæis „ exprimi nequeat, ad eumdem verum Deum significandum, vocabulum *Tien* „ *Chù*, hoc est, Cœli Dominus, quod a Sinensibus Missionariis, & Fidelibus „ longo ac probato usu receptum esse dignoscitur, admittendum esse: nomina „ verò *Tien* Cœlum, & *Xang Tì* Supremus Imperator, penitus rejicienda.

„ Idcirco Tabellas cum inscriptione Sinica *King Tien*, Cœlum colito, in „ Ecclesiis Christianorum appendi, seu jam appensas in posterum inibi retineri „ permittendum non esse.

„ Ad hæc nullatenus, nullaque de causa permittendum esse Christifideli„ bus, quod præsint, ministrent, aut intersint solemnibus Sacrificiis, seu „ Oblationibus, quæ a Sinensibus in utroque æquinoctio cujuscumque anni „ Confucio, & Progenitoribus defunctis fieri solent, tamquam superstitione „ imbutis. Similiter nec esse permittendum, quod in Ædibus Confucii, quæ „ Sinico nomine *Miao* appellantur, iidem Christifideles exerceant, ac pera„ gant Ceremonias, Ritus, & Oblationes, quæ in honorem ejusdem Confucii „ fiunt tum singulis mensibus in Novilunio & Plenilunio a Mandarinis, seu „ primariis Magistratibus, aliisque Officialibus, & Literatis; tum ab eis„ dem Mandarinis, seu Gubernatoribus, ac Magistratibus, antequam digni„ tatem adeant, seu saltem post ejus possessionem adeptam; tum denique a „ Literatis, qui postquam ad gradus sunt admissi, e vestigio ad Templum, „ seu Ædem Confucii se conferunt.

„ Præterea non esse permittendum Christianis in Templis, seu Ædibus „ Progenitoribus dicatis Oblationes minus solemnes eisdem facere, nec in illis „ ministrare, aut quomodolibet inservire, vel alios Ritus, & Ceremonias „ peragere.

Item

Item nec eſſe permittendum præfatis Chriſtianis Oblationes, Ritus, & Ceremonias hujuſmodi coram Progenitorum Tabellis in privatis domibus, ſive in eorumdem Progenitorum Sepulchris, ſive antequam defuncti ſepulturæ tradantur, in eorum honorem fieri conſuetas, unà cum Gentilibus, vel ſeorſim ab illis peragere, eiſque miniſtrare, aut intereſſe; immo prædicta omnia, utpote quæ, perpenſis hinc inde deductis, necnon diligenter, ac maturè diſcuſsis omnibus, ita peragi comperta ſunt, ut a ſuperſtitione ſeparari nequeant, Chriſtianæ Legis cultoribus ne quidem permittenda eſſe, præmiſſa publica, vel ſecreta proteſtatione, ſe, non religioſo, ſed civili, ac politico tantùm cultu erga defunctos illa præſtare, nec ab eis quidquam petere, aut ſperare.

Non tamen per hæc cenſendam eſſe damnatam præſentiam illam, ſeu aſsiſtentiam merè materialem, quam cum Gentilibus ſuperſtitioſa peragentibus, citra ullam ſive expreſſam, ſive tacitam geſtorum approbationem, ac quovis miniſterio penitus ſecluſo, eiſdem ſuperſtitioſis actibus quandoque præſtari contingat a Chriſtianis, cum aliter odia & inimicitiæ vitari non poſſunt: facta tamen prius, ſi commodè fieri poterit, Fidei proteſtatione, ac ceſſante periculo ſubverſionis.

Demum permittendum non eſſe Chriſtifidelibus Tabellas defunctorum Progenitorum in ſuis privatis domibus retinere, juxta illarum partium morem, hoc eſt, cum inſcriptione Sinica, qua Thronus, ſeu Sedes Spiritus, vel Animæ N. ſignificetur, immo nec cum alia, qua Sedes, ſeu Thronus, adeoque idem, ac priori, licet magis contracta inſcriptione, deſignari videatur. Quo verò ad Tabellas ſolo defuncti nomine inſcriptas, tolerari poſſe illarum uſum, dummodo in eis conficiendis omittantur omnia, quæ ſuperſtitionem redolent, & ſecluſo ſcandalo, hoc eſt, dummodo qui Chriſtiani non ſunt, arbitrari non poſsint, Tabellas hujuſmodi a Chriſtianis retineri ea mente, qua ipſi illas retinent, necnon adjecta inſuper declaratione ad latus ipſarum Tabellarum apponenda, qua, & quæ ſit Chriſtianorum de defunctis fides, & qualis Filiorum, ac Nepotum in Progenitores pietas eſſe debeat, enuntietur.

Per præmiſſa nihilominus non vetari, quominus erga defunctos peragi poſsint alia, ſi quæ ſint, ab iis gentibus peragi conſueta, quæ verè ſuperſtitioſa non ſint, nec ſuperſtitionis ſpeciem præſeferant, ſed intra limites civilium & politicorum Rituum contineantur. Porro quænam hæc ſint, & quibus adhibitis cautelis tolerari valeant, tum pro tempore exiſtentis Commiſſarii & Viſitatoris Generalis Apoſtolici, ſeu ejus vices exercentis in Imperio Sinarum, tum Epiſcoporum, & Vicariorum Apoſtolicorum illarum partium judicio relinquendum eſſe: qui tamen interea omni, quo poterunt, ſtudio, ac diligentia curare debebunt, ut Gentium Ceremoniis penitus ſublatis, illi ſenſim a Chriſtianis, & pro Chriſtianis hac in re uſu recipiantur Ritus, quos Catholica Eccleſia pro defunctis piè præſcripſit.

Poſt hæc verò labente ferè ſexennio, nempe die 25. Septembris 1710. auditis iterum dictorum Cardinalium, qui rem maturè, ac diligentiſſimè diſcuſſerunt, ſuffragiis, eadem reſponſa, necnon Mandatum, ſeu Decretum, quod illis expreſsè inhærendo, a piæ recordationis Carolo Thoma, dum vixit, ejuſ-

ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali de Tournon nuncupato, tunc Patriarcha Antiocheno, Commissario, & Visitatore Apostolico Generali in præfato Imperio Sinarum, die 25. Januarii 1707. editum fuit, ab omnibus & singulis, ad quos spectabat, inconcussè & inviolabiliter sub censuris & pœnis in Mandato, seu Decreto hujusmodi expressis observanda esse decrevimus & declaravimus, quovis contrafaciendi quæsito colore, seu prætextu penitus sublato, ac potissimum non obstante quacumque appellatione a quibusvis Personis ad Nos, & Sedem Apostolicam interposita, quam propterea prorsus rejiciendam esse similiter decrevimus, ac re ipsa rejecimus, prout in Decreto hac de re edito fusius continetur.

Hæc omnia plenè & abundè sufficere debuissent, ut ea, quæ inimicus homo superseminaverat, zizania ex agro illo radicitus evellerentur, Fidelesque omnes nostris, & hujus Sanctæ Sedis mandatis ea, qua par erat, humilitate & obedientia obsequerentur: præsertim cum in calce responsorum prædictorum a Nobis, sicut præmittitur, confirmatorum & approbatorum, Causam jam finitam esse apertis, & perspicuis verbis pronunciatum fuerit.

Verum, cum, sicuti ex eisdem partibus non sine intimo animi nostri dolore ad nostri pervenerit Apostolatus auditum, tam enixè a Nobis præscripta responsorum hujusmodi executio malè a plerisque, sive vano falsoque obtentu, quod illa a Nobis suspensa fuerint, vel minus legitimè promulgata, sive conditionum, ut perperam asseritur, in eis insitarum, & ante executionem ipsam verificandarum, factorumve, super quibus ipsa emanarunt, non justificatorum ratione, sive ulteriorum a Nobis ea in re edendarum declarationum colore, sive gravium, quæ tam Missionariis, quam Missioni ipsi ex demandata executione obvenire possent, periculorum formidine, sive demum Decreti dudum, nempe die 23. Martii 1656. super ejusmodi Ritibus, seu Ceremoniis Sinicis a præfata Congregatione Cardinalium editi, ac a recol. mem. Alexandro Papa VII. etiam Prædecessore nostro appprobati prætextu, necnon sine gravi Pontificiæ nostræ authoritatis injuria, Christifidelium scandalo, ac salutis animarum detrimento, satis diu, multumque eludatur, aut saltem nimium retardetur.

Hinc est, quod Nos, ex commissæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere, difficultates, tergiversationes, subterfugia, & prætextus hujusmodi penitus & omnino è medio tollere, ac rejicere, necnon Christifidelium quieti, animarumque saluti, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, de eorumdem Cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus & singulis Archiepiscopis, & Episcopis in supradicto Sinarum Imperio, aliisque ei conterminis, sive adjacentibus Regnis, ac Provinciis nunc & pro tempore quandocumque existentibus sub suspensionis ab exercitio Pontificalium, & Interdicti ab ingressu Ecclesiæ, eorum verò Officialibus, ac Vicariis in Spiritualibus Generalibus, aliisque illorum locorum Ordinariis, ac etiam Vicariis Apostolicis, qui Episcopi non sint, eorumve Provicariis, necnon Missionariis tam sæcularibus, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam Jesu, Regularibus, sub excommunicationis latæ sententiæ, a qua nemo a quoquam, preterquam

terquam a Nobis; seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrendis, tenore præsentium præcipimus, ac in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut responsa præinserta omniaque, & singula in eis contenta exactè, integrè, absolutè, inviolabiliter, & inconcussè observent; ac ab eis, quorum cura ad illos spectat, similiter observari, quantum in ipsis est, curent, & faciant: neque illis, sive ullo ex superius expressis, sive alio quovis titulo, causa, occasione, colore, vel prætextu contravenire quoquo modo audeant, vel præsumant.

Præterea motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, harum serie statuimus, & sub eisdem excommunicationis reservatæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis ordinamus, ut omnes & singuli Ecclesiastici tam sæculares, quam prædictorum Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, Regulares, ad Sinas, aliave præfata Regna, & Provincias, sive ab hac Sancta Sede, sive etiam ab eorum Superioribus missi, & quandocumque in posterum mittendi, cujusvis tandem tituli, aut facultatis vigore illic existant, vel in futurum extiterint, missi scilicet, statim ac præsentes Literæ eis innotuerint; mittendi verò, antequam ibidem aliquod Missionarii munus exercere incipiant, Juramentum de fideliter, integrè, ac inviolabiliter observando ejusmodi Præcepto, ac Mandato nostro juxta formulam in præsentium Literarum calce annotandam, in manibus Commissarii & Visitatoris Apostolici in præfato Imperio Sinarum pro tempore existentis, vel alterius ab illo deputati, sive, eo deficiente, in manibus Episcoporum, vel Vicariorum Apostolicorum dictarum partium, in quorum respectivè jurisdictione commorantur, vel commorabuntur, aut aliorum ab eis deputatorum, Regulares verò in manibus insuper Superiorum suæ Religionis, vel ab illis deputatorum in eisdem partibus existentium, præstare omnino debeant, ac teneantur: ita ut ante præstationem Juramenti hujusmodi, & subscriptionem sub eadem formula ab unoquoque, qui juramentum ipsum præstiterint, propria manu faciendam, nullum Missionarii munus continuare, aut exercere, immo nec tamquam deputati ab Episcopis, seu Ordinariis Locorum, aut tamquam simplices suæ Religionis Presbyteri, sive alio quovis titulo, causa, seu privilegio, de quibus expressa, specialis, & specialissima esset facienda mentio, Christifidelium Confessiones audire, concionari, aut Sacramenta quomodolibet administrare ullo modo valeant, nullisque omninò facultatibus, sive sibi speciatim, sive suis respectivè Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu, hujusmodi generaliter a Sede præfata concessis uti possint, sed quoad eos, præter, & ultra superius expressas pœnas, omnes & singulæ facultates prædictæ omninò cessent, nulliusque roboris sint, & esse censeantur.

Omnia autem Juramenta hujusmodi per quoscumque Missionarios tam Sæculares, quam Regulares, in memoratorum sive Commissarii & Visitatoris Apostolici pro tempore existentis, sive Episcoporum, aut Vicariorum Apostolicorum manibus, sicut præmittitur, præstanda, postquam subscriptione munita fuerint, vel saltem authentica illorum exempla per eosdem Com-

missa-

ritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, &, quatenus opus sit, nostra & Cancellaria Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, ac quarumvis Ecclesiarum, & aliis quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu, ac Ecclesiis prædictis, aliisve quibuslibet personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissima mentione dignis a Sede prædicta ex quacumque causa, etiam per viam contractus, & remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam Imperiali, Regali, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Formula autem juramenti, sicut præmittitur, præstandi est, quæ sequitur, videlicet: Ego N. Missionarius ad Sinas, vel ad Regnum N., vel » ad Provinciam N. a Sede Apostolica, vel a Superioribus meis, juxta facul- » tates eis a Sede Apostolica concessas, missus, vel destinatus, Præcepto, ac » Mandato Apostolico super Ritibus, & Ceremoniis Sinensibus in Constitutio- » ne Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Divina Providentia Papæ » XI. hac de re edita, qua præsentis Juramenti formula præscripta est, con- » tento, ac mihi per integram ejusdem Constitutionis lecturam optimè noto, » plenè ac fideliter parebo, illudque exactè, absolutè, ac inviolabiliter ob- » servabo, & absque ulla tergiversatione adimplebo. Sin autem (quod Deus » avertat) quoquo modo contravenerim, toties quoties id evenerit, pœnis per » prædictam Constitutionem impositis me subjectum agnosco & declaro. Ita » tactis Sacrosanctis Evangeliis promitto, voveo, & juro. Sic me Deus ad- » juvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Ego N. manu propria. »

Cæterum volumus, & expressè mandamus, ut eædem præsentes Literæ, seu earum exempla, etiam impressa, notificentur, & intimentur omnibus & singulis memoratorum Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, Superioribus Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, ad hoc ut tam suo, quam prædictorum eis respectivè Subditorum, seu inferiorum nomine, ipsas Literas fideliter exequi & observare respondeant, actumque sponsionis hujusmodi in scriptis reddant; earum verò exempla prædicta pluribus viis, quanto citius fieri poterit, transmittant ad eosdem suos Subditos, seu inferiores in Sinis, aliisque Regnis, & Provinciis supradictis degentes, cum arctissimis præceptis easdem Literas, & in eis contenta quæcumque plenariè, & integrè, ac verè, realitèr, & cum effectu in omnibus & per omnia similitèr exequendi, & observandi. Quia verò difficile foret, Literas hujusmodi originales ubique ostendi, & publicari, volumus pariter, & decernimus, illarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem tam in Judicio, quam extra illud, ubique locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Martii 1715. Pontificatus Nostri Anno Decimo quinto.

F. Oliverius.

„ Per Constitutionem Apostolicam adeo solemnem, qua Clemens Papa „ XI. se huic controversiæ finem dedisse testatur, justum & æquum videbatur, „ eos, qui Sanctæ Sedis authoritatem sese quam maximè revereri profitentur, „ humili & obsequenti animo illius Judicio semet omnino subjicere, nec ulterius quicquam cavillari. Nihilominus inobedientes & captiosi homines „ exactam ejusdem Constitutionis observantiam se effugere posse putarunt, ea „ ratione, quod illa Præcepti titulum præfert, quasi verò non indissolubilis „ Legis, sed Præcepti merè Ecclesiastici vim haberet; tum etiam quod illam „ debilitatam existimarent ex Permissionibus quibusdam, quas super iisdem „ Sinensibus Ritibus publicavit Carolus Ambrosius Mediobarbus Patriarcha „ Alexandrinus, cum Commissarium & Visitatorem Generalem Apostolicum „ in iis Regionibus ageret.

„ Nos igitur animadvertentes, prædictam Constitutionem Christiani „ Cultus puritatem respicere, quem illa ab omni superstitionis labe immunem „ servare contendit, nullo modo ferre possumus, quemquam existere, qui eidem repugnare temerè audeat, aut contemnere, perinde ac ipsa Supremam „ Apostolicæ Sedis decisionem non contineret, & id, quo de agitur, non ad „ Religionem spectaret, sed quid per se indifferens foret, aut quædam variabilis disciplinæ ratio. Proinde authoritate ab Omnipotenti Deo Nobis tradita uti volentes ad illam in suo robore omnino servandam, de authoritatis „ ejusdem plenitudine non modò eam approbamus & confirmamus, sed etiam, „ quantum possumus, omnem vim & firmitatem, ad illam magis, magisque roborandam ac stabiliendam, adjicimus, eamque in se plenam & omnimodam Apostolicæ Constitutionis authoritatem habere dicimus & declaramus.

Per-

Permissiones autem, quarum obtentu aliqui prædictæ Constitutionis robur infringere conantur, originem duxerunt a responsionibus quibusdam, quas duo viri, qui jampridem in Sinarum Regno fuerant, ad quæsita nonnulla dederunt, quæ super ejusdem Constitutionis Apostolicæ executione ac praxi Missionarii quidam proposuerant. Responsiones itaque hujusmodi una cum dubiis illis, nullo tamen Romani Pontificis sive approbantis, sive aliquid de suo addentis indicio, transmissæ fuerunt ad præfatum Patriarcham Alexandrinum, ejus animi instruendi causa, utque illis uteretur, prout circumstantiæ rerum, ac temporis postularent: integro tamen remanente Apostolicæ Sedis Jure eas comprobandi, vel etiam revocandi, si quando conformes, aut repugnantes Constitutionis præfatæ decretis ullo modo compertæ forent.

Vix Sinarum Regnum Patriarcha Alexandrinus ingressus, in iis angustiis se positum intellexit, ut coactus fuerit in publicum emittere, non quidem responsiones, quas præmemorati duo Viri ad proposita quæsita dederant, bene verò Permissiones octo, quæ ab illis fuerant deductæ, atque inde ab eodem Patriarcha in Pastorali sua Epistola insertæ, cujus tenor est, uti sequitur:

Carolus Ambrosius Mediobarbus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Patriarcha Alexandrinus, necnon in Indiis Orientalibus, ac Sinarum Imperio, finitimisque Regnis, & Insulis Commissarius, & Visitator Generalis Apostolicus cum facultate Legati de Latere &c.

Omnibus Episcopis, Vicariis Apostolicis, ac Missionariis, qui in prædictis partibus degunt, salutem in eo, qui est omnium vera salus.

Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus, & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur, & ipsi a Deo. Nil etenim Nobis magis in animo fuit, ex quo in Sinarum Imperium, Deo favente, pervenimus, quam cum iis omnibus, qui in hac Evangelica Vinea laborant; os ad os loqui. Desideravimus enim videre vos, ut aliquid impertiremur vobis gratiæ spiritualis ad confirmandum vos; idest simul consolari in vobis per eam, quæ in invicem est, fidem vestram, atque meam. Verùm, quia non sapientiam hujus sæculi loquuti fuimus, in timore & tremore multo fuimus apud vos, satiusque duximus, ad sedandam tempestatem adversus Evangelicos Operarios ingruentem, Nos in mare projicere, ut vos jactari sinatis. Adjutor noster nunc & erit ille Deus, qui dedit Nobis in mari viam, & in aquis torrentibus semitam. Veritatem dicimus in Christo, non mentimur, testimonium Nobis perhibente conscientia nostra in Spiritu Sancto; quoniam tristitia Nobis magna est, & continuus dolor adhæret cordi nostro, quod præsentes non potuerimus solari vos, ut fructum aliquem haberemus & in vobis, & in cæteris gentibus. At verò quod non licuit per præsentiam agere, saltem per epistolam non impedimur. Primum quidem gratias agimus Deo nostro per Jesum Christum pro omnibus vobis, qui Spiritu Sancto ferventes & fortes Sanctæ Sedis mandatis rationabile exhibetis ministerium vestrum ja-

stantes cogitatum in eum, cui a Domino dictum est: Pasce oves meas: cui tradita sunt claves Domus David: si aperit non est qui claudat, si claudit, non est qui aperiat. Quotquot estis macte animis, vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini, quia merces vestra magna est in Cœlis. Ministerium vestrum implete, attendite vobis, & doctrinæ. Lucernæ estote, non minus lucentes exemplo, ac zelo prædicationis ardentes. Si qui verò adhuc essent hæsitantes & in opere non efficaces, obsecramus vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis Schismata, sitis perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Non amplius invicem judicemus. Unusquisque vestrum pari humilitate, ac obedientia S. Sedis mandatis obsequatur, ut vestra obedientia in omnem locum divulgetur. Non enim opus est, ut aliquem actum faciamus, ut Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ XI. mandata jam promulgata vobis innotescant, vimque habeant, ut absque ulla tergiversatione executioni mandentur. Nihil proindè innovamus: sed relinquimus res, prout sunt; hoc est, nullatenus Constitutionem super Ritibus Sinicis a Sanctissimo Domino Nostro Clemente Papa XII. die 19. Martii 1715. emanatam suspendimus, aut, quæ in ea vetantur, permittimus. Ob aliqua tamen quibusdam Missionariis circà quasdam Ceremonias peragi consuetas suborta dubia, ut quilibet in Vinea Domini strenuè, ac viriliter laborare queat, nonnulla adnotamus, quæ permitti poterunt, quæ & separatim unicuique secundum quæsita dedissemus, nisi compertum Nobis esset, unà cum incertis nuntiis jam disseminata proborum animos, & Christ fideles bonæ voluntatis non parùm perturbasse. Omni igitur, quo poteritis, studio ac diligentia curare debetis, ut gentium Ceremoniis penitus sublatis, illi sensim a Christianis, & pro Christianis usu recipiantur Ritus, quos Catholica Ecclesia piè præscripsit. Primò.
„ Permittitur Christianis Sinensibus in suis privatis domibus uti Tabellis defunctorum inscriptis solo nomine defuncti, apposita ad latus declaratione debita, & omissa quacumque superstitione in earum constructione, nec non secluso omni scandalo. *Secundò*. Permittuntur omnes Ceremoniæ Nationis Sinicæ erga defunctos, quæ non sint aut superstitiosæ, aut suspectæ, sed civiles. *Tertiò*. Permittitur, Confucii Cultus ille, qui civilis est, & etiam ejusdem Tabellæ purgatæ & literis, & superstitiosa inscriptione, & adjuncta declaratione debita, sicuti permittitur ante ejus Tabellam correctam accendi candelas, uri odores, apponi comestibilia &c. *Quartò*. Permittitur pro usu, & expensis funerum offerri candelas, odores, adjuncta in schedula debita declaratione. *Quintò*. Permittuntur reverentiæ genuflexionum, & prostrationum erga Tabellam correctam, aut etiam erga feretrum, aut defunctum. *Sextò*. Permittitur præparari mensas cum dulciariis, fructibus, carne, & cibis usualibus circa, aut coram feretro, ubi sit Tabella correcta, cum debita declaratione, & omissis superstitiosis, pro quadam honestate tantùm, & pietate erga defunctos. *Septimò*. Permittitur coram Tabella correcta reverentia dicta *Koteu* tum in anno novo Sinico, tum in aliis anni temporibus. *Octavò*. Permittitur coram Tabellis reformatis accendi candelas, uri odores cum debitis cautelis, sicuti etiam ante tumulum, ubi pariter collocari possunt cibi, ut supra dictum est, adhibitis cautelis, ut in

„ Su-

Superioribus. *Apostolici ergo viri Ecclesiam adhibentes non habentem maculam, neque rugam, ponant manum suam ad aratrum, nec respiciant retro. Videte fratres vocationem vestram; non enim auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur. Obsecramus itaque vos, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Nè diutius agamus secundùm potestatem, paternè vos commonere voluimus per epistolam. Amabilem illum Patrem familias, qui exiit primo mane conducere Operarios in Vineam suam audite:* Quid hic statis tota die otiosi; Ite & vos in Vineam meam. *Vocem Patris perpendite, & illam Judicis timete. Ipsi vos probate; virtus enim Dei erit vobis in auxilium, ac plenam ministerio Verbi Dei sancti recipietis mercedem, immarcescibilem nimirum a Pastorum Principe gloriæ coronam. Ne quis vos seducat inanibus verbis obedire veritati. Scitote, quod obedientes voci ejus, qui misit vos, rationem non eritis reddituri pro animabus, sed unusquisque vestrum pro se rationem reddet Deo. Quicumque sub diversis prætextibus cessandum sibi putat a ministerio Missionarii, lædit animam suam, & de alienis æterno Judici rationem reddet. Quam dabit homo commutationem pro anima sua, & pro alienis? Deus est vitis vera, vos palmites. Qui non ferent fructus in eum, arescent tamquam palmites; & collecti, & alligati in fasciculos ad comburendum mittentur in caminum ignis inextinguibilis. Respicite Dominum nostrum Jesum Christum secus viam ambulantem, qui in fici arbore nihil invenit; nisi folia tantùm, & ait illi* Nunquam ex te nascantur fructus in sempiternum. *Si aliqui palmites jamdiù conversi in amaritudinem, qui expectabantur, ut tandem facerent uvas, spinas super spinas adjecissent, vah, vah a die iræ, a die furoris, & indignationis Domini! Attendite ad verba, quæ mandat vobis per Servum suum Dominus adhuc misericors. Revertimini ad Deum vestrum, manete in eo, qui manens in vobis purgabit vos, & desideratos cunctis gentibus fructus afferetis. Apostolico satisfecisse nos muneri judicamus; non enim subterfugimus, quominus annuntiaremus omne consilium Dei vobis, ut nullam excusationem habeatis de peccatis vestris. De cætero quotquot eritis obedientes, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete; & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum.*

Cum verò ad promovendam in Neophitis debitam Decretis Apostolicis obedientiam, præsentium nostrarum Literarum notitiam iisdem Neophitis minimè necessariam esse, sed satis esse eos in viam salutis dirigere juxtà Pontificiæ Constitutionis præscripta, compertum sit, ne quis eorum, ad quos præsentes Literæ directæ sunt, cujuscumque Ordinis, aut Instituti, aut Congregationis fuerit, aut Societatis, etiam Jesu, præsentes Literas, aut quæ in eis continentur (exceptis Permissionibus, quæ quidem cautè, & ubi necessitas tantùm, aut utilitas postulaverit, patefacienda erunt) sive directè, sive indirectè per se, vel per alium voce tenus, aut scripto in Linguam Tartaram, aut Sinicam vertat, aut quocumque modo cuilibet, qui Missionarius non sit, nota faciat, sub excommunicationis latæ sententiæ, a qua nonnisi a Nobis, aut à Summo Pontifice (præterquam in articulo mortis constitutus) absolvi possit, & quoad Regulares etiam privationis vocis acti-

activa, & passiva pœnis per Contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrendis tenore præsentium vetamus, & in virtute sanctæ obedientiæ probibemus. Datum Macai in Palatio nostræ Residentiæ die 4. Novembris anno 1721.

„ Cum autem Patriarcha Alexandrinus in præallata Pastorali mentem
„ suam satis prudenter explicuisset, nimirum Pastoralis hujus suæ Epistolæ no-
„ titia opus non esse ad promovendam in Neophitis erga Pontificia Decreta ve-
„ nerationem, & observantiam, cum satis esset, ut juxta Constitutionis Pon-
„ tificiæ mandata in via salutis dirigerentur; præterea cum omnibus, & qui-
„ buscumque interdictum voluisset, sub pœna quoque excommunicationis la-
„ tæ sententiæ, ne quis illam in Sinensem, aut in Tartaricum sermonem ver-
„ teret, aut cuiquam, qui Missionarius non esset, eam palam faceret; de
„ Permissionibus autem cum statuisset, nonnisi cautè, & ubi tantùm utilitas,
„ vel necessitas id postularet, esse evulgandas: profectò omnis, ad quem Pa-
„ storalis illa dirigebatur, ex tali procedendi modo haud obscurè inferre debe-
„ bat, quantis ille animi angustiis obsessus, & quam anceps, ac perplexus in
„ Permissionibus hujusmodi proponendis extitisset; adeò ut œconomia qua-
„ dam usus fuisset ad loci, & temporis circumstantias prorsus necessaria: a
„ qua putandum est eum recessurum fuisse, si libertas sibi data esset rem di-
„ scutiendi cum Episcopis, aliisque doctis Viris, qui nihil aliud, quam Chri-
„ stiani cultus puritatem, & Apostolicæ Constitutionis observantiam ante ocu-
„ los haberent. At Permissiones illæ contrà expressam adeò Patriarchæ ipsius
„ voluntatem evulgatæ; &, quod mirum, Pekini Episcopus per binas suas
„ Pastorales mandavit, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, univer-
„ sis Diœcesis suæ Missionariis, ut observarent, & observari præciperent Con-
„ stitutionem: *Ex illa die*, juxtà Permissiones, quas ipse contendebat, ad
„ ea potissimum referri, quæ in præcitata Constitutione fuerant solemnitèr in-
„ terdicta. Præcepit insuper, ut Christifideles quater singulis annis in diebus
„ omnium celeberrimis distinctè instruerentur cum in iis, quæ Constitutione
„ Apostolica prohibentur, tum in iis, quæ a Patriarchæ Alexandrini Pastora-
„ li permittuntur.

„ Enimverò Clemens Papa XII. Prædecessor noster tam audax Episcopi
„ Pekinensis factum æquo animo ferre haud potens, muneri suo maximè in-
„ teresse judicavit binas illas Epistolas damnare, ac penitus reprobare Aposto-
„ lico Brevi, quod anno 1735. promulgavit: in quo sibi, ac Sanctæ Sedi fa-
„ cultatem reservavit declarandi Sinensibus Christianis, mentem suam, &
„ ejusdem Sanctæ Sedis sententiam in iis, aliisque, quæ ad materiam hujus-
„ modi spectarent. Præfatum autem Breve est tenoris sequentis:

CLEMENTIS PAPÆ XII.

Revocatio, annullatio, & cassatio duarum Epistolarum Pastoralium bon. mem. Francisci Episcopi Pekinen. nuper defuncti, die vj. Julii, & die xxiij. Decembris MDCCXXXIII. circa Ritus Sinenses editarum.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicæ sollicitudinis Nobis divinitus commissæ ratio Nos admonet, ut ea, quæ Christianæ Religioni, Catholicæque Fidei propagationi, ac incrementis quacumque ratione obsistere posse dignoscuntur, quantum Nobis ex alto conceditur, recidere, ac è medio tollere studeamus. Cum itaque, sicut ad Apostolatus nostri notitiam pervenit, occasione binarum Epistolarum, quas Pastorales vocant, bon. mem. Francisci, dum viveret, Episcopi Pekinen. nuper defuncti, die 6. Julii, & 23. Decembris anni 1733. circa Ritus Sinenses editarum, graves in Imperio Sinarum inter Apostolicos illarum partium Missionarios exortæ fuerint dissensiones, quæ uberes fructus, quos Sancta Mater Ecclesia ex assiduo Operariorum in illam Agri Dominici partem missorum labore præstolatur, impedire, aut morari possent; Nos ut pristina inter eos Missionarios pax, & animorum concordia, sublatis quibusvis dissidiis, restituatur de opportuno in præmissis remedio providere volentes, ac Epistolarum prædictarum tenores, & alia quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia; præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & exactè specificatis habentes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, qui jussu nostro Epistolas ipsas sedulò ac diligenter examinarunt consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine binas memorati Francisci Episcopi Pekinen. Epistolas Pastorales præfatas, ac pœnas, & alia quæcumque in eis contenta, cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsan quandocumque secuturis, penitus, & omninò invalida, nulla, & irrita, nulliusque prorsus roboris, & momenti esse, & perpetuò fore, tenore præsentium declaramus: & nihilominus ad majorem cautelam, &, quatenus opus, illa omnia & singula motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus harum serie itidem perpetuò revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuis semper haberi volumus: Nobis insuper, & Apostolicæ Sedi reservantes facultatem Christifidelibus in eodem Regno degentibus aperiendi nostram, & dictæ Sedis mentem post maturam itidem habitam deliberationem super aliis rebus, quæ hujusmodi materiam respiciunt: Decernentes ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, præsertim verò Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis, ProVicariis, & Missionariis Apostolicis tam sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis etiam Jesu, Regularibus

in

in supradicto Sinarum Regno nunc, & pro tempore existentibus, inviolabiliter, & inconcussè observari, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Sedis præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Septembris 1735. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

F. Card. Oliverius.

„ Id verò quod Idem Pontifex Clemens XII. sibi, ac Sanctæ Sedi Christianis Sinensibus declarandum reservavit, erat profectò materia Permissionum, de quibus certior jam factus fuerat, deque maxima inde secuta inter Missionarios dissensione, cum alii contenderent, Constitutionem: *Ex illa die*: omnem vim suam amittere, si Permissiones illæ in praxi consistant; alii verò factis palam ostenderent, Permissionum colore se ad prædictæ Constitutionis observantiam minimè teneri, juxtà illa, quæ in ipsa Constitutione præscribuntur. Itaque præfatus Prædecessor noster, quò Christianæ Religionis puritatem, quæ in iis Regionibus per exactam præmemoratæ Constitutionis observantiam servanda erat, assereret, & controversiis istiusmodi finem aliquando imponeret, examini perquam diligenti totum Permissionum negotium commisit, ita ut a Theologis, tum etiam a Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Sacræ Inquisitioni Præpositis maturè serióque discuteretur. Antequam verò supremam de illis sententiam pronunciaret, ad pleniorem facti notitiam obtinendam, omnes, & singulos, quotquot in Urbe existerent, Sinarum Missionarios, tum etiam complures Juvenes, qui ex iis Regionibus in Europam, educationis, & Christianæ rei addiscendæ causa, venerant, ad examen super his, servato juris ordine, vocari jussit.

„ Nos igitur Prædecessoris nostri vestigiis insistentes, eodemque Religionis zelo, quo ille, incensi, ut tanti momenti opus, quod ipse morte præoccupatus absolvere minimè potuit; aliquando tandem, Deo auxiliante, perficeremus, Permissiones illas, & quidem singulas, coram Nobis summo studio, ac diligentia examinari curavimus; neque laborem nostrum tantùm, sed Cardinalium quoque, & Sacræ Inquisitionis Consultorum doctrinam & consilium exquisivimus, ac tandem satis apertè compertum habemus, antedictas Permissiones nunquam a Sancta Sede probatas, Apostolicæ Clementis Papæ XI. Constitutioni repugnare, atque adversari, utpote quæ partim Ceremonias, Ritusque Sinenses a prædicta Constitutione proscriptos admittant,

ac veluti probatos atque utendos concedant, partim regulis in ipsa traditis ,,
ad vitandum superstionis periculum opponantur. Nolentes itaque, quem- ,,
quam ad Constitutionem ipsam summo Christianæ Religionis damno malitio- ,,
sè evertendam Permissionibus ejusmodi uti, definimus, ac declaramus, præ- ,,
fatas Permissiones ita esse habendas, ac si nunquam extitissent, earumque ,,
praxim tamquam superstitiosam omninò damnamus & execramur. Itaque ,,
præsentis hujus nostræ Constitutionis perpetuò valituræ vi revocamus, re- ,,
scindimus, abrogamus; atque omni vigore & effectu vacuas esse volu- ,,
mus omnes illas, & singulas Permissiones; easque semper uti cassas, ,,
irritas, invalidas, & nullius prorsùs roboris, aut vigoris habendas esse ,,
dicimus ac pronunciamus. ,,

Præterea cùm Clemens Papa XI. in Constitutione: *Ex illa die*; appo- ,,
suerit hæc verba = *Per præmissa nihilominus non vetari, quominus erga de-* ,,
functos peragi possint alia, si quæ sint, quæ verè superstitiosa non sint ,,
&c. Nos dicimus & declaramus ea verba = *Alia si quæ sint* = intelligen- ,,
da esse de usibus, & Ceremoniis diversis ab illis, quas idem Pontifex Apo- ,,
stolica Constitutione jam interdixerat, & quas Nos pariter eadem authorita- ,,
te confligimus, atque interdicimus, ne antedictis Permissionibus, quas omni- ,,
nò damnatas volumus, ullus in posterum locus pateat. ,,

Districtè itaque prohibemus, ne quis Archiepiscopus, aut Episcopus, ,,
aut Vicarius, aut Delegatus Apostolicus, aut Missionarius tàm Sæcularis, ,,
quàm Regularis, cujuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, etiam ,,
Societatis Jesu, aliorumque, de quibus expressa, & individua mentio fieri ,,
debeat, Permissionibus prædictis ullo pacto uti valeat sive publicè, sive pri- ,,
vatim, sive palam, sive clam; neque audeat, vel præsumat Constitutionis ,,
paulò ante citata verba aliter, ac Nos supra declaravimus, alicui explicare ,,
aut interpretari. Quare ex prædictorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardina- ,,
lium consilio, motu quoque proprio, ac certa scientia, maturaque delibe- ,,
ratione, tum etiam de plenitudine Apostolicæ potestatis, Constitutionis ,,
præsentis tenore, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & expresè ,,
mandamus omnibus & singulis Archiepiscopis, & Episcopis in Sinarum Im- ,,
perio, aliisque Regnis, & Provinciis, sive finitimis, sive adjacentibus, ,,
nunc existentibus, aut olim pro tempore futuris, sub pœnis suspensionis a ,,
Pontificalium exercitio, & ab Ecclesiæ ingressu Interdicti; eorum verò Offi- ,,
cialibus, & Vicariis in Spiritualibus Generalibus, aliisque eorumdem Lo- ,,
corum Ordinariis, Vicariis quoque, aut Delegatis Apostolicis, qui Epi- ,,
scopi non sunt, tum etiam eorum Provicariis, & insuper Missionariis uni- ,,
versis tàm Sæcularibus, quàm Regularibus cujuscumque Ordinis, Congre- ,,
gationis, Instituti, etiam Societatis Jesu, sub pœnis privationis quarum- ,,
cumque, quibus gaudent, facultatum, & suspensionis ab exercitio curæ ,,
animarum, tum etiam suspensionis a Divinis ipso facto incurrendæ absque ,,
alia declaratione, demum excommunicationis latæ sententiæ, a qua non ,,
possint nisi a Nobis, & a Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, ,,
præterquam in articulo mortis constituti, addita quoad Regulares etiam vo- ,,
cis activæ, & passivæ privationis pœna, præcipimus, & districtè manda- ,,
mus, ut omnia & singula, quæ in hac nostra Constitutione continentur, ,,

„ exactè , integrè , absolutè , inviolabiliter , atque immobiliter non modò „ ipsi observent, sed etiam omni conatu , ac studio ea ipsa observari curent a „ singulis , & universis , qui quoquo modo ad eorum curam , & regimen spe- „ ctant ; nec colore , causa , occasione , seu Prætextu aliquo huic nostræ Con- „ stitutioni ulla in parte contraire , aut adversari audeant , vel præsumant . „ Præterea quoad Missionarios Regulares cujuscumque Ordinis , Congregatio- „ nis , Instituti , ac Societatis quoque Jesu , siquis eorum (quod Deus avertat) „ exactam , integram , absolutam , inviolabilem , strictamque obedientiam „ denegaverit iis , quæ a Nobis præsentis hujus Constitutionis tenore statuun- „ tur , ac præcipiuntur ; eorum Superioribus tam Provincialibus , quam Ge- „ neralibus in virtute sanctæ obedientiæ expresse mandamus,ut homines hujus- „ modi contumaces , perditos , ac refractarios a Missionibus absque ulla mora „ dimoveant, eosque in Europam statim revocent , ac de illis noticiam Nobis „ exhibeant , ut reos pro gravitate criminis punire valeamus . Quod si præ- „ dicti Superiores Provinciales , aut Generales huic nostro præcepto minùs ob- „ temperaverint , aut in eo desides fuerint , Nos contra ipsos quoque pro- „ cedere non recusabimus , atque inter cætera mittendi aliquem ex ipso- „ rum Ordine in earum Regionum Missiones privilegio , seu facultate eos „ perpetuò privabimus .

„ Postremò , ut hæc nostra Constitutio in suo robore semper integra , ac „ firma maneat , volumus quoque , ut ad Formulam Juramenti a Clemente „ Papa XI. in sua Constitutione præscriptam nonnulla adjiciantur , quæ ma- „ ximè necessaria putavimus . Idcirco omnes , qui præfatæ Constitutionis vi- „ gore sub pœnis in ea contentis Juramentum præstare debebunt , in posterum „ sequenti Formula utentur , videlicet : *Ego N. Missionarius ad Sinas , vel ad Regnum N. ; vel ad Provinciam N. a Sede Apostolica,vel a Superioribus meis, juxtà facultates eis a Sede Apostolica concessas , missus , vel destinatus , Præcepto , ac Mandato Apostolico super Ritibus , ac Ceremoniis Sinensibus in Constitutione Clementis Papæ XI. hac de re edita , qua præsentis Juramenti formula præscripta est , contento , ac mihi per integram ejusdem Constitutionis lecturam apprimè noto , plenè , ac fideliter parebo , illudque exactè , absolutè , ac inviolabiliter observabo , & absque ulla tergiversatione adimplebo , atque pro virili enitar , ut a Christianis Sinensibus , quorum spiritualem directionem quoquo modo me habere contigerit , similis obedientia eidem præstetur . Ac insuper quantum in me est , nunquam patiar , ut Ritus , & Ceremoniæ Sinenses in Literis Pastoralibus Patriarchæ Alexandrini Macai datis die 4. Novembris 1721. permissæ , ac a Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO PAPA XIV. damnatæ , ab eisdem Christianis ad praxim deducantur . Si autem (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim , toties quoties id evenerit ; pœnis per prædictas Constitutiones impositis me subjectum agnosco , & declaro . Ita tactis Sacrosantis Evangeliis promitto , voveo , & juro . Sic me Deus adjuvet , & hac Sancta Dei Evangelia .*

Ego N. manu propria .

Confidimus igitur fore &c.

AP-

APPENDIX XLVI.

INTER NOVAS *Post caput 14. de Bajanis.*

De Bajanorum Cavillationibus.

MIchaelis Baji propositiones Septuagintanovem (aliis 76., aliis 80.; ab omnibus tamen iisdem retentis articulis) damnarunt Summi Pontifices S.Pius V. per Bullam *Ex omnibus* die prima Octobris anno 1567.; Gregorius XIII. per Bullam *Provisionis nostræ* die 29.Januarii anno 1579.; & Urbanus VIII. per Bullam *In Eminenti* die 6.Martii 1641.; quarum *undecim* sunt de gratia Angelorum, ac primi hominis; *undecim* aliæ de libero Arbitrio, ejusque viribus; *tredecim* sunt de meritis operum; *duodecim* aliæ de peccatis actionum; aliæ *septem* de peccato Originali; *undecim* aliæ de charitate, ac legis adimpletione; *octo* sunt de justificatione, ac Sacramentorum effectu; *sex* aliæ de temporali pœna solvenda: sic illas dividit doctissimus Ripalda *tom.3. de ente supernaturali* in proœmio. Easdem propositiones alio dividit ordine Facultas Theologiæ Duacensis in celeberrimo illius opere (quod Innocentio X. dicatum est), cui titulus *Veritas, & æquitas censuræ Pontificiæ Pii V.Gregorii XIII Urbani VIII. super Articulis LXXVI. damnatis, propugnata constanter ac illustrata à Facultate Theologica Duacena Antiquiore, ac recentiore; sive Antitheses depromptæ, digestæque ad mentem S. Augustini ex luculentis Commentariis eximiorum DD. ac MM. NN. Guglielmi Estii, & Francisci Sylvii; quot ipsæ tot rationes, cur Universitas Duacena Urbanam Bullam de his Articulis promptissimè acceptarit, in publicis scholis promulgarit iisdemque affixerit. Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi facta in veritate, & æquitate, Ps.*110.Duaci 1649. De quo Duchesne in Historia Bajana *lib.5.pag.*432.& in append.*pag.*49.; & Bail *t.*1. Conciliorum a *pag.*738.editionis Venetæ. In tres partes dividitur opus, uti & ad tres Classes Baji reducuntur articuli; prima est de statu naturæ liberæ antè peccatum; cui in multis propositionibus omnem rationem Divinæ gratiæ, sivè intrinsecæ, sivè extrinsecæ Bajus adimit: secunda est de statu naturæ humanæ lapsæ; cujus libertatis indifferentiam Bajus in aliis propositionibus penitus extinguit: tertia est de statu naturæ reparatæ per Christum: in quo statu per multos Articulos, sivè ad æternam vitam consequendam, sivè ad Christi mandata servanda nullam sufficientem gratiam Bajus agnoscit; pro minimo, ac vili habens pretiosi Christi Sanguinis pretium; apud Bail doctissimi hujus operis compendium extat.

Alia quoque methodo in propositionibus illis impugnandis Facultas Lovaniensis utitur in opere, cui titulus, *Doctrina ejus, quam certorum Articulorum damnatio postulare visa est, brevis, & quoad fieri potuit ordinata, & cohærens explicatio a Veneranda Facultate S.Theologiæ in Lovaniensi Academia, Reverendissimi, Illustrissimique D.Joannis Bonhomi Vercellensis Episcopi, & Apostolici per utramque Germaniam Nuncii voluntate, ac jussu*

concepta: completum hoc fuit opus, ac probatum an. 1586. Quatuordecim capita totum dividunt opus; quatuor priora capita de statu Innocentiæ Angelorum, ac primi hominis Catholicam explicant Doctrinam: quintum de viribus agit liberi Arbitrii hominis lapsi, ac undecim de hac re Baji propositiones impugnat: de natura libertatis hominis reparati sextum agit, sex propositionum Baji detegens falsitatem: septimum est de peccatis originali, & actuali; in quo septem reprobantur Baji propositiones: in octavo, & nonò duo impugnantur errores, unus quod peccatum mortale, & veniale natura sua non differant; alter de infidelitate purè negativa, quæ etiam in illis peccatum sit, quibus non adhùc annunciatus est Christus: decimum caput septem de Justitia hæreticas impugnat Baji Propositiones: sex aliæ de charitate impugnantur capite undecimo: aliæ quinque de concupiscentia capite duodecimo: de meritis operum aliæ duodecim taxantur capite tertiodecimo: & capite ultimo de operibus satisfactoriis aliæ quinque notantur. Legitur hoc opus in editione operum Baji a Gerberonio facta *part. 2. a pag. 161. ad 181.*; in Appendice ad Historiam Bajanam a *pag.*28. ad 48.; & in opere facultatis Duacensis, *Veritas, & æquitas* &c. ad Calcem.

Magnum explent numerum damnatæ Baji propositiones: sed quæ omnes unico damnato principio nituntur. Innocentiam, integritatem, justitiam, fidem, spem, charitatem, aliasque virtutes infusas primo homini a Deo concessas, naturæ humanæ indebitas esse, ac superadditas, ab ea separabiles, adeoque & supernaturales; cum Ecclesia Catholica Theologi docent: è contra, omnia illa dona esse naturalia, propugnant Hæretici Lutherus in Genesim *cap.*3.; Calvinus *lib. 1. institutionum cap.*15. *§.* 1. *&* 4. *& lib.*2. *cap.*1.*§.* 6.; Chamierus *tom.* 3. *lib.*10. *cap.*17. *num.*3. *& lib.* 1. *cap.*1. *num.*10. Bajus ut Hæreticis morem gereret, mediam viam inter illos, ac Theologos incedere voluit; aitque, omnia illa, dona esse Spiritus Sancti; Primosque Parentes ad filiorum Dei adoptionem, atque ad æternam vitam consequendam elevatos fuisse: catholicè hucusque loquitur: at cum asserat omnia illa dona, non gratuita esse, sed naturæ humanæ debita, non minus quam auditum, visum, gustum, aliasque potentias naturales; nec sine illis hominem a Deo creari potuisse, Lutheranis, & Calvinistis accedit: probat hæc Bajus libro *de primi hominis justitia cap.*8. *&* 4.. Cum hæretico Baji principio singulæ damnatæ illius propositiones arctissimum nexum habent; eoque admisso, per legitimam illationem omnes unà sequuntur; uti clarè satis ostenditur in historia Bajana *lib.*2. *a pag.*176. *ad* 185.. Hujusmodi errores passim impugnant Theologi, præsertim Aguirre, Frassen, Henno, Dupasquier, Bail, Tournely, Boucat, Simonnet; & duplici magno volumine Ripalda; recentissimus quoque Auctor in examine propositionum Baji. Septuaginta novem propositiones illæ, Baji dicuntur; cum ferè omnes illius sint, verbo, vel scripto traditæ, *tum verbis, tum scriptis*, ait in sua Bulla Pius V.; estò (ut eruditè probat Duchesne *Epist.* 5. ad calcem historiæ Bajanæ) aliorum etiam propositiones sint ibi damnatæ, præsertim Joannis Hessellii de Lovanio, teste Cardinale Granvellano in Epistola ad Philippum II. Hispaniarum Regem data die 18. Octobris anno 1561., quam habes in Appendice ad historiam Bajanam a *pag.*6.: & quidem Pius V. in sua

Bul-

Bulla fatetur; cum illas damnet *in sensu ab Assertoribus intento*; adeoque & multi sunt illarum propositionum Auctores.

Quæ damnatæ sunt Baji propositiones adhuc sustineri posse in rigore, ac proprio verborum sensu ab Assertoribus intento sustinent Bajani, ac latè Serrius propugnat, Historiæ Congregationum *de auxiliis lib. 4. Cap. 16.*, & in Apologetico *sect. 7. cap. 4.*; cum sine ulla interpunctione, seu commate primitùs lectum fuerit in Bulla, *quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, hæreticas, erroneas &c., damnamus*. At cavillatio hæc est Bajanorum; quæ & Bajum ipsum primum habet Auctorem; siquidem ad evadendam Pianæ Constitutionis definitionem, interpunctionis defectum post ly *possent* Morillonio Bajus opposuit; ipso teste Morillonio in Epistola ad Cardinalem Granvellanum data die 20. Junii an. 1569. quam per extensum habes in Historia Bajana *lib. 2. a pag.* 122.; sicque dicebat propositiones à Pio V. damnatas, adhuc sustineri posse *in rigore, ac proprio verborum sensu*. Bajum non quidem cavillantem, sed potius pœnitentem Bajani sequi deberent; siquidem fallacia detecta, suos omnes coram Morillonio, a quo & absolutionem accepit, abjuravit errores, ut in allata Epistola Morillonius ipse testatur: pluries innovavit suam hanc Bajus abjurationem, præsertim coram P. Toleto Jesuita, postea Cardinale, quam & publico firmavit instrumento, eodem anno 1580. die 24. Martii per hæc verba. *Ego Michael de Bay Cancellarius Universitatis Lovaniensis, agnosco, & profiteor me ex variis colloquiis habitis cum P. Toleto &c. super diversis sententiis, & propositionibus jam olim a Pio V., & nuper à Gregorio XIII. iteratò damnatis, ac prohibitis, ità motum, & eò perductum esse, ut planè mihi habeam persuasum, earum omnium sententiarum damnationem, atque prohibitionem jure, meritoque, ac non nisi maturo judicio, & diligentissima excussione præmissis factam, atque decretam esse: Fateor insuper plurimas ex iisdem sententiis in nonnullis libellis à me olim, & ante emanatam Sedis Apostolicæ super iis censuram conscriptis, & in lucem editis contineri, & defendi etiam eo sensu, in quo reprobantur: denique declaro me in præsentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi à S. Sede factæ acquiescere, neque posthac illas docere, asserere, aut defendere velle. Datum Lovanii &c.*: Sic Acta Facultatis Lovaniensis, inter Bajana *part. 2.*; in Historia Bajana *lib. 2. pag.* 163., & in Appendice *pag.* 21. Recueil Historique des Bulles *pag.* 27. Tournely *de gratia pag.* 137. *editionis Venetæ*, Berninus *sæculo* 16. *cap.* 10.

Plura testatur hic Bajus, quæ à suis hodie negantur Apologistis; nempè damnatas à Pio V. propositiones iterum à Gregorio XIII. proscriptas: factam hanc fuisse damnationem *maturo judicio, & diligentissima excussione præmissis*: ex damnatis in Bulla propositionibus multas in suis operibus ante Bullam editis contineri: damnatasque fuisse eo sensu, in quo illas ipse docuerat, seu in vero, ac proprio sensu Auctoris: illasque *jure, meritoque fuisse damnatas*: ac tandem illarum omnium propositionum, sine ulla restrictione, nulla apposita limitatione, Apostolicam acceptare censuram. Falsum ergo damnatas Baji propositiones sustineri posse in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento: siquidem post ly *possent* est Comma

sic

ſic in Piana Bulla legendum, *quas quidem ſententias, ſtricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent; in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas &c. damnamus*. Sic enim habet exemplar Bullæ de mandato Urbani VIII., ac S. univerſalis Inquiſitionis conformiter ad ejus originale (quod in Archivio extat S. Officii) exaratum die 26. Junii an. 1644.; Apoſtolico injuncto præcepto, ut ab omnibus Chriſtifidelibus fides hujuſmodi adhibeatur exemplari.

At nullam ibi eſſe interpunctionem omittamus; quid inde? Subintelligendam eſſe, contextus ipſe docet: nec enim unquam fuit in Eccleſia dogmatica lex, quæ in probando textus, vel damnando, illorum non reſpiciat ſenſum obvium, naturalem, ac proprium; aliàs & Scriptura, & Sacri Canones damnari poſſent, ſi textus liceret in alieno ſenſu damnare: demus quoque aliquam fuiſſe in Bulla defectu commatis æquivocationem; nonnè ſatis ablata foret per Bullæ acceptationem de mandato Summorum Pontificum Pii V., & Gregorii XIII. à Bajo factam? Cui & Facultas Lovanienſis concinit, quæ eodem ſimul tempore, eſtò Bajanis erroribus priùs addicta fuiſſet, omnes unà cum Bajo damnatas in Bulla ſententias in eodem ſenſu ejuravit: *dehinc idem Toletus* (ſic habetur in Actis Facultatis Lovanienſis, ibidem, Recueil Hiſtorique des Bulles *pag.* 30.) *ad reliquos Doctores Theologos converſus, interrogavit, annè eoſdem articulos omnes damnarent, & Bullam reverenter ſuſciperent? Qui omnes uno ore reſponderunt, ſe illos articulos damnare, & Bullam religiosè obſervaturos: eadem fuit vox omnium Licentiatorum, Baccalaureorum, & Studioſorum; omneſque una voce conclamarunt; Articulos damnamus, Bullam reverenter ſuſcipimus, atque obedientiam pollicemur.*

At quæ ſunt in oppoſitum videamus: Bullæ verba (dicunt) ſine commate referri à Cardinale Granvellano Archiepiſcopo Mechlienſe in Epiſtola ad Morillonium Vicarium ſuum Generalem data die 13. Novembris an. 1567. (inter Bajana *part.* 2., & in Hiſtoria Bajana *lib.* 2. *num.* 3. *a pag.* 92.) Cum fateatur aliquas ex illis propoſitionibus *in rigore, aliquo ſenſu exponi poſſe*. Contra, propoſitiones illas defendi poſſe *in ſenſu ab aſſertoribus intento* nunquam Granvellanus ait; immò defendi non poſſe, fatetur ibidem, *cujuſvis excogitatæ interpretationis obtentu: in rigore, aliquo ſenſu, exponi poſſe* dicit; quod ipſum Bulla verbis illis expreſſerat, *quanquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent*: talis hæc eſſet propoſitio Baji, *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*; ſi quis addat, nempè *cum originis peccato*; catholicus eſt ſenſus, ſed nullo modo ab aſſertoribus Bajanis intentus.

Morillonius (urgent) in Epiſtola ad Granvellanum data die 20. Junii an. 1569. (inter Bajana ibidem, & Hiſtoria Bajana *l.* 2. *pag.* 122. *num.* 22.) dicit, *in Bulla ſcriptum eſſe, nonnullas propoſitiones defendi poſſe in rigore, & proprio verborum ſenſu*: Facultas etiam Lovanienſis circa Bullam Pii V. à Morillonio intimatam die 29. Decembris anno 1567. fatetur idipſum. Contra, primum apertum eſt mendacium; cum non Morillonii, ſed Baji illa ſint verba; *quæſiit* (de Bajo Morillonius ait) *quid eſſet ejuraturus?*

Reſpon-

Respondi, propositiones à Summo Pontifice reprobatas: tunc erexit se (Bajus) *& ait se præstare non posse, nisi diplomatis transumptum haberet, quod in eo scriptum esset, nonnullas propositiones &c.*: secundum nihil ad rem; siquidem quæ Facultas Lovaniensis Bajum tunc sequebatur errantem, deinde ut ostendimus, secuta est pœnitentem. Allatum Facultatis testimonium, *solemne Instrumentum Academiæ Lovaniensis* vocat Serrius, sed malè; cum attestatio sit solius Jansenii, postea Gandavensis Episcopi. Bajo (inquiunt) expostulanti in Bulla, sic legi (uti videre est inter Bajana *part.* 2. *pag.* 66. & in Appendice ad Historiam Bajanam *num.* 5. *à pag.* 9.) *nonnullas propositiones defendi posse in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento*, nil reposuit Morillonius, Commatis exclusionem satis suo silentio firmans. Contra, quis Morillonium tunc siluisse dicat? expostulanti Bajo, respondit (ut ipse in sua ad Granvellanum Epistola scribit) reprobatas in Bulla propositiones omninò ejurandas esse *juxta decretum, censuram, & mentem Sanctitatis Suæ*; ac in cæteris omninò silendum, eo quod *omnia silentio involvi Pontifex vellet*. At Morillonium siluisse demus, quid inde? Bajum, ne Pianam reciperet Constitutionem, patentissimè cavillantem, nullo Morillonius dignum esse censuit auditu, sed solùm ad suos ejurandos errores *juxta censuram, & mentem Sanctitatis Suæ* semper urgendum: & quidem omnia, quæ in commissis habebat, silentio Morillonius egit; *ut inspecta Sanctitatis Suæ censura* (ad ipsum Granvellanus scribit) *non ultra eas propositiones defendi sinant, cujusvis excogitatæ interpretationis obtentu*; & Morillonius in sua, *quod omnia silentio involvi Pontifex vellet*: nonnè satis hoc fuit, ut Bajus in genua provolutus suos omnes ejuraret errores? Dices, saltem Bulla Urbani VIII. Romæ typis excusa anno 1642. post verba illa *in sensu ab assertoribus intento* legitur Comma. Contra, non Commatis exclusionem, sed editionis errorem evincit objectum. Hinc & nullam merentur fidem multa, quæ à Gerberonio, Quesnello, Serrio, adducuntur in oppositum exemplaria Bullæ; cum nulla sint publica auctoritate munita; ignotum sit à quo fuerint Originali desumpta; & primum à Janseniano edita sint Auctore (nempè à Gerberonio) in editione Operum Baji anno 1696.: inter quæ illud est Cuneri Petri (quod putant ipsi celeberrimum); sed est & certè suppositum; cum neque inter edita illius opuscula inveniatur; sitque à Piana Bulla ex omnium sensu longè diverso modo conceptum; cum in eo legatur, *quanquam earum nonnullæ aliquo pacto & in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento sustineri possent; erroneas, hæreticas* &c. ubi reclamantibus exemplaribus omnibus ly *sustineri possent*, verbis illis postponitur *sensu ab assertoribus intento*; verbaque illa *aliquo pacto & in rigore*, ad perficiendum Bajanum sensum, arctissimè uniuntur.

Sententiarum Baji damnationem cavillationibus aliis eludere tentant Bajani post Jansenium *lib.* 4. *de statu naturæ lapsæ cap.* 26., *&* 27. antiquos alios citantem, quibusdam asserentibus, solùm ad tempus, & pro bono pacis illas fuisse damnatas, non verò quia falsas; dicentibus aliis (inter quos Natalis, & Norisius) sententias censuram habentes damnatas esse, non quidem ratione doctrinæ, sed censuræ illis appositæ; non dictum, sed acrem dicendi modum ibi esse proscriptum: tales esse dicunt propositiones illas,

Pela-

Pelagii sententia est &c.; *sentiunt cum Pelagio, qui dicunt* &c. At in oppositum communissimè sunt Theologi post damnationem operis Jansenii scribentes, inter quos Auctor Historiæ Controversiarum *de Auxiliis vindicatæ lib.* 3. *cap.* 29., Henno *quæst.* 5. *de gratia art.* 2., Cardinalis de Aguirre *de gratia disp.* 106. *à num.* 23.: & quidem meritò: cum Baji propositiones indiscriminatim, ut hæreticæ, erroneæ, temerariæ &c. damnentur; & nulla unquam fuerit in Ecclesia lex dogmatica, quæ solùm ad tempus, vel ratione indebitæ censuræ, sic damnet: quod enim hæreticum nunc est, erroneum, temerarium per Ecclesiæ definitionem, tale semper erit; cum Ecclesia columna sit, ac firmamentum veritatis: nec propositionem hæreticam, erroneam, temerariam solius censuræ appositio reddat: nonnè omnes Baji sententiæ damnatæ sunt *ad perpetuam rei memoriam*? ut ex Bullis constat tum Gregorii XIII. *Provisionis nostræ*; tum Urbani VIII. *In eminenti*, & ex ipsa Bulla Pii V. in illis verbis, *Quas quidem sententias* &c. *damnamus, circumscribimus, abolemus*, &c. *ad perpetuam dictarum sententiarum abolitionem* &c.; adeoque in perpetuum, nec ad tempus solùm damnantur: Item Augustinum Jansenii prohibet in citata sua Bulla Urbanus VIII., utpotè continentem, ac innovantem *propositiones, opiniones, ac sententias* in Constitutionibus Pii V., & Gregorii XIII. damnatas; nulla censurarum facta mentione, quibus Bajus sententias inurebat oppositas; quid Baji sunt propositiones ac sententiæ? nisi dogmatica illius doctrina; quid censuræ? nisi quæ apponuntur illis notæ. Hoc ipsum testatur in sua retractatione Bajus, cùm ait, *earum omnium sententiarum damnationem, jure, meritoque factam* &c.; omnes ergo ratione doctrinæ damnantur Baji propositiones.

Antiquos in hoc sibi faventes; Norisius, ac Natalis opponunt: sed frustrà, cum fecerit hoc ipsum in suo Augustino Jansenius, Toletum adducens, Bellarminum, Suarium, Vasquium; quin potuerit illius opus Apostolicam effugere damnationem: parcendum quidem Antiquis; non enim adhuc viderant opus Jansenii per Bullam *in Eminenti* ab Urbano VIII. damnatum; ut continens, ac innovans damnatas Baji *propositiones, ac sententias*, censurarum nulla facta mentione: culpandi verò recentiores, qui adhuc post hujus Bullæ editionem, eamdem prosequuntur docere sententiam. Lepidum est, quod Norisius ait, propositiones Baji status naturæ puræ repugnantiam statuentes, ut est 55. in ordine, *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*, ratione censuræ damnatas esse: cum nulla legatur in allata propositione censura: nec refert, non in Bulla, sed in scriptis Baji illam haberi: nam quænam esset damnata propositio Baji, quæ facillimè sustineri non posset? si semel hæc sit responsio admissa; cum ferè omnes sint in Bajo sententiæ oppositæ aliqua censura notatæ. Ulterius inquit, Baji propositionem 27. *Liberum arbitrium sine gratia Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet* damnatam esse, si de gratia intelligatur habituali, secus autem si de gratia actuali, & auxiliante sit explicata. At propositionem illam expressè loqui de gratia actuali, & auxiliante ex illis verbis clarum est *sine gratia Dei adjutorio*; cujus nomine Theologi nunquam gratiam intelligunt habitualem: hinc in sensu gratiæ actualis plures damnantur Quesnelli propositiones, quarum 39. sic habet, *voluntas, quam gratia non prævenit,*

nit,

nit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum &c., & 40. *sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*: & has propositiones jam damnatas esse in illa 27. Baji, tum in suis Instructionibus Pastoralibus, tum in explicatione Bullæ *Unigenitus* Galliarum Episcopi demonstrant. Propositio Baji 73. certè damnatur ratione censuræ (Natalis urget); aliàs damnata foret sententia, negans Immaculatam B. Virginis Conceptionem. At falsum est, ac sine illatione assumptum; sic enim habet propositio damnata, *nemo præter Christum, est absque peccato Originali; hinc & Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Ada contractum; omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis*: idemque in 72. propositione implicitè dictum erat, ibi, *omnes omninò justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde & Job, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt*: at hoc ipsum in 70. Quesnelli propositione damnatur, estò nulla sit ibi censura: siquidem planè hæreticum est, omnes afflictiones Justorum, ac B. Virginis, effectum fuisse, vel esse peccati; ipsa erat innocentia Christus, estò fuerit omnium hominum afflictissimus; conformitas cum Christo nonnè est necessaria justis? oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, *Lucæ* 24.; vel ergo in peccati pœnam; vel ad virtutis meritum esse possunt afflictiones; quo secundo modo plures passi sunt justi, inter quos Sanctus Job, ac Beatissima Virgo Maria; uti & latè probant scribentes in 70. Quesnelli propositionem. Allata igitur propositio Baji damnata ratione censuræ dici nequit, cum nulla in ea propositione sit censura; nec ullum haberetur intentum, quamvis adesset; cum omnes Baji propositiones sint ratione doctrinæ damnatæ.

Tandem intolerabilis illa est Cavillatio, quam recentissimus Auctor per integram dissertationem editam anno 1738. audacissimè propugnat, nempè quod Bullas contra Bajum non receperit Ecclesia. Patentissimum certè mendacium; siquidem ex quo illæ prodiere Constitutiones, vix ullus fuit Episcopus, ac scholæ Magister, qui pro data occasione eas in argumentum, & probationem non adduxerit, nullis reclamantibus, si Bajanos, ac Jansenianos excipias; quod communem Doctorum, Academiarum, Episcoporum, ac totius Ecclesiæ sensum, in acceptandis contra Bajum Apostolicis Constitutionibus invictissimè probat: nec illis Universitatibus, ac Nationibus exceptis, quæ Bajanis erroribus fuere addictiores; siquidem Facultas Duacena anno 1649. celebre opus edidit, cui titulus *Veritas, & Æquitas censuræ Pontificiæ*; in quo etiam quoad doctrinam singulæ Baji propositiones impugnantur, aitque *Intelligant anonymi sententias ex damnatis 76. nullas sustineri posse in rigore, & proprio verborum sensu, quem intendunt, & hoc decisum esse ab Urbano VIII.*: similem censuram edidit Facultas Lovaniensis anno 1586. cui titulus *Doctrina ejus* de mandato Summi Pontificis per Joannem Bonhomi Vercellensem Episcopum, & Apostolicum Nuncium per utramque Germaniam, quam, ut visum est, ad calcem habes prædicti operis Duacensis; hinc & declarat anno 1701. sic etiam suos sensisse Majores. *Has à Pio V., & aliis Pontificibus rectè ita damnatas affirmamus, ut in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus*

 intento

intento respectivè sint hæretica, erronea, &c.; *ac omnes falsa: quod Majores nostri luculenta edita olim à se declaratione demonstrarunt*. Sentiunt hoc idem Galliarum Episcopi: Jansenianorum motus *sedari oportuisse* (ad Innocentium X. scribunt 85. Galliarum Episcopi anno 1651.) *tum Concilii Tridentini auctoritate, tum Bullæ illius, qua Urbanus VIII. adversus Jansenii dogmata pronunciavit, & decreta Pii V., ac Gregorii XIII. in Bajum edita confirmavit*. Anno 1714. Quadraginta Gallicani Præsules, inter quos Cardinales de Rohan, & de Bissy, in sua Instructione Pastorali, quam & alii 60. Galliarum Episcopi adoptarunt, censuram propositionum Quesnelli confirmant ex iterata sæpiùs similium Baji propositionum damnatione. Hinc & Pii V. Constitutionem contra Bajum, ut dogmaticam legem Ecclesiæ 96. Gallicani Episcopi, Archiepiscopi, Cardinales citarunt anno 1720., in sua Constitutionis *Unigenitus* contra Quesnellum explicatione. An ergo Bullas contra Bajum acceptaverit Ecclesia, nefas est dubitare. Quod si majora petas in hac re documenta tibi dabunt doctissimus Auctor *Examinis propositionum Baji*; & Bibliotheca Janseniana *tom. 2. à pag.* 268 *editionis tertiæ*.

APPENDIX LVII.

INTER NOVAS *post cap.* 19. *De Jansenistis*.

AC

DISSERTATIO VIII.

De Jansenianorum Erratis, Cavillis, ac Damnationibus.

„ Constitutiones Innocentii X., & Alexandri VII. uti & Brevia, seu Epi-
„ stolas Clementis IX.; ac Innocentii XII. adversus Jansenianam hære-
„ sim, confirmat, explicat, ampliat in sua dogmatica Bulla SS. Pontifex
„ Clemens XI. data anno 1705. 17. Kalendas Augusti incipiente *Vineam Domi-*
„ *ni Sabaoth* &c. per hæc verba.

„ Vineam Domini Sabaoth, quæ est Catholica Ecclesia, pro commisso
„ Nobis divinitùs Apostolicæ servitutis munere custodire, atque excolere
„ omni studio, atque industria jugiter satagentes, ea, quæ à Romanis Ponti-
„ ficibus Prædecessoribus Nostris ad succrescentes in illa perniciosarum novita-
„ tum vepres radicitùs evellendos prudenti, salubrique consilio constituta esse
„ noscuntur, ut quibuscumque Inimici Hominis molitionibus dejectis, firmiùs
„ semper, atque exactiùs observentur, Apostolici muniminis nostri præsidio
liben-

libenter roboramus, atque alias desuper solicitudinis, & providentiæ nostræ partes interponimus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis, ad fidelem, ac tutam orthodoxæ veritatis custodiam, necnon Animarum pretioso Unigeniti Dei Filii Domini nostri Jesu Christi Sanguine redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur. Sanè postquam fel. rec. Innocentius Papa X. Prædecessor Noster per quandam suam desuper editam Constitutionem quinque famosas Propositiones ex libro Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus *Augustinus*, excerptas Apostolici censura judicii ritè confixerat, rec. mem. Alexander Papa VII. etiam Prædecessor noster ad ejusmodi jam damnatos errores è Christifidelium mentibus prorsùs abolendos; publicæque tranquillitatis perturbatorum subtili tectas calliditate machinationes penitùs evertendas, prædictam Innocentii Prædecessoris Constitutionem, toto illius inserto tenore, confirmavit, novarumque declarationum accessione constabilivit, sua in id pariter edita Constitutione tenoris, qui sequitur: videlicet.

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei Universis Christifidelibus salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ad Sanctam Beati Petri Sedem, & Universalis Ecclesiæ regimen, inscrutabili Divinæ Providentiæ dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis evecti, nihil Nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quam ut sanctæ Fidei nostræ, ac Sacrorum Dogmatum integritati tradita Nobis à Deo potestate opportunè consuleremus; Ac licèt ea, quæ Apostolicis Constitutionibus abundè fuerunt definita, novæ decisionis, sive declarationis accessione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur; ne morbus iste latiùs divagetur, promptum Apostolicæ authoritatis remedium censuimus non esse differendum. Emanavit siquidem aliàs à fel. rec. Innocentio Papa X. Prædecessore nostro Constitutio, Declaratio, & Definitio tenoris, qui sequitur: videlicet.

INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei Universis Christifidelibus salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum occasione impressionis libri, cui titulus *Augustinus*, Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones, orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud Nos institerunt, ut easdem Propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor verò præfatarum propositionum est, prout sequitur.

Prima. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant.

Secunda. Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Tertia. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Quarta. Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæreti-

„ ci, quod vellent, eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas
„ resistere, vel obtemperare.
„ Quinta. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò
„ hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse
„ Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè
„ pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex alto commissa,
„ purgatis pravarum opinionum erroribus, tutò militare, & tanquam navis
„ in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis,
„ securè navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit; pro rei gra-
„ vitate coram aliquibus S.R.E. Cardinalibus, ad id specialiter sæpius con-
„ gregatis, ac pluribus in Sacra Theologia Magistris, easdem quinque Propo-
„ sitiones, ut supra, Nobis oblatas fecimus sigillatim diligenter examinari,
„ eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relata, maturè consideravimus,
„ eosdemque Magistros, variis coram Nobis actis Congregationibus, prolixè
„ super eisdem, ac super earum qualibet differentes, audivimus. Cum autem
„ ab initio hujuscemodi discussionis, ad Divinum implorandum auxilium,
„ multorum Christifidelium preces tum privatim, tum publicè indixissemus;
„ postmodum iteratis eisdem ferventiùs, ac per Nos solicitè implorata Sancti
„ Spiritus assistentia, tandem Divino Numine favente, ad infrascriptam de-
„ venimus declarationem, & definitionem.
„ Primam prædictarum propositionum: Aliqua Dei præcepta hominibus
„ justis volentibus, & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires,
„ sunt impossibilia; deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant: Temera-
„ riam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam de-
„ claramus, & uti talem damnamus.
„ Secundam: Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur:
„ Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.
„ Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non re-
„ quiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione;
„ Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.
„ Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris
„ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæ-
„ retici, quòd vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas
„ resistere, vel obtemperare: Falsam, & hæreticam declaramus, & uti talem
„ damnamus.
„ Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omni-
„ nò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse: Falsam, temerariam,
„ scandalosam; & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat præ-
„ destinatorum mortuus sit: Impiam, blasphemam, contumeliosam, Di-
„ vinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.
„ Mandamus igitur omnibus Christifidelibus utriusque sexus, ne de dictis
„ propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac
„ præsenti nostra declaratione, & definitione continetur, sub censuris, & pœ-
„ nis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expressis. Præcipimus pari-
„ ter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Or-
„ dinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, &
rebel-

rebelles quoscunque per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, omninò coerceant, & compescant. Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridiè kal. Junii. Pontificatus Nostri Anno IX. ,,

Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis Filii prædictas quinque Propositiones, vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed fictè, & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere magno cum Christifidelium scandalo non reformident: Nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter, & attentè perspeximus, utpotè qui ejusdem Innocentii Prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis Congressibus interfuimus, in quibus Apostolica authoritate, eadem causa discussa est, ea profectò diligentia, qua major desiderari non posset, quamcunque dubitationem super præmissis in posterum auferre volentes, ut omnes Christifideles in ejusdem Fidei unitate sese contineant, ex debito nostri Pastoralis officii, ac matura deliberatione, præinsertam Innocentii Prædecessoris nostri Constitutionem, Declarationem, & Definitionem, harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus; & quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est *Augustinus*, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse, declaramus, & definimus, ac uti tales, inusta scilicet eadem singulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum damnamus, ac eumdem librum sæpè dicti Cornelii Jansenii, cui titulus *Augustinus*, omnesque alios, tam manuscriptos, quàm typis editos, & si quos forsan in posterum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Jansenii Doctrina, ut suprà, damnata defenditur, vel astruitur, aut defendetur, vel astruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Christifidelibus, ne prædictam Doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo, vel scripto exponant, vel interpretentur, publicè, vel privatim, palam, vel occultè imprimant, sub pœnis, & censuris contra Hæreticos in jure expressis ipso facto absque alia declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ac Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, ut præinsertam ejusdem Innocentii Prædecessoris Constitutionem, Declarationem, ac Definitionem, juxta præsentem nostram determinationem, ab omnibus observari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, aliisque juris, & facti remediis, invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omninò coerceant. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, Decimo septimo kal. Novembris, Pontificatus Nostri Anno II. ,,

Subin-

„ Subindè verò, quò omnis Apostolicarum definitionum eludendarum a-
„ ditus intercluderetur, memoratus Alexander Prædecessor, priscum Ecclesiæ
„ morem sequutus, certam edidit Formulam ab omnibus Ecclesiastici Ordinis,
„ tàm sæcularibus, quàm Regularibus personis subscribendam per aliam suam
„ hac in re promulgatam Constitutionem tenoris sequentis; videlicet: ALE-
„ XANDER Episcopus Servus servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.
„ Regiminis Apostolici Divina providentia Nobis, quamvis immeritis, com-
„ missi ratio postulat, ut ad ea potissimùm, quæ Catholicæ Religionis inte-
„ gritati, & propagationi, animarumque saluti, & Fidelium tranquillitati
„ consulere apta, & idonea esse judicantur, animum, & curam omnem,
„ quantum licet in Domino, applicemus. Quamobrem Cornelii Jansenii hæ-
„ resim, in Galliis præsertim, serpentem, ab Innocentio X. fel. record. Præ-
„ decessore nostro ferè oppressam, ad instar colubri tortuosi, cujus caput at-
„ tritum est, in varios gyros, & cavillationum deflexus euntem singulari Con-
„ stitutione ad hunc finem edita altero assumptionis nostræ anno extinguere co-
„ nati fuimus. Sed ut multiplices Hostis hominum generis artes adhibet, non-
„ dum plenè consequi potuimus, ut omnes errantes in viam salutis redirent,
„ qui tamen unicus erat votorum, & curarum nostrarum scopus, quibus ope-
„ ram, & industriam suam egregio sanè studio Venerabiles Fratres nostri Ar-
„ chiepiscopi, & Episcopi Regni Galliæ, earumdem Constitutionum Aposto-
„ licarum exequutioni præcipuè intenti contulerunt, & Charissimus in Christo
„ Filius noster Rex Christianissimus singulari pietate auxiliarem dexteram stre-
„ nuo, ac constantissimo animo porrexit. Cùm autem præfatus Rex Christia-
„ nissimus eodem Religionis zelo ductus per suum in Urbe Oratorem Nobis si-
„ gnificari, exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium pesti-
„ feræ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi posse, quàm si omnes
„ certam Formulam subscriberent nostra authoritate firmatam, in qua quinque
„ propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui titulus *Augustinus*, excerptas
„ sincerè damnarent, ac proinde illam à Nobis quantocyùs expediri, ad quæli-
„ bet effugia præcludenda, omnesque removendos obtentus, flagitaverit: Nos
„ tam piis dicti Regis Christianissimi votis benignè annuendum esse ducentes,
„ Formulam infrascriptam ab omnibus Ecclesiasticis, etiam Venerabilibus
„ Fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, necnon aliis quibuscumque
„ Ecclesiastici Ordinis, tàm Regularibus, quàm Sæcularibus, etiam Moniali-
„ bus, Doctoribus, & Licentiatis, aliisque Collegiorum Rectoribus, atque
„ Magistris subscribi districtè mandamus; idque intra tres menses a die publi-
„ cationis, seu notificationis præsentium; aliàs contra eos, qui intra termi-
„ num prædictum non paruerint, irremissibiliter procedi volumus juxta Ca-
„ nonicas Constitutiones, & Conciliorum Decreta. Formula à supradictis
„ subscribenda. Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31.
„ Maji 1653., & Constitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octobris 1656.
„ Summorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii
„ Jansenii libro, cui nomen *Augustinus*, excerptas, & in sensu ab eodem au-
„ thore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damna-
„ vit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: Sic me Deus adjuvet, &
„ hæc Sancta Dei Evangelia. Decernentes insuper præsentes literas semper, &

per-

perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenos, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos ubique judicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate; ac irritum, & inane, si secus super his à quocunque quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis committimus, & mandamus, ut singuli in suis Diœcesibus, ac locis suæ jurisdictioni subjectis præsentes literas, & in eis contenta quæcunque exequantur, & executioni mandari, ac observari ab omnibus curent, & inobedientes quoscunque per sententias, censuras, & pœnas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione postposita, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omninò compellant. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc nostram Constitutionem, & ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, quintodecimo kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno X.

Sic equidem Causa finita est; non tamen sic, ut par erat, finitus est error Apostolico toties mucrone percussus: Neque enim defuere, nec adhuc desunt homines veritati non acquiescentes, & nunquam Ecclesiæ contradicendi finem facientes, qui variis distinctionibus, seu potiùs effugiis ad circumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam ipsam turbare, eamque interminatis quæstionibus, quantum in ipsis est, involvere & implicare conantur; quodque deterius est, ipsamet Apostolicæ Sedis decreta redarguendis eorum pravis sensibus condita, ac præsertim quasdam piæ mem. Clementis Papæ IX. die 19. Januarii 1669. ad quatuor Galliæ Episcopos, necnon binas similis memoriæ Innocentii Papæ XII., etiam Prædecessorum nostrorum die 6. Februarii 1694., & die 24. Novembris 1696. ad Episcopos Belgii in forma Brevis respectivè datas literas in erroris sui patrocinium advocare, temerario planè ausu, non erubescunt: perindè ac si memoratus Clemens Prædecessor, qui eisdem suis literis, se Innocentii X., & Alexandri VII. Prædecessorum Constitutionibus supradictis firmissimè inhærere, ac à dictis quatuor Episcopis veram, & totalem obedientiam, adeoque Formulæ à præfato Alexandro Prædecessore, sicut præmittitur, editæ sincerè per eos subscribi voluisse declaravit, aliquam in tàm gravi negotio exceptionem, seu restrictionem, quam nullam prorsùs se unquam admissurum fuisse protestatus fuit, re ipsa admisisset; dictus verò Innocentius XII. Prædecessor, dum sapienter, ac providè prædictas quinque propositiones ex memorato libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba exhibent, ac præseferunt, damnatas esse pronunciavit, non de ipsomet obvio sen-

„ ſenſu, quem in Janſenii libro habent, quive ab eodem Janſenio intentus, ac
„ à præfatis Innocentio X., & Alexandro VII. Prædeceſſoribus damnatus fuit,
„ ſed de alio quopiam diverſo ſenſu cogitaſſet; dictaſque Innocentii X., &
„ Alexandri VII., Prædeceſſorum Conſtitutiones temperare, reſtringere,
„ aut alio quovis modo immutare voluiſſet iiſdem ipſis literis, quibus eas in
„ ſuo robore fuiſſe, & eſſe, ſeque illis firmiter inhærere verbis apertiſſimis aſ-
„ ſerebat. Prætereà iidem inquieti homines ſparſis undequaque ſcriptionibus,
„ ac libellis, exquiſita ad fallendum arte compoſitis, non ſine gravi Apoſto-
„ licæ Sedis injuria, maximoque totius Eccleſiæ ſcandalo docere non ſunt ve-
„ riti; Ad obedientiam præfatis Apoſtolicis Conſtitutionibus debitam non re-
„ quiri, ut quis prædicti Janſeniani libri ſenſum in antedictis quinque propoſi-
„ tionibus, ſicut præmittitur, damnatum, interiùs ut hæreticum damnet;
„ ſed ſatis eſſe, ſi ea de re obſequioſum (ut ipſi vocant) ſilentium teneatur.
„ Quæ quidem aſſertio quàm abſurda ſit, & animabus Fidelium pernicioſa, ſa-
„ tis apparet, dum fallacis hujus doctrinæ pallio non deponitur error, ſed ab-
„ ſconditur; vulnus tegitur, non curatur; Eccleſiæ illuditur, non paretur;
„ Et lata demùm filiis inobedientiæ via ſternitur ad fovendam ſilentio hæreſim;
„ dum ipſam Janſenii doctrinam, quam ab Apoſtolica Sede damnatam Eccle-
„ ſia Univerſalis exhorruit, adhuc interiùs abjicere, & corde improbare de-
„ trectant. Quin etiam eò impudentiæ nonnullos deveniſſe compertum eſt, ut
„ veluti naturalis honeſtatis, nedum Chriſtianæ ſinceritatis obliti, aſſerere
„ non dubitaverint, præfatæ Formulæ à memorato Alexandro Prædeceſſore
„ præſcriptæ ſubſcribi licitè poſſe, etiam ab iis, qui interiùs non judicant
„ prædicto Janſenii libro doctrinam hæreticam contineri: quaſi verò, contra
„ quam ſcriptum eſt: *Qui loquitur veritatem in corde ſuo*, Et: *Qui jurat
„ proximo ſuo, & non decipit*; hujuſmodi erroris ſectatoribus liceat Eccleſiam
„ ipſam jurejurando decipere, ſimulque Apoſtolicæ Sedis providentiam falle-
„ re, dum ejuſdem Formulæ conceptis verbis loquuntur, quod Eccleſia loqui-
„ tur, quod tamen ſentit ipſa, non ſentiunt; ſeque parere Conſtitutionibus
„ Apoſtolicis profitentur, quibus animo contradicunt.

„ Hinc eſt, quòd Nos ad opportunum, & efficax tam exitiali morbo, qui ut
„ cancer ſerpit, & quotidiè in deterius vergit, remedium adhibendum, non
„ minus demandatæ Nobis omnium Eccleſiarum ſolicitudinis debito, quàm
„ plurimorum Venerabilium Fratrum noſtrorum diverſarum partium, ac præ-
„ ſertim Regni Galliarum Epiſcoporum zelo, ac precibus excitati; ne hujuſ-
„ modi pravi homines Catholicę Eccleſię pacem ſubvertere impunè pergant, &
„ ſimplicium, ac puſillorum mentibus imponere, docentes quę non oportet;
„ neve ullus apud eos quoque, qui bona, ut ajunt, fide, ac falſis rumoribus
„ decipi ſe fortaſſe patiuntur, de mente, ac ſententia Apoſtolicę Sedis am-
„ pliùs ambigendi ſuperſit locus; Divino priùs, tam privatis noſtris, quam
„ publicę indictis precibus, implorato pręſidio, ac re maturè diſcuſſa, de non-
„ nullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio,
„ auditiſque complurium in Sacra Theologia Magiſtrorum ſuffragiis; Primò
„ quidem pręinſertas Innocentii X., & Alexandri VII. Prędeceſſorum Con-
„ ſtitutiones, omniaque, & ſingula in eis contenta authoritate Apoſtolica,
„ tenore pręſentium confirmamus, approbamus, & innovamus. Ac inſuper,

ut

ut quęvis in poſterum erroris occaſio penitùs prçcidatur, atque omnes Catholicę Eccleſię filii Eccleſiam ipſam audire, non tacendo ſolùm (nam & impii in tenebris conticeſcunt) ſed & interiùs obſequendo, quæ vera eſt Orthodoxi hominis obedientia, condiſcant; hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, Obedientiæ, quæ præinſertis Apoſtolicis Conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo ſilentio minimè ſatisfieri; ſed damnatum in quinque præfatis Propoſitionibus Janſeniani libri ſenſum, quem illarum verba præſeferunt, ut præfertur, ab omnibus Chriſtifidelibus ut hæreticum, non ore ſolùm, ſed & corde rejici, ac damnari debere; nec alia mente, animo, aut credulitate ſupradictæ Formulæ ſubſcribi licitè poſſe; itaut qui ſecus, aut contrà, quoad hæc omnia, & ſingula ſenſerint, tenuerint, prædicaverint, verbo, vel ſcripto docuerint, aut aſſeruerint, tanquam præfatarum Apoſtolicarum Conſtitutionum tranſgreſſores, omnibus, & ſingulis illarum cenſuris, & pœnis omninò ſubjaceant, eadem authoritate Apoſtolica decernimus, declaramus, ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes pariter eaſdem præſentes, & præinſertas literas ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere &c. „

Alteram edidit Conſtitutionem idem Summus Pontifex die 8. ſeptembris 1713. incipientem *Unigenitus Dei Filius*, qua damnantur Centum & una Queſnelli propoſitiones; ſicque habet. „

Unigenitus Dei Filius pro noſtra, & totius Mundi ſalute filius hominis factus, dum Diſcipulos ſuos doctrina veritatis inſtrueret, univerſàmque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret, præſentia diſponens, & futura proſpiciens, Præclaro, ac ſaluberrimo documento Nos admonuit, ut attenderemus a falſis Prophetis, qui veniunt ad Nos in veſtimentis Ovium, quorum nomine potiſſimùm demonſtrantur Magiſtri illi mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendida pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt ſectas perditionis ſub imagine Sanctitatis; utque facilius incautis obrepant, quaſi deponentes Lupinam pellem, & ſeſe Divinæ Legis ſententiis, velut quibuſdam Ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipſius Novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui ſcilicet, à quo progeniti ſunt, mendacii Parentis exemplo, ac magiſterio edocti; nullam omninò eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quàm ut ubi nefarii erroris ſubintroducitur fraudolentia, ibi divinorum verborum prætendatur authoritas. „

His Nos verè Divinis monitis inſtructi, ubi primùm, non ſine intima cordis noſtri amaritudine, accepimus, Librum quemdam Gallico idiomate olim impreſſum, & in plures Tomos diſtributum, ſub titulo: *Le Nouveau Teſtament en Francois, avec des reflexions morales ſur chaque verſet: &c. A Paris* 1699. Alitèr verò: *Abregè de la morale de l'Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de S. Paul, des Epiſtres Canoniques, e de l' Apocalypſe, ou Penſèes Chretiennes ſur le Texte de ces Livres Sacrez, &c. A Paris* 1693. & 1694. tametſi aliàs à Nobis damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiſcentem, adhuc tamen tanquam ab omni errore „

„ immunem, à pluribus haberi, Christifidelium manibus passim obtrudi, ac non-
„ nullorum nova semper tentantium consilio, & opera studiosè nimis quaqua-
„ versùm disseminari, etiam latine redditum, ut perniciosæ institutionis con-
„ tagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem, & de Regno ad po-
„ pulum alterum: versutis hujusmodi seductionibus, atque fallaciis creditum
„ Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis sensim abduci summoperè
„ doluimus; adeòque Pastoralis non minus curæ nostræ stimulis, quam fre-
„ quentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis, maximè verò complu-
„ rium Venerabilium Fratrum, præsertim Galliæ Episcoporum, literis, ac
„ precibus excitati, gliscenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora
„ quæque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.
„ Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providæ nostræ considera-
„ tionis intuitum convertentes, perspicuè novimus summam hujusmodi Li-
„ bri perniciem ideò potissimùm progredi, & invalescere, quòd eadem intus
„ lateat, & velut improba sanies, nonnisi secto ulcere foras erumpat, cùm
„ Liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat; molliti
„ enim sunt sermones ejus super oleum: sed ipsi sunt jacula, & quidem in-
„ tento arcu ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Ni-
„ hil propterea opportunius, aut salubrius præstari à Nobis posse arbitrati sù-
„ mus, quàm si fallacem Libri doctrinam generatim solummodò à Nobis ha-
„ ctenùs indicatam, pluribus singillatim ex eo excerptis Propositionibus; di-
„ stinctiùs, & apertiùs explicaremus, atque universis Christifidelibus noxia
„ Zizaniorum semina è medio Tritici, quo tegebantur, educta, velut ob ocu-
„ los exponeremus. Ità nimirùm denudatis, & quasi in propatulo positis, non
„ uno quidem, aut altero, sed plurimis, gravissimisque, tùm pridem da-
„ mnatis, tùm etiam novè adinventis erroribus, planè confidimus, benedi-
„ cente Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam, manifestæque veritati
„ cedere compellantur.
„ Id ipsum maximè è re Catholica futurum; sedandis præsertim in floren-
„ tissimo Galliæ Regno exortis ingeniorum variè opinantium, jamque in acer-
„ biores scissuras protendentium dissidiis apprimè proficuum: Conscientiarum
„ denique tranquillitati perutile, & propemodùm necessarium, non modò
„ præfati Episcopi, sed & ipse in primis Charissimus in Christo Filius noster
„ Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, cujus eximium in tuenda Ca-
„ tholicæ Fidei puritate, extirpandisque erroribus Zelum satis laudare non
„ possumus, sæpiùs Nobis est contestatus; repetitis propterea verè piis, &
„ Christianissimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis à Nobis efflagi-
„ gitans, ut instanti animarum necessitati prolata quantociùs Apostolici cen-
„ sura Judicii consuleremus.
„ Hinc adspirante Domino, ejusque cœlesti ope confisi, salutare opus se-
„ dulò, diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus, ac plu-
„ rimas ex prædicto Libro, juxta supra recensitas respectivè editiones, fi-
„ deliter extractas, & tùm Gallico, tùm Latino idiomate expressas Proposi-
„ tiones à compluribus in Sacra Theologia Magistris, primò quidem coram
„ duobus ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardi-
„ nalibus accuratè discuti: deinde verò coram Nobis adhibito etiam aliorum

plu-

plurium Cardinalium consilio, quàm maxime diligentia, ac maturitate, „
singularum insuper Propositionum cum ipsomet Libri Textu exactissimè fa- „
cta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari „
mandavimus. Hujusmodi autem Propositiones sunt, quæ sequuntur, „
videlicet. „

1 *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?*

2 *Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa, non solùm nihil fit, sed nec fieri potest.*

3 *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis.*

4 *Ita Domine; Omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.*

5 *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.*

6 *Discrimen inter Fœdus Judaicum, & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis a peccatore relinquendo illum in sua impotentia: in isto verò Deus Peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando.*

7 *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ verò felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?*

8 *Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.*

9 *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.*

10 *Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare.*

11 *Gratia non est aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet.*

12 *Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.*

13 *Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.*

14 *Quantumcumque remotus a salute sit Peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum.*

15 *Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctione sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.*

16 *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.*

17 *Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum: quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre.*

18 *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.*

19 *Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea quam Deus ipse Nobis tradit in omnibus suis Scripturis.*

20 *Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.*

21 *Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis Filium suum.*

22 *Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illicò nobis, in Incarnatione, veluti in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.*

23 *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua Creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

24 *Justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jesu Christi, in sanandis Corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus a cupiditate.*

25 *Deus illuminat animam, & eam sanat æque ac corpus sola sua voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur.*

26 *Nullæ dantur gratiæ, nisi per Fidem.*

27 *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.*

28 *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio.*

29 *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.*

30 *Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.*

31 *Desideria Christi, semper habent suum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.*

32 *Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, idest Electos, de manu Angeli exterminatoris.*

33 *Proh quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsi renunciasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit Sanctus Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

34 *Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.*

35 *Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ, & integræ.*

36 *Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset: ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.*

37 Gra-

37 *Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata; Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Jeſu Chriſto, eſt omnipotens, & digna Filio Dei.*

38 *Peccator non eſt liber niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris.*

39 *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum; Eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

40 *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.*

41 *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire, niſi a Deo, & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem, ad ipſum Deum; loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.*

42 *Sola Gratia Chriſti reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei; ſine hoc nihil, niſi impuritas, nihil, niſi indignitas.*

43 *Primus effectus gratiæ baptiſmalis, eſt facere, ut moriamur peccato; adeo ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus Mundi.*

44 *Non ſunt, niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & Amor, quo nos ipſos, ac Mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.*

45 *Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.*

46 *Cupiditas, aut Charitas, uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.*

47 *Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons eſt Charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius; alioquin non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.*

48 *Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine Charitate?*

49 *Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.*

50 *Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi: ſi ſpiritus Charitatis non eſt ille, qui clamat.*

51 *Fides juſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per Charitatem.*

52 *Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine: Sed hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia.*

53 *Sola Charitas Chriſtiano modo facit (actiones Chriſtianas) per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum.*

54 *Sola Charitas eſt, quæ Deo loquitur; eam ſolam Deus audit.*

55 *Deus non coronat, niſi Charitatem; qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit.*

56 *Deus non remunerat niſi Charitatem; quoniam charitas ſola Deum honorat.*

57 To-

57 *Totum deest Peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo; ubi non est amor Dei.*

58 *Nec Deus est, nec Religio, ubi non est Charitas.*

59 *Oratio Impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.*

60 *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta: eo magis ducit ad desperationem.*

61 *Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tandiù peccato addicitur, quandiu ab amore justitiæ non ducitur.*

62 *Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est Reus coram Deo.*

63 *Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.*

64 *Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.*

65 *Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.*

66 *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti Bestiæ, sed per fidem, & per amorem, sicuti filii.*

67 *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.*

68 *Dei Bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in Fide, & precibus.*

69 *Fides, usus, augmentum, & præmium Fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.*

70 *Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem.*

71 *Homo ob sui conservationem potest se se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.*

72 *Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & justos terræ, & omnium Sæculorum.*

73 *Quid est Ecclesia, nisi cœtus Filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri Sæculi?*

74 *Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet, ut Caput, omnes verò Sanctos, ut membra.*

75 *Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est Caput, vita, subsistentia, & persona; Unus solus Christus, compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator.*

76 *Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes Electi, & Justi omnium Sæculorum illam componunt.*

77 *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Christi, cessat interius*

riùs habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro Capite.

78 *Separatur quis a Populo Electo, cujus figura fuit Populus Judaicus, & Caput eſt Jeſus Chriſtus, tam non vivendo ſecundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.*

79 *Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, Pietatem, & Myſteria Sacræ Scripturæ.*

80 *Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus.*

81 *Obſcuritas Sanctæ verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione.*

82 *Dies Dominicus a Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.*

83 *Eſt illuſio ſibi perſuadere, quod notitia Myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis, lectione Sacrorum librorum. Non ex fœminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia, ortus eſt ſcripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes.*

84 *Abripere e Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.*

85 *Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere, ut patiantur ſpeciem quamdam excommunicationis.*

86 *Eripere ſimplici Populo hoc ſolatium, jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei.*

87 *Modus plenus ſapientia, lumine, & Charitate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi, ad minus, ſatisfacere juſtitiæ Dei antequam reconcilientur.*

88 *Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.*

89 *Quartus decimus gradus converſionis Peccatoris eſt, quod, cum ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ.*

90 *Eccleſia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius Corporis.*

91 *Excommunicationis injuſtæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro. Nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia, videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per Charitatem affixi ſumus.*

92 *Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quam prodere veritatem, eſt imitari Sanctum Paulum: tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra Authoritatem, aut ſcindere unitatem.*

93 *Jeſus quandoque ſanat vulnera, quæ præceps Primorum Paſtorum feſtinatio infligit, ſine ipſius mandato; Jeſus reſtituit, quod ipſi inconſiderato Zelo reſcindunt.*

94 Ni-

94 *Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.*

95 *Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum; adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium; Neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in Filios suos.*

96 *Deus permittit, ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ.*

97 *Nimis sæpè contingit, membra illa, quæ magis sanctè, ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata; sed Justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.*

98 *Status persecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam Hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.*

99 *Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, V. G. bonos libros, instructiones, sancta exempla, &c.*

100 *Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos, Tempus hoc advenit .... Haberi, & tractari a Religionis Ministris, tamquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & Zelo quodam Religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo Impium, & sacrificamus Diabolo Dei Servum.*

101 *Nihil spiritui Dei, & doctrinæ Jesu Christi magis opponitur; quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant consilio Impiorum.*

Auditis itaque tum voce, tum scripto Nobis exhibitis præfatorum Car-
„ dinalium, aliorumque Theologorum suffragiis, divinique in primis lumi-
„ nis, privatis ad eum finem, publicisque etiam indictis precibus, implo-
„ rato præsidio; omnes, & singulas Propositiones præinsertas, tanquam fal-
„ sas, & captiosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas,
„ perniciosas, temerarias, Ecclesiæ, & ejus praxi injuriosas, neque in Ec-
„ clesiam solùm, sed etiam in Potestates sæculi contumeliosas, seditiosas, im-
„ pias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, nec-
„ non hæreticis, & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hære-

si pro-

si proximas, plurìes damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses; & potissimum illas, quæ in famosis Jansenii Propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifestè innovantes, respectivè, hac nostra perpetuò valitura Constitutione declaramus, damnamus, & reprobamus. „

Mandantes omnibus utriusque sexus Christifidelibus, ne de dictis Propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac eadem Nostra Constitutione continetur; ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, Ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes à Jure statutis pœnis ipso facto, absque alia declaratione, subjaceat. „

Cæterum per expressam præfatarum Propositionum reprobationem alia in eodem Libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum præsertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus Propositiones illis, quæ, ut supra, damnatæ fuerunt, consimiles, & affines, iisdemque erroribus imbutas: nec sanè paucas sub imaginario quodam, veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, easque falso Christianæ patientiæ nomine prædicantes; quas propterea singulatim recensere, & nimis longum esse duximus, & minimè necessarium; ac demum, quod intolerabilius est, Sacrum ipsum Novi Testamenti Textum damnabiliter vitiatum compererimus, & alteri dudum reprobatæ versioni Gallicæ Montensi in multis conformem: à vulgata verò editione, quæ tot Sæculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, & aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, ac sepè noxios sensus, non sine maxima perversitate detortum. „

Eumdem propterea Librum, utpotè per dulces sermones, & benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piæ institutionis imagine, seducendis Innocentium cordibus longè accommodatum, sive præmissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, auctoritate Apostolica tenore præsentium iterum prohibemus, ac similiter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & singulos in ejus defensionem tam scripto, quam typis editos, seu forsan (quod Deus avertat) edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus. „

Præcipimus insuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis; necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas præfatas, aliaque Juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omninò coerceant, & compellant, „

Volumus autem &c. „

Ad Bajanos innovandos errores, ac propugnandos, volumen mole magnum

gnum, doctrina intolerabile Jansenius Iprensis Episcopus (ab alio Cornelio Jansenio Episcopo Gandavense, qui anno decessit 1576., longè diversus) non sine longo annorum studio, duorum nempè, & viginti annorum elaboravit; quod primò *Baji Apologia* (testantibus Duchesne, & Tournely), deinde *Augustinus*, non sine dolo,& ad fallendos sub magno Augustini nomine simpliciores, inscripsit; in tres tomos divisum: Hæresis Pelagiana primum occupat, per octo libros; sed quam sit ad libitum enarratio illa consarcinata, pessimaque fide, doctissimus Auctor *Analysis Augustini Jansenii lib.2.* per totum fusè demonstrat: de gratia primi hominis, & Angelorum, liber unus; de statu naturæ lapsæ, libri quatuor; & de statu naturæ puræ, libri tres, secundus est tomus: tertius verò est de gratia Christi Salvatoris per decem libros; quibus liber unicus accedit, qui dicitur Paralellum Erroris Massiliensium, & opinionis quorumdam Recentiorum. Præfixus operi titulus hic est, *Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis Augustinus, seu doctrina S. Augustini de humanæ naturæ Sanitate, Egritudine, Medicina, Adversus Pelagianos & Massilienses*. Totus est in primo tomo Jansenius, ut ostendat scholasticorum, ac præsentis Ecclesiæ doctrinam, errores fuisse Massiliensium; damnatas verò Baji sententias, S.Augustini, ac primitivæ Ecclesiæ fuisse fidem, per totum *tomo* 3., non minus quàm 2. demonstrat. Quæ scripserat Bajus in libris *de primi hominis justitia, ac de meritis operum*, probat ipse libris quatuor *de gratia primi hominis; & de statu puræ naturæ*: quæ verò in tribus Opusculis *de peccato Originali, de libero arbitrio, ac de Virtutibus impiorum*, scripserat ille; latè propugnat ipse in libris quatuor *de statu naturæ lapsæ*. Hinc & Janseniani operis duplex tibi est satis fidele Summarium, unum in septuagintanovem prædamnatis Baji propositionibus à Summis Pontificibus *Pio V., & Gregorio XIII.*, quas excusandas ipse susceperat; alterum in Centum una Quesnelli propositionibus, à Clemente XI. per constitutionem *Unigenitus Dei Filius*, recentissimè, Catholico toto plaudente Orbe, damnatis; in quibus fere totum Janseniani Operis Venenum quasi lambice videtur exceptum. Quinque verò celebres damnatæ propositiones Jansenii totius sunt operis scopus.

De Veteri Testamento, ac de Populo Judaico loquentem, horret audire Jansenium; de primo dicit *tom. 3. lib. 3. cap.6.*, *Nihil omninò spirituale in veteri testamento promittitur, sed sola Carnalia*; de altero ait ibidem, *sinagoga non erat aliud, quam terrena populi turba, hominumque carnalium Congregatio*; quod *Cælestium incapax erat Cogitationum; inutilis erat saluti; nec multam Gentilibus præstiterit*; de primo ait ibidem, *nihil aliud fuisse, nisi magnam quasi Comœdiam*; de altero ait *cap.7. non adfuit hominibus sub lege viventibus gratia sufficiens servandi legem, vel ullum præceptum ejus*; item, *status veteris testamenti non afferebat Judæis gratiam sufficientem, sed potius impedientem*; hæc de lege divina, ac de Populo Dei electo Jansenius inquit. Non sic Sacra loquitur Scriptura; *observa omnia, quæ hodie mando tibi*; de veteri testamento ait Deus *Exodi* 34.; & Moyses *Deutor. 4. Custodite mandata Domini Dei nostri; & cap.5. discite ea, & opere Complete; & cap.8. Cave diligenter ut facias*: terrena erant quæ promittebantur, ac terroris plena, sed ad cœlestem vitam ordinata; *Custodite*

leges

leges meas, atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis, ait Deus *Levit.* 18.; & Baruch *cap.* 4. *hic liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum*; quibus & verba illa respondent *Matth.* 19. ubi Judæo interroganti, *quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Christus ait, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: de illorum multitudine præceptorum rationem dat S. Justinus in Dialogo cum Tryphone, *ut per complura* (inquit) *ista instituta in actione omni ob oculos vestros esset Deus*; & S. Irenæus *lib.* 4. *adversus hæres. cap.* 13. ait, *Animam erudiebat, velut per vinculum attrahens ad obedientiam præceptorum, ut disceret homo servire Deo*: hæc ne lex tantùm carnalis, & magna quasi comædia?

De populo Judaico quid Scriptura dicat, audiamus; *Deuteron.* 14. illum vocat, *populum Sanctum Domino suo, quem elegit, ut sit ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, quæ sunt super terram; & cap.* 32. *funiculum hæreditatis Domini*, quem *custodivit ut pupillam oculi sui, quem portavit in humeris suis*: hic ne populus carnalis, & omni gratia sufficiente destitutus ad præceptorum observantiam? præcipiens impossibilia, tyrannicè jubet; quique hortatur ad illa, insipienter agit: non sic Deus cum populo suo; cum dicat *Isaia* 5. *viri Juda judicatè inter me, & vineam meam: quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?* & deinde, *Vinea enim Domini exercituum Domus Israel est, & vir Juda germen ejus delectabile* &c. & *Actorum* 7. S. Stephanus sic Judæis exprobrat, *dura cervice &c. vos semper Spiritui Sancto resistitis; sicut patres vestri, ita & vos* S. Augstinum Pelagianos redarguentem audiamus *lib.* 3. *ad Bonifacium cap.* 4. *Quis enim* (inquit) *Catholicus dicat, quod nos dicere jactitant, Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in veteri testamento non fuisse?* & *lib. de gratia & libero arbitrio cap.* 12. *de se præsumentes* (Judæi) *gratiam repellebant, & propterea in Christum non credebant*. Inutilia, immò & mortifera erant præcepta illa, sed Evangelicæ legis tempore: Inutilia quoque semper fuere ad salutem, quantum erat vi legis, secus autem per gratiam Jesu Christi; *legem veteris Testamenti* (de Pelagianis loquitur S. Augustinus ibidem *cap.* 2.) *nos, ajunt, dicere, non ab hoc datam fuisse, ut justificaret obedientes; sed ut gravioris fieret causa delicti*; ac de ignorantia illos accusat, *prorsus non intelligunt quid de lege dicamus* &c.; *quis enim dicat non justificari eos, qui sunt legi obedientes; quando nisi justificarentur non possent esse obedientes? sed dicimus, lege fieri, ut Deus, quid velit, audiatur; gratia Dei fieri, ut legi obediatur*. Nec refert, tunc Messiam adhuc fuisse venturum; siquidem *Gratia Dei* (inquit S. Leo Magnus *serm.* 5. *de Nativit.*) *quæ semper est universitas justificata Sanctorum, aucta est Christo nascente, non cœpta* &c. *ut non minus adepti sint qui illud credidere promissum, quam qui suscepere donatum*. Quesnelli Oppositores in propositiones 6. 7. 65.; Analysis Janseniana *lib.* 4. *cap.* 1., Boucat *dissert.* 4. *de gratia controversia* 4.; *art.* 4.; & Merlinus *dissert. in legem Mosaicam*, cætera solvunt objecta.

Quid iniquius eo, quod de universalitate Redemptionis Jansenius habet *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 21., per hæc verba, *Quæ sanè cum in Augustini doctrina perspicua, certaque sint; nullo modo principiis ejus consentaneum est, ut*

Christus Dominus, *vel pro Infidelium in infidelitate morientium*; *vel pro Justorum non perseverantium æterna salute*, *mortuus esse*, *sanguinem fudisse*, *semetipsum redemptionem dedisse*, *Patrem orasse*; *sentiatur*; *ex quo factum est*, *ut juxta Sanctissimum doctorem*, *non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum*, *quam pro diaboli deprecatus fuerit*. At opposito nihil in scriptura clarius; ad Romanos *cap.5. sicut per unius delictum*, *in omnes homines* (culpa pertransiit) *in condemnationem*; *sic & per unius justitiam in omnes homines* (redemptio, quantum est ex parte Christi) *in justificationem vitæ*; adeoque non minor ex Apostolo extensio Redemptionis Christi ad omnes homines, quam illa originalis peccati: & secunda ad *Corinth. 5. si unus pro omnibus mortuus est*, *ergo omnes mortui sunt*; *& pro omnibus mortuus est Christus*: ubi ex universalitate redemptionis pro omnibus hominibus universalitatem originalis culpæ concludit; igitur extendenda utraque ad omnes homines, nullo excepto; alias à particulari ad universale foret illatio, adeoque nulla; quasi diceret, *si unus mortuus est* pro aliquibus; *ergo omnes mortui sunt*: profectò si quis diceret, *currunt aliqui*, *ergo & omnes currunt*, ridicula foret illatio. At invictissimam hanc illationem Apostoli contra Julianum passim urget S. Augustinus; *unus pro omnibus mortuus est* (inquit *lib.1.operis imperfecti cap. 64.*) *ergo omnes mortui sunt*; *conclusio hæc Apostoli invicta est*; & *lib.2. cap.163. clamat Apostolus*; *ergo omnes mortui sunt*, *& pro omnibus mortuus est*; *& vos reclamatis*; *non sunt mortui parvuli*; *clamate & quod sequitur*; *ergo non pro ipsis mortuus est*. Unanimem hunc esse Patrum sive Latinorum, sive Græcorum sensum fusè probant Quesnelli Oppositores in propositionem 30., & sequentes; Episcoporum Galliæ Instructiones; Duchesne Historiæ Prædestinatianæ *lib.1. cap.1. num.25.*; ac recentes Polemici passim.

Dices, idem ergo dicendum de Infidelibus omnibus, ac de peccatoribus etiam obduratis, & excæcatis; nempè pro illis omnibus, nullo excepto, orasse, ac mortuum esse Christum. Utique; datæque rationes ostendunt: *sicut nullum* (inquit S.Leo Magnus *serm.1. de nativitate*) *à reatu liberum reperit*, *ita liberandis omnibus venit*: Concilium Carisiacense habitum contra Gothescalcum, sæculo 9. circa medium, *Can.2.* ait, *sicut nullus homo est*, *fuit*, *vel erit*, *cujus natura in illo assumpta non fuerit*; *ita nullus est*, *fuit*, *vel erit homo*, *pro quo passus non fuerit*: firmat hoc ipsum expressis verbis Concilium Tullense generale Gallicanum (fuit enim Concilium Nationale, cui interfuerunt 14. Provinciarum Episcopi) quod habitum est anno 860., sicque habet in Epistola Synodica, *Deum velle omnes homines salvos fieri*, *& neminem perire* &c.; *Christus qui Corporis morte in Cruce pro omnibus mortis debitoribus*, *solus inter mortuos liber*, *à mortis debito dormiens &c.*; sicque definitur mortuum esse Christum pro illis omnibus hominibus, qui debitores mortis erant, seu ad æternam mortem damnati, & quidem nullo excepto; cum addatur, solum Jesum Christum ad æternam mortem non esse damnatum. Quæ sunt in oppositum auctoritates præsertim Augustini, quibus negatur Dei voluntas salvandi omnes homines, vel pro omnibus orasse, & mortuum esse Christum; vel omnibus dari sufficientiam ad fidem, vel justificationem; de voluntate loquuntur efficaci. &

ab-

absoluta; de oratione, ac morte Christi sic efficaciter, & absolutè pro æterna omnium hominum salute applicata; ac de sufficientia ad fidem, vel justificationem proxima, & immediata; secùs autem de voluntate seria, inefficaci, & conditionata, satis verbis illis expressa *Matthæi* 19. *si vis ad vitam ingredi serva mandata*: si sanctis vocationibus, ac inspirationibus minimè resistant; ad quod sufficientiam saltem mediatam à benignissimo Deo per merita Jesu Christi, nullo excepto; omnes homines habent; cum omnes teneantur Adulti, nullo quidem excepto, æternam sibi procurare salutem; ac omnes, nullo excepto, ad illam assequendam Deus hortetur: *non igitur Deus* (ait S. Augustinus *lib. de natura, & gratiâ cap.* 44.) *impossibilia jubet; sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis*; & *lib. de gratia, & liber. arbitr. cap.* 16. *ideo jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus*. Dicitur Deus aliquos obdurare, & excæcare in pœnam, non quia malitiam, vel impotentiam ad bonum impertitur; sed quia gratiam denegat efficacem: obdurati, & excæcati impotentes ad Conversionem aliquando dicuntur, impotentia non quidem antecedente, sed ad illorum obstinationem consequente; *quare non poterant credere* (de Judæis inquit Augustinus *tract.* 53. *in Joan:*) *quia nolebant*; sic in Pharaone contigit *Exodi* 9.: Istorum aliqui orant aliquando, ac petunt à Deo misericordiam, quin exaudiantur; cum nolint, ut ad salutem oportet, orare, sed ad alium finem; sic pro temporali salute orabat Antiochus 2. *Machabæor.* 9.; & ablata sibi primogenita deflebat Esau, *ad Hebræos* 12. Infidelitas purè negativa in iis, qui nihil unquam de Christo audierunt, non imputatur ad culpam; constat ex 68. propositione inter damnatas contra Bajum: at legis naturalis inobservantia in iis, quæ nobis naturaliter nota sunt, imputatur; unde ad hanc, non ad illam vitandam gratiam habent sufficientem proximam, ac immediatam; qua fit, ut ab observantia legis naturalis ad Christi fidem facilis sit transitus: hinc *expositione* 1. *in psalmum* 18. ad illa verba, *non est qui se abscondat a calore ejus*, ait S. Augustinus, *cum autem verbum etiam caro factum est, & habitavit in nobis, mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis, & ipsam enim penetravit verbi calor.*

Dices iterùm, idem ergo dicendum de Infantibus sine baptismo decedentibus. Utique; ac de fide certum esse, censet doctissimus Simonnet; omnesque datæ rationes probant; & quidem clarissima sunt Apostoli verba, *si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*; & Augustinus, *conclusio hæc Apostoli invicta est*. Certum est autem etiam infantes spiritualiter esse mortuos per Adæ peccatum. Nec audiendus Vasquez, cum ait, intelligendum id esse de sufficientia, magnitudine, & potentia pretii Sanguinis Christi, secus autem de ipsius efficientia, & applicatione: siquidem hoc ipsum Novatores admittunt: quo non obstante à Sacro Concilio Tridentino *sess.* 6. *de Justificatione cap.* 2. & 3. damnantur; tum quia eodem sensu etiam mortuus pro dæmonibus dici posset, ut Tournely optimè notat: Hinc Tridentinum ait *cit. cap.* 3. *verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium* (per justificationem) *recipiunt; sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur*, videlicet

per

per Sacramenta, vel bona opera: ubi vides etiam illos Christi Sanguine redemptos, quibus per justificationem applicata non sunt merita Christi. Sunt ergo Infantes sine baptismo decedentes etiam ipsi Christi Sanguine redempti; quamvis Christi merita per baptismi Sacramentum illis applicata non fuerint. Quæ sunt in oppositum auctoritates, præsertim Augustini, de redemptione justificativa efficaci, & absoluta sunt explicandæ; secus autem de vera, ac propria redemptione, sed relatè, sive ad actualem justificationem, sive ad cœlestem gloriam assequendam, inefficaci, & conditionata: sicque intelligendus Augustinus cum ait *lib. de dono perseverantiæ cap. 12.*; *plerumque festinantibus parentibus, & paratis Ministris, ut baptismus parvulo detur; Deo tamen nolente, non datur*, siquidem non datur, *Deo nolente*, voluntate, non quidem antecedente, universali, & conditionata, sed absoluta, & consequente solum ad naturalium, sive moralium impedimentorum prævisionem; ad eum planè modum, quo non voluntate antecedente, sed consequente solum ad finalis impænitentiæ prævisionem, reprobat Adultos; & sicuti Deus æternam vult salutem Adultorum omnium, ipsorum liberum servando arbitrium, & si mandata servent, ac divinis non resistant inspirationibus; sic & parvulorum omnium vult salutem Sacramento baptismi conferendam, naturalium causarum servando cursum, & si causæ naturales non obstent, vel incuria parentum: *isti paucorum dierum homines* (ait D. Prosper, vel quisquis sit Auctor, *lib. 2. de vocatione gentium cap. 23.*) *ad illam pertinent gratiæ partem, quæ semper universis impensa est nationibus, qua utique, si benè uterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur*: Sanctæ illuminationis, ac inspirationis incapaces sunt infantes illi; adeoque non in se ipsis, sed in iis, quorum demandati sunt curæ, à Deo sufficientiam ad salutem habent.

Aliquando sine baptismo decedunt Infantes, cum baptizari non possint; at non miserentis Dei omnes parvulos sincerissimè salvare volentis, sed causarum secundarum defectus erit; *non ex defectu divinæ Misericordiæ* (ait Angelicus Doctor *in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 1.*) *existentibus in visceribus matris remedium non exhibetur, sed quia non sunt capaces illius remedii.* Inscrutabili Dei judicio tribuit S. Augustinus *cit. Cap. 12., & lib. 4. Contra Julia: Cap. 8., & Epist. 105.*, quod unus infans, secus alter sine baptismo decedat; sicuti eidem tribuendum est, quod unus Adultus, secus alter sit efficaci vocatione à Deo vocatus. Nec dicas, non potuit Christus seriò pro illis orare, ac subire mortem, quos sciebat ab æterno à Deo reprobatos, ac certissimè damnandos. Contra, non potuit quidem pro illorum æterna salute orare, ac mori, voluntate absoluta, & efficaci; benè verò voluntate inefficaci, & conditionata, & quantum erat ex parte ipsius sincerissima: nec inter se pugnant voluntates illæ; ut enim Deus sincerissima voluntate vult omnium hominum salutem, quamvis voluntate consequente solùm ad finalis impœnitentiæ prævisionem, multos reprobet homines; sic & pari modo pro omnibus oravit, ac mortuus est Christus; & quidem pro signo antecedente, secus autem ad illorum reprobationem consequente, pro illis oravit: aliàs dicendum esset, pro solis prædestinatis orasse, ac mortuum esse Christum; quod est contra Tridentinum, & pluriès, ut hæreticum damnatum est; ac meritò satis, cum verbo Dei tum scripto, tum tradito damnetur;

qui

qui propter nos homines (habet in Symbolo Sancta Nicæna fides) *& propter nostram salutem descendit de Cœlis* &c. *passus, Crucifixus, ac mortuus est*; non dicit, propter nos *prædestinatos*, vel propter nos *baptizatos*, sed *propter nos homines*; cum una sit omnium hominum causa, ut una est omnium hominum natura; ut Patres, & Concilia docent: *cum itaque* (ait S. Prosper ad primum objectum Vincentianum) *propter unam omnium naturam, & unam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, verè omnes dicuntur redempti, & tamen non omnes à captivitate sunt eruti*. Nec refert, quod si Deus seriò vellet omnes salvare homines, omnes salvarentur, cum ipse reverà omnes salvare possit: siquidem de sola voluntate seria efficaci, & absoluta hoc est intelligendum, secus de voluntate seria inefficaci, & conditionata; idque verificari saltem in aliquibus reprobatis Catholica fides docet: *Provisor universalis* (ait Angelicus Doctor *1. part. quæst. 22. art. 2.*) *permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius*: Immò & in omnibus reprobatis verificari, superiùs dicta demonstrant. Hinc & plures sunt qui putant definitum id esse ab Innocentio X. contra Jansenium in secunda parte quintæ propositionis damnatæ, in illis verbis, *& intellectum eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, hæreticam declaramus*: dicunt enim ly *dumtaxat* damnatum esse in sensu ab Auctore intento; certum est autem, per Jansenium asseri, sic mortuum esse Christum pro solis prædestinatis, ut pro reliquis omnibus non magis quam pro diabolo mortuus sit Christus: sicque videtur pro salute æterna cæterorum hominum, nullo excepto, magis quàm pro illa diaboli, Christum mortuum esse, definiri.

Dices tandem, Deum velle omnes homines salvos fieri, nullo excepto; & pro omnibus hominibus mortuum esse Christum, error fuit Massiliensium, teste Fulgentio *lib. de Incarnatione, & gratia cap. 29.*, & Prospero *in Epistola ad Augustinum*: Immò & cum Apostoli verba, *qui vult omnes homines salvos fieri* &c., explicat S. Augustinus contra Pelagianos, ac Semipelagianos, de voluntate salvandi omnes, nullo excepto, nunquam intelligit, sed tantum de aliquibus, ac de solis prædestinatis. Contra, Deum velle omnes homines salvos fieri, & pro omnibus, nullo excepto, mortuum esse Christum, cum Apostolo tota fatetur Ecclesia; fatebantur & Massilienses, pessimè tamen errantes, quod vellent, pro omnibus æqualiter mortuum esse Christum; Deum velle omnes homines salvos fieri, sed æquali modo, eademque voluntate; *proinde* (ait S. Fulgentius *cit. cap. 29.*) *hi, qui voluntatem Dei, qua vult omnes homines salvos fieri, æqualem circa redimendos, & damnandos existimant; cum interrogati fuerint, cur velit Deus omnes homines salvos fieri, nec tamen omnes salvi fiant, quid respondebunt*? specialem voluntatem relatè ad prædestinatorum salutem, negabant Massilienses, requirebat Ecclesia; *qui & omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem venire veritatis: & voluntatis suæ propositum in iis implet, quos præscitos prædestinavit, prædestinatos vocavit, vocatos justificavit, justificatos glorificavit* (ait S. Prosper *sententia 8. super Capitula Gallorum*) & *in responsione ad 2. objectionem Vincentianam*; *sincerissimè*

ſimè credendum, Deum velle, ut omnes homines ſalvi fiant &c.; *ex quibus quod multi pereunt, pereuntium eſt meritum; quod multi ſalvantur, ſalvantis eſt donum*. Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, nullo excepto, ſicque Deum velle ſinceriſſima voluntate omnes homines ſalvos fieri, contra Pelagianos millies tradit, ut viſum eſt, Auguſtinus: quod ſi diverſo modo, & cum limitatione loquatur aliquando, de voluntate loquitur abſoluta, conſequente, ac efficaci, ſecus autem de inefficaci, antecedente, & conditionata.

Innumera ſunt (quis non videt?) Janſeniani operis errata; ſed omnium illorum unicum principium eſt, ac fundamentum (oſtendunt Tournely *de gratia a pag. 242. edit. Veneta*; *Bibliotheca Janſeniana tom. 1. a pag. 105. edit. 3.*, aliique paſſim) nempè quod poſt Adæ lapſum voluntas ſola delectatione moveatur, quæ ne adveniat inimpedibilis eſt, cum verò advenerit, irreſiſtibilis, non quidem abſolutè, ſed conditionatè, ſeu relatè ad minorem oppoſitam delectationem; ſicque voluntas neceſſariò bonum agit, vel malum juxtà majorem cœleſtis gratiæ, vel concupiſcentiæ malæ attractum, ſeu delectationem: noſtræ voluntatis œconomiam in hoc ſtatu bilancis explicat exemplo, in qua ſi duo fuerint pondera inæqualia, neceſſe omninò eſt, eam bilancis partem deprimi, ac inclinari, in qua majus eſt pondus; ſic & voluntas relatè ad majoris delectationis attractum: quo non obſtante, per Janſenium, liberè voluntas agit, quia voluntariè, immò & cum indifferentia ad utramque neceſſitatem agit; cum ſive gratiæ ſint, ſive concupiſcentiæ delectationes illæ, alternatim minui poſſint, vel augeri, ſintque mutabiles; ſic habet *tomo 3. à libro 6.*, & paſſim alibi.

Nil magis Sacris Scripturis oppoſitum, quam per Adæ peccatum libertatem indifferentiæ, ſeu electionis ad agendum, fuiſſe deperditam: *Optio vobis datur, eligite hodie, quod placet*, Joſue ult.: *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus*, *Eccleſ.* 31.; ſicque paſſim apud Bellarminum, Simonnet, Tournely, Boucat, Fraſſen, Henno, Dupaſquier. *Non quod volo bonum hoc ago; ſed quod odi malum, hoc facio*; ait Apoſtolus *ad Roman.* 7.; at non de peccato loquitur, ſed de involuntariis concupiſcentiæ motibus: cum verò 2. *ad Timot.* 2. de impiis, & incredulis inquit, quod à diabolo *captivi teneantur ad ipſius voluntatem*, de voluntariè, ac liberè peccantibus, & minimè reſipiſcentibus loquitur: *Matthæi* 7. ait Chriſtus, *non poteſt arbor bona, malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*; cum malè agere non poſſit homo, ſi operatur ut bonus, nec benè agere, ſi operatur ut malus; at utrumque poteſt homo, ſi ut libertate præditus agat: *quare iratus es* (ait Deus Cain *Geneſ.* 4.) &c. *nonnè ſi bene egeris recipies* &c. *Sub te erit appetitus ejus* (peccati) *& tu dominaberis illius*: Cainum potuiſſe non iraſci contra fratrem ſuum Abelem, denotat ly *quare*; quis enim diceret homini, *quare* non volas? ly quoque *ſi bene egeris, recipies*; cum illuſorium eſſet, homini, ſi volet, promittere præmium: illud etiam *ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis* appetitui ad peccatum allicienti; ſiquidem ſi neceſſariò peccaret homo, appetitus peccati non illi ſubeſſet; nec peccati allicientiæ dominaretur homo. Hinc & propoſitiones illas, unam Baji, *homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſariò*

facit;

facit; alteram Jansenii, *ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*, meritò Summi Pontifices damnarunt. Quæ in oppositum videntur auctoritates Patrum, facillimæ sunt solutionis; cum per Adæ peccatum sit amissa libertas ab ignorantia, à concupiscentiæ motibus, à miseriis, ac infirmitatibus etiam mortis, quibus in hoc statu omninò subjectus est homo, dominabatur verò in felicissimo illo statu innocentiæ; hanc negant Patres mansisse libertatem, secus verò illam electionis, ac indifferentiæ; *quis nostrum dicat* (inquit S. Augustinus *lib.* 1. *contra duas Epistolas Pelagianorum cap.* 2.) *quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium ab humano genere; libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in Paradiso fuit; habendi plenam cum immortalitate justitiam; propter quod natura humana indiget gratia*: sicque intelligendus, cum ait *in Enchiridio cap.*30. *libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit, & ipsum; & cum libero peccaret arbitrio, victore peccato, amissum est & liberum arbitrium.*

Illud Augustini effatum *in Commentario Epistolæ ad Galatas, secundum illud operemur necesse est, quod amplius nos delectat*; millies pro suo errore Jansenius obtrudit, de necessaria, ac indeliberata delectatione primus omnium Catholicorum textum explicans. At malè; cum de necessitate loquatur S. Augustinus omninò consequente ad plenè deliberatum voluntatis actum; qualis illa est, de qua loquitur, delectatio; ac docti Recentiores ostendunt Simonnet, Merlinus, Daniel. Duplicem delectationem distinguit Augustinus, unam necessariam, quam dicit *esse in nobis sine nobis lib. de gratia, & libero arbitrio cap.* 17.; cum non sit in nobis, nobis liberè cooperantibus; tales sunt sanctæ illustrationes, sanctæ inspirationes: alteram verò deliberatam, ac plenè liberam; ut si quis interroganti *cur hoc facis*; respondeat, *quia sic volo, sic mihi facere placet*. Ad primam delectationem habendam, liberi non sumus, cum necessaria sit, ac inevitabilis; benè verò ad illam sequendam, vel ei resistendum, plenam habemus libertatis indifferentiam; testatur de se ipso S. Augustinus *lib.* 8. *Confessionum cap.* 8. inquiens, *non faciebam, quod incomparabili affectu ampliùs mihi placebat*: & *Apocalypsis cap.* 3. habetur, *ego sto ad ostium, & pulso* (en cœlestis delectatio indeliberata, & quæ *in nobis est sine nobis*) *si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum* (en ad delectationem illam sequendam cujuscunque necessitatis exclusio). Non sic altera delectatio, de qua hic loquitur Augustinus; cum actus sit liber, ac plenè deliberatus; siquidem ad illam habendam, si bona sit, ac licita, passim nos ipse hortatur; *quid est trahi voluptate* (inquit *tractatu* 16. *in Joannem cap.* 4.)? *delectare in Domino, & dabit tibi petitiones Cordis tui*; & *serm.* 17. *de verbis Apostoli, præponite delectationi carnis delectationem mentis; carnem quippè vestram delectant illicitæ voluptates; mentem vestram delectet justitia* &c.: nullus autem ea facere admonetur, quæ necessariò facit; nonnè stultum esset, hominem ad non volandum hortari? deliberata hac posita delectatione, si efficax sit, & absoluta, necessariò, necessitate quidem consequente, sequitur actio; *secundum illud, operemur necesse est* (necessitate consequente) *quod amplius delectat* (deliberata nempè, ac li-

bera delectatione): siquidem ad deliberatum efficax voluntatis imperium, necessariò actio sequitur imperata.

Gratiam, cui voluntas in præsenti statu resistere possit, & quæ sit cum libertatis indifferentia ad utrumque oppositum, contendit Jansenius, gratiam esse Pelagianam. At malè; non quidem in hoc Pelagiani errabant (siquidem hæc erat Ecclesiæ doctrina) sed in eo, quod hæc esset in homine libertatis indifferentia etiam ad opera salutaria sine adjutorio gratiæ: *Non hinc estis Pelagiani*; (ait S. Augustinus *lib. 2. de Nuptiis, & concupisc. cap. 3.*) *liberum in hominibus esse arbitrium, utrique fatemur; liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adjutorio gratiæ, hoc vos dicitis; hinc estis Pelagiani*; quid clarius? idemque Augustinus habet *lib. 1. ad Bonifacium cap. 2.* & *Epistola 47. ad Valentinum*, nulla quidem Pelagium inter, & Sanctum Augustinum de gratia necessitante, de gratia irresistibili admittenda, controversia fuit; sed solùm de necessitate gratiæ ad agendum bonum. In eo quoque Pelagius, ac Cœlestius errabant, quod dicerent (teste Mario Mercatore in *Commonitorio*) *quoniam peccatum Adæ ipsum solùm læsit, & non genus humanum*; & S. Augustinus *lib. de natura, & gratia cap. 6.* illorum sic errata collegit, *Natura hominum neque in parvulis medico, quia sana est; neque in majoribus gratiæ adjutorio eget, quia sibi sufficiens*: æqui fortes nunc volebant esse homines, quam erat Ada in statu innocentiæ, ac indifferentes illos esse sive ad bonum, sive ad malum, non solùm indifferentia electionis (quam & Catholici omnes admittunt) sed etiam æquilibrii; quatenus in nobis sive ad bonum, sive ad malum æqualis sit inclinatio: *quantum quisque ad malum* (de illis ait S. Prosper *in Epistola ad S. Augustinum*) *tantundem habet facultatis ad bonum; parique momento animus se vel ad vitia, vel ad virtutes movet*: hæc autem indifferentia nunquam in humano genere fuit; non quidem in præsenti statu, in quo unusquisque tentatur à concupiscentia sua; nec pro statu innocentiæ, in quo summa erat ad bonum inclinatio: de gratia parva hæc Augustinus habet *lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 17. Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem suam, sed adhuc parvam, & invalidam; poterit autem, cum magnam habuerit, & robustam*. At in sensu loquitur ab illo Jansenii longè diverso, cum de gratia loquatur non quidem insufficiente, seu quæ parva sit parvitate virtutis, sed effectus, quatenus ex hominis malitia, ac resistentia suo careat effectu: *minima gratia* (ait Angelicus Doctor *3. part. qu. 62. art. 6. ad 3.*) *potest resistere cuilibet concupiscentiæ*; idem habet *qu. 70. art. 4.* talis fuit ex Augustino gratia, quam Div. Petrus habuit; parva illa fuit non parvitate virtutis; siquidem cum illa Petrus bonam habuit voluntatem, Christo respondens, *animam meam pro te ponam*; sed parvitate actionis, & quidem relatè ad bonæ voluntatis executionem, quam, cum posset, à Deo petere noluit; ut enim ibidem ait *cap. 16. Deus ideo jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus*.

Inquies, inter gratiam Sanitatis, quæ data fuit Adæ pro statu innocentiæ, & gratiam Medicinalem; quæ in præsente statu nobis datur, hoc esse, ex Augustino discrimen *lib. de correct. & gratia cap. 11.*, & *12.*, quod illa, secus hæc altera a libero penderet arbitrio; cui & voluntas resistere potuisset.

set. Contra, malè hoc Jansenius objicit post Calvinum: inter utramque gratiam plura assignat ibi discrimina S. Augustinus, sed allatum nec dare somniavit; primum est, quod una, non altera ex meritis mortis Christi data fuerit; *ille* (nempe Adamus ait *cap. 11.*) *in illis bonis Christi morte non eguit, istos à reatu* &c. *illius Agni Sanguis absolvit*; secundum, quod una sit lætior altera, cum repugnantem non habeat concupiscentiam; *in eis* (de Electis ait ibidem) *caro concupiscit adversus spiritum* &c.: *ille verò nulla tali rixa à se ipso adversus seipsum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur: proinde etsi non interim lætiore nunc, verumtamen potentiore gratia indigent isti*, nempè Electi: tertium, quod una, secus altera fuerit purè sufficiens; siquidem quæ gratia ad perseverandum in statu innocentiæ data fuit Adæ, suo caruit effectu; non sic gratia, quæ nunc datur Electis, ad finaliter perseverandum, quæ nunquam suo caret effectu; *tale quippè erat adjutorium* (Adami, ait ibidem) *quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet* &c.; *secunda* (nempe Electorum gratia) *verò plus potest, qua etiam fit ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate Spiritus vincat*: hinc quæ finalis perseverantia datur Electis, potentior est, & nunquam suo caret effectu; cum etiam adversante concupiscentia, faciat, *ut velit*; *tantoque ardore diligat* &c.: non de quacumque gratia Electis data hic loquitur Augustinus, sed de sola illis data perseverantia finali: *primo homini* (ait *cap. 12.*) *datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset: Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur, non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint; verùm etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint*. De qua finali perseverantia Electis data, qua finalis est, seu ut morte conjuncta, intelligendus Augustinus *cit. cap. 11.* cum ait, *subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur*; siquidem per mortem à Deo justo datam, seu pro circumstantiis datam, pro quibus ille justus invenitur, jam omnis potentia cessat, non amplius in gratia perseverandi; quod ibidem Augustinus explicat beatitudinis exemplo, *quia & si data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus, & si data nunquam fuerit, nunquam erit*: egregiè hæc explicant Augustini loca Simonnet *disp. 2. de gratia art. 8.* Meyerus *dissert. 3. de gratia à cap. 7.*; Daniel sive contra Launojum, sive contra Serrium, sive contra Natalem; Merlinus cum de vera intelligentia S. Augustini.

Præcipuam Pelagianos inter, & S. Augustinum de gratia phisicè prædeterminante, seu ab intrinseco efficace fuisse controversiam, Natalis latè propugnat *Historia Eccles. sæculo 5. cap. 3. §. 13.* post Alvarezium *de Auxiliis*, Gonetum aliosque; cum S. Augustinus gratiam voluntatis, & actionis contra Pelagianos prædicaverit, qui gratiam meræ possibilitatis admittebat in lege, ac doctrina positam. At gratiam voluntatis, & actionis gratiam esse physicè prædeterminantem, unde Natalis habet? certè gratiam illam non sic explicat Augustinus *lib. de gratia Christi cap. 47.* inquiens, *si ergo consenserit nobis*

 non

non solam possibilitatem in homine, sed etiam ipsam voluntatem, & actionem divinitùs adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil benè velimus, & agamus; nihil de adjutorio gratiæ, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur; adjuvantem pluriès vocat gratiam illam Augustinus; sed nunquam ait, eam esse, vel esse debere physicè prædeterminantem: adjuvantem gratiam Catholici omnes admittunt; quod de gratia physicè prædeterminante dici non potest. Gratia, quam contra Pelagianos propugnabat S. Augustinus, ad fidem Ecclesiæ pertinet, quam omnes Catholici profitentur, ac tenebatur fateri Pelagius, *si non tantum vocari, verùm etiam vellet esse Christianus*, ait Augustinus ibidem *cap.* 10.; quam gratiam qui rejiciunt, *se inimicos catholicæ fidei, & Dei beneficiis ingratos profitentur*, ad Patres Carthaginenses scribit Innocentius I.: possuntne ista de gratia physicè prædeterminante dici? Gratiam, quæcumque sit, sive ad unum determinata, sive cum indifferentia ad utrumque oppositum, læsivam esse libertatis, Pelagiani dicebant ex eo præcisè, quod indigere alterius ope, libertatem destruat operantis; *si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me destruetur*, Pelagius inquit apud S. Hieronymum *in Epist. ad Ctesiphontem*; libertatem longè majorem ille volebat, quam catholica fides admittat, nempè ad merendum sine adjutorio gratiæ; *in hoc tota hæresis ista consistit, quod non sit liberum arbitrium, si indigeat auxilio Dei, quoniam propriam voluntatem habeat unusquisque, aut facere aliquid, aut non facere*, ait S. Augustinus *lib. de gestis Pelagii cap. ult.*, & *lib.* 2. *de nuptiis, & concupisc. cap.* 3. *liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adjutorio gratiæ, hoc vos dicitis; hinc estis Pelagiani*; sic liber non esset ad ambulandum, vel equitandum, qui ad hoc baculo, vel equo indiget alterius, si illos non sit in sua potestate habere: latiùs hæc expendunt Meyerus *differt.* 4. *de gratia a cap.* 7., Tournely *de gratia quæst.* 3., *& quæst.* 16. *de Deo art.* 5.; Simonnet *disp.* 3. *de gratia art.* 8. *& seqq.*; *& disp.* 5. *de Deo quæst.* 5. *art.* 2.; aliique plures. Lepidum est, quod modernus Auctor opponit; Pelagiani, ac Massilienses quasi destructorem libertatis S. Augustinum accusabant; de eodem Molinistæ Prædeterminantes accusant; sentiunt ergo Prædeterminantes, quod sentiebat S. Augustinus: lepidum, inquam; cum ternarium numerum excedant in Syllogismo termini; quid enim si quis diceret? Pelagiani, ac Massilienses quasi destructorem libertatis S. Augustinum accusabant; de eodem Calvinistas, ac Jansenianos Prædeterminantes accusant; sentiunt ergo Janseniani, & Calvinistæ, quod sentiebat S. Augustinus. Ad argumentum disparitas est, quod pro gratia in genere voluntatis, & actionis pugnabat S. Augustinus, Prædeterminantes verò pro gratia in specie, ac physicè prædeterminante pugnant. De suo tempore certè loquitur Augustinus, nempè Pelagii, Cœlestii, ac Juliani Capuensis Episcopi cavillationibus attentis, cum ait *lib. de gratia Christi cap.* 47., *ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.*

Completo jam opere, Jansenius anno 1638. ætatis suæ 53., Episcopatus verò 3., peste decessit. Capellano suo Reginaldo Lamæo suum Augustinum

num Testamento legavit, ea tamen lege, ut typis illud mandari curaret, re prius communicata cum Liberto Fromondo, & Henrico Caleno; nec sine Apostolicæ Sedis probatione, *si tamen*, inquit, *Romana Sedes aliquid mutare velit, sum obediens Filius*; sic Jansenius media ante mortem hora, qui & in Epistola sui operis dedicatoria ad Urbanum VIII. (quam habes in Historia Bajana *pag.* 340., in memoriis Chronologicis Dogmaticis *tom.* 2. *a pag.* 80., & in Bibliotheca Janseniana *tom.* 1. *pag.* 103. *editionis* 3.) data paucos ante dies, Romani Pontificis infallibilitatem verbis fatetur expressis. Fictam hanc fuisse Jansenii confessionem aliqui putant; cum eadem habeat *cap.* 29. *libri Proœmialis*, *& in Epilogo* sui operis; quando certè sentiebat oppositum, ut ejus ad Abbatem San-Cyranum testantur Epistolæ. At sinceram illam fuisse confessionem, cum Bernino, Tournely, Danes, Duchesne, aliisque probabilius puto; siquidem sincera præsumitur, quæ fit in morte, confessio: nec mirum, ea, quæ benè, secùs quæ malè scripserat, in morte probasse Jansenium. Traditio accedit Iprensis Ecclesiæ: *Constans* (inquit Danes *in notione temporum pag.* 317. *edit. Venetæ*) *apud Iprenses traditio est, Jansenium morti vicinum mandasse Sanctimoniali, quæ ægrotanti ministrabat, adferret sibi infelicem librum, compositum quidem, at nondum typis excusum, in ignem, ut creditur, conjiciendum: hunc non fuisse repertum, ipsum autem Jansenium paulò post extinctum*. Item resipuisse tandem a suis erroribus Jansenium, Galliarum Episcopi tenent, in quorum conventu, de Jansenio ejusque Discipulis, illud Lirinensis dictum est, *Absolvuntur Magistri, condemnantur Discipuli*: & in *Epistola* 85. *Episcoporum Galliæ ad Innocentium X.*, dicitur: *Beatissime Pater* &c. *cui Reverendissimus ipse Jansenius morti proximus opus suum subjecit.*

Opus Jansenii, biennio post illius mortem, a suis Discipulis furtim editum est (uti videre est in Historia Bajana *lib.* 5. *à pag.* 377., Tournely *de gratia à pag.* 161., aliisque) & nullo expectato Apostolicæ Sedis consensu, At opus vix luci datum, Roma diligenti præmisso examine prohibuit (illuc enim singula folia statim edita discutienda mittebantur); cum in eo Propositiones jam a Summis Pontificibus in Bajo damnatæ, innovarentur: *Cum autem* (ait Urbanus VIII. in sua Constitutione incipiente *In Eminenti*, data anno 1641. pridie nonas Martii) *ex diligenti, & matura ejusdem libri, cui titulus* Augustinus, *lectione postmodum compertum fuerit in eodem libro multas ex Propositionibus a Prædecessoribus nostris olim, ut præfertur, damnatas contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & auctoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendi; nos huic malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & Fidei Catholicæ perniciem vertenti, opportunum remedium adhibere volentes. Pii, & Gregorii Prædecessorum hujusmodi Constitutiones prædictas, omniaque, & singula in eis contenta, Apostolica Auctoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus; Librumque prædictum, cui titulus est* Augustinus, *articulos, opiniones, & sententias in dictis Constitutionibus reprobatas, atque damnatas, ut a nobis compertum est, continentem, & renovantem .... prohibemus*: & in suo Brevi dato ad Archiepiscopum Meclinienſem die 24. Octobris anno 1643. jubet, *intolerabilem eorum arrogantiam coerceri*; qui

suam

suam Constitutionem, nondum in suis Diœcesibus promulgatam falsi accusare ausi fuerant. Constitutionis hujus executionem summo animi ardore urgere cœpit Innocentius X. datis litteris tum ad Gubernatorem Belgii Marchionem Castri Roderici, tum ad singulos Belgii Præsules; ex quo factum est, quod anno 1648. Urbani Constitutio publicata ibi fuerit, ac recepta, imposita etiam lege iis omnibus, qui ad aliquod, seu Civile, seu Ecclesiasticum munus promoveri cuperent, ut propria Syngrapha, ac juramento *testarentur se obsequentes esse S.R. Ecclesiæ, & S.D.N. Innocentio X. Pontifici Romano, & acceptare debita obedientia Constitutionem Urbani, in qua damnatur, & prohibetur liber Jansenii*. Hoc ipso anno 1648. Academia Duacena solemni Instrumento declaravit, eos splendidè mentitos fuisse, qui asseruerunt Doctores Duacenses, non tantùm aliàs, sed etiam modo pertinaciter adhærescere Doctrinæ Baji, & Jansenii; *è contra enim censuimus*, ajunt, *communibus suffragiis humillimè suam celsitudinem rogandam, ut pergat doctrinam illam Jansenianam seriò extirpare: qua nequaquam docetur mens Beati Augustini*: sic *Histoire generale du Jansenisme cap. 1. pag. 219. Recueil des Bulles pag. 31.*

Damnato Jansenii libro, cum adhùc in scholis illius serperent errores, ac doctrina dicerentur S. Augustini; ferè omnes Galliarum Episcopi datis litteris Summum Pontificem Innocentium X. rogarunt, ut de Jansenii erroribus etiam in specie sententiam proferret indubitatam, ac certam. Anno igitur 1650. Galliarum Præsules 85., Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi solemni data Epistola ad Innocentium X. Haberti Vabrensis Episcopi manu exarata famosas quinque propositiones Jansenii Pontifici denunciarunt per hæc verba, *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat* (invictissimam hìc habes rationem pro Romani Pontificis infallibilitate, ac pro illius suprema in judicando potestate) *æquissimæ huic legi obsequentes de gravissimo circa Religionem negotio Sanctitati tuæ scribendum esse censuimus. Decennium est, ex quo vehementissimis turbis Gallia magno nostro mœrore commovetur, ob librum posthumum, & doctrinam R. Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi. Tales quidem motus sedari oportebat tum Concilii Tridentini auctoritate, tum Bulla illius, qua Urbanus VIII. fel. mem. adversùs Jansenii dogmata pronunciavit, & decreta Pii V., ac Gregorii XIII. in Bajum edita confirmavit. Atque hujus quidem Bullæ veritatem, ac robur novo diplomate vindicasti; sed quia nulli sigillatim propositioni certa censura nota inusta fuit, locus etiamnum aliquis quorundam cavillis, & effugio relictus est. Intercludendum autem penitùs speramus, si, ut precamur, Sanctitas Tua, quid hac in re sentiendum sit, clarè, distinctèque definiat. Obtestamur ergo, ut has præsertim propositiones, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior est, Sanctitas Tua expendat, & perspicuam, ac certam de unaquaque sententiam ferat.* Et infrà: *Experta est nuper Beatitudo tua, quantum Apostolicæ Sedis in gemini Ecclesiæ capitis errore profligando valuerit auctoritas: continuò sedata est tempestas, atque ad Christi Crucem, & Imperium venti, & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, Beatissime Pater, ut clara, firmaque de propositionum istarum sensu*

sensu

sensu prolata sententia, cui R. ipse Jansenius morti proximus opus suum subjecit, caliginem omnem discutias, animos fluctuantes componas, dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem, splendoremque restituas. Dum hæc spes mentibus nostris affulget, Sanctitati Tuæ multos, & prosperos annos, sæculoque Beatissimam æternitatem Rex sæculorum immortalis adjiciat, optamus, ac vovemus. Subscripserunt Episcopi 85., quorum nomina servato solius Alphabeti ordine hìc recensemus.

Ademarus de Montheil de Grignan, *Archiep. Arelatensis*. Alanus de Solniac, *Episcopus Cadurcensis*. Annas de Levi de Ventadour *Archiep. Bituricensis*. Anthimus Dionysius Cohon *Episc. Dolensis*. Benedictus Theophilus, *Archiep. Tarentasiensis*. Claudius d' Auglures *Episc. Adurensis*. Carolus Augustus *Episcopus Genevensis*. Claudius de Rebe *Archiep. Narbonensis*. Carolus de Rosmadec *Episc. Venetensis*. Claudius Aubri, *Episc. Constantiensis*. Claudius de la Magdalene de Ragnay, *Episc. Eduensis*. Claudius Mallier, *Episc. Tarbiensis*. Clemens Bonsius, *Episc. Biterensis*. Dionysius Sanguin, *Episc. Silvanectensis*. Dominicus Seguier, *Episc. Meldensis*. Eduardus Molè, *Episc. Bajocensis*. Eustachius de Chery, *Episc. Nivernensis*. Ferdinandus de Neufuille Villeroy, *Episc. Macloviensis*. Franciscus a Lotharingia, *Episc. Verdunensis*. F. Franciscus Faure, *Episc. Glandavensis*, & *nominatus Ambianensis*. Franciscus de la Fayette, *Episc. Lemovicensis*. Franciscus Fouquet, *Episcopus*, & *Comes Agathensis*. Franciscus de Harlay, *Archiep. Rothomagensis*. Franciscus de Harlay, *nunc post mortem Patrui Archiep. Rothomagensis*. Franciscus Pericard, *Episc. Engolismensis*. Franciscus de Perochel, *Episc. Boloniensis*. F. Franciscus Suarez, *Episc. Memphiticus*. Franciscus de Visdeloup, *Episc. Madaurensis Coadjutor Cornubiensis*. Gaspardus Daillon, *Episc. Albiensis*. Harduinus de Beaumont, *Episc. Ruthenensis*. Henricus Borbonius, *Episc. Metensis*. Henricus de Baradat, *Episc.* & *Comes Noviomensis*. Henricus de Bethune, *Archiep. Burdegalensis*. Henricus de Laval, *nominatus Episcopus Leonensis*. Henricus de Maupas, *Episc.* & *Comes Aniciensis*. Henricus a Sabaudia *nominatus Archiep.* & *Dux Remensis*. Jacobus *Episc. Aquensis*. Jacobus, *Episc. S. Flori*. I. V. de Tulles, *Episc. Vaurensis*. Jacobus de Grignan, *Episc. Tricastinensis*. Jacobus Lescot, *Episc. Carnotensis*. Jacobus de Marly, *Episc. Tolonensis*. Jacobus de Neufchezes, *Episc. Cabillonensis*. Joannes Antonius Delingendes, *nunc Episc. Matisconensis*. F. Joannes, *Episc. Aulonensis suffraganeus Claromontensis*. Joannes de Gordon, de Genvillac de Vaillac, *Episc. Tutelensis*. I. I. de Flerres, *Episc. Sancti Pontii*. Joannes de l'Estrade, *Episc. Condomensis*. Joannes de Passelaigue, *Episc. Bellicensis*. Joannes de plantavit de la Pause, *antiquus Episc. Lodovensis*. Isaacius Habert, *Episc.*, & *Comes Vabrensis*. Leonorius d' Estampes de Vasençay, *Archiep.*, & *Dux Remensis*. Leonorius de Matignon, *Episcopus Lexoviensis*. Ludovicus Dinet, *Episc. Matisconensis*. Ludovicus d' Estain, *Episc. Claromontanus*. Ludovicus Donius d' Attichy, *Episc. Reiensis, nunc Aeduensis*. Ludovicus de Suze, *Episc. Vivariensis*. Ludovicus, *Episc. Mirapicensis*. N. le Clerc, *Episc. Glandavensis*. Nicolaus Boylere, *Episc. Abrincensis*. Nicolaus Grillet, *Episc.* & *Comes Usticensis*. Nicolaus Sanguin, *Episc. Silvanectensis*. Nicolaus Sevin, *Episc. Sarlatensis*.

Pau-

Paulus, *Episc. Maurianensis*. Petrus de Broc, *Episc. Antissiodorensis*. Petrus Fenoillet, *Monspeliensis*. Petrus Marca, *Episc. Conseranorum*. Petrus Scarron, *Episc. & Princeps Gratianopolitanus*. Philebertus Brandon, *Episc. Petrocoricensis*. Philebertus de Brichantau de Nangis, *Episc. & Dux Laudunensis*. Renatus de Lover, *Episc. Cornubiensis*. Robertus Cupif, *Episc. Dolensis*. Rogerius d' Aumont, *Episc. Abrincensis*. Samuel Martineau, *Episc. Vasatensis*. Simon le Gras, *Episc. Svessionensis*.

Supplicationibus his acceptis, Innocentius X. famosas quinque propositiones Jansenii (longo, ac diligentissimo examine præmisso) ut hæreticas damnavit die 31. Maji 1653. per Bullam *Cum occasione* &c. Galliarum verò Episcopis, sic eodem die rescribit. *Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Rectè, atque ordine facit Fraternitatum Vestrarum pietas, quæ cum in Ecclesiis istis propositionum, de quibus ad nos scripsistis, occasione turbas ingentes excitari cerneret, ascendit ad locum hunc Sanctum, quem elegit Dominus, ut Catholicam super his veritatem a nobis quæreret. Nos igitur post longam accurati examinis indaginem, & preces luminum Patri Deo enixè porrectas; quid sentiendum sit de propositionibus illis declaravimus, ac definivimus hac constitutione, quam his litteris ad vos mittimus. Ex ea sententiam orthodoxæ fidei in gravi hoc negotio a nobis audietis; nec dubitamus, quin futura sit cum populis Christianis salutaris, tum summoperè grata insigni zelo Fraternitatum Vestrarum, quibus benedictionem Apostolicam peramantèr impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam sub annulo Piscatoris, die XXXI. Maii M. DC. LIII. Pontificatus nostri anno nono*. Eodem anno Galliarum Episcopi congregati, Præside Cardinale Mazarino, solemnitèr & communi omnium plausu Innocentii X. constitutionem acceptarunt his datis ad Pontificem litteris die 15. Julii. *Optata pervenit. ad nos tandem constitutio illa, qua vestræ Sanctitatis auctoritate, quid sentiendum sit de controversis quinque propositionibus, quæ sunt excerptæ è Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi libris, perspicuè decernitur* &c. *Quo in negotio illud observatione dignum accidit, ut quemadmodum ad Episcoporum Africæ relationem Innocentius Primus Pelagianam hæresim damnavit olim, sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem hæresim ex adverso Pelagianæ oppositam, Innocentius Decimus auctoritate sua proscripserit. Enim verò vetustæ illius ætatis Ecclesia Catholica, sola Cathedræ Petri communione, & auctoritate fulta, quæ in decretali Epistola Innocentii ad Africanos data elucebat, quamque dein Zosimi altera ad universos Orbis Episcopos Epistola subsecuta est, Pelagianæ hæresis damnationi, absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solum ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex Anathematismis adversùs Apollinarium, & Macedonium, nondum ab ulla Synodo Oecumenica damnatos, a Damaso paulò anteà jactis, judicia pro sancienda regula Fidei a Summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione (sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant, proùt illis collibuerit) divina æque, ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti; cui Christiani omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur. Ea nos quoque sententia, ac fide imbuti, Romana*

mana Ecclesiæ præsentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio Decimo viget, auctoritatem debita observantia colentes, Constitutionem Divini Numinis instinctu a Beatitudine Vestra conditam, nobisque traditam ab Illustriss. Athenarum Archiepiscopo, Nuncio Apostolico, & promulgandam curabimus in Ecclesiis, ac Diœcesibus nostris, atque illius executionem apud fideles populos urgebimus. Neque verò pœnæ deerunt adversùs temerarios illius violatores, quæ a jure hæreticis infliguntur &c. & infra. *Porrò nos Innocentio Decimo, cujus ore Petrus locutus est, ut Leoni Primo acclamabat quarta Synodus, hanc divinam lauream gratulati, sacros inter Ecclesiæ fastos, quod olim de Synodis Oecumenicis fieri solitum, constitutionem istam ab eo editam, lubentes ex animo reponemus: cui optatissimam in longæva vita felicitatem adprecamur*. Devotissimi, & Addictissimi Sanctitatis Vestræ Filii, Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi Galliæ in Parisiensi Urbe congregati. Julius Card. Mazarinus, *Episc. Metensis electus*. Victor *Archiep. Turonensis*. De Grignan, *Archiep. Arelatensis*. Henricus, *Archiep. Burdegalensis*. G. Daubusson, *Archiep. Ebrodunensis*. Franciscus, *Archiepisc. Rothomagensis*. Petrus de Marca, *Archiep. Tolosanus nominatus*. Leberon, *Episc. Valentinensis, & Diensis*. Aegidius, *Episc. Ebroicensis*. Anthymius Dionysius, *Episc. Dolensis*. Petrus, *Episc. Montis Albanensis*. Antonius, *Episc. Grassensis, & Venciensis*. Robertus, *Episc. Dolensis*. Henricus, *Episc. Redonensis*. Jacobus, *Episc. Tolonensis*. Felix, *Episc. Cathalaunensis*. Dionysius, *Episc. Briocensis*. Henricus, *Episc. Aniciensis*, C. de Velay. Ferdinandus, *Episc. Malcoviensis*. Claudius, *Episc. Constantiensis*. Jacobus, *Episc. S. Flori*. Jacinthus, *Episc. Arausiensis*. Harduinus, *Episc. Ruthenensis*. Philebertus Emanuel, *Episc. Cœnomanensis*. Franciscus, *Episc. Madaurensis, coadjutor Corisopitensis*. Franciscus, *Episc. Glandevensis, Ambianensis Episc. nominatus*. Gabriel, *Episc. Abrincensis*. Joannes, *Episc. Oloronensis*. Abbas de Servient, *Episc. Carcassonensis nominatus*. Abbas Tubeuf, *Episc. S. Pontii Torneriarum nominatus*. Parisiis die 15. Julii 1653. Videri hæc possunt in Bibliotheca Theologica *tom.* 3. *a pag.* 488.; Platellio *part.*3. *Theologiæ a num.* 124. Recueill des Bulles *pag.* 71. & 88.; Relation *pag.* 35.; Arsdekin *tom.*1. *Theologiæ tripartitæ in controversiis Gallicanis*; Bernino *sæculo* 17. *cap.* 4.; Annato in Cavillis Jansenianorum; Labbæo in Bibliotheca Anti Janseniana; Tournely, Boucat; Memoriis Chronologicis; dogmaticis &c.

Dignum æternitate monumentum hæc Epistola pro Romani Pontificis in materia, sive juris, sive facti dogmatici in decidendo infallibilitate. Suorum in hoc secuti sunt documenta majorum Galliarum Episcopi: Siquidem provinciarum Arelatensis, & Narbonensis Episcopi medio sæculo quinto, sic scribunt ad Sanctum Leonem Magnum: *Apostolatus vestri scripta, ita ut Symbolum fidei quisquis Redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit, & tenaci, quoad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit* &c.; *doctrinæ post Deum ve ra debet quisque fidelis, ut constantèr teneat, quod credebat; debet etiam infidelis, ut a perfidia sua, agnita veritate discedat* &c.: sic habetur in illorum Synodica, cui subscripserunt Episcopi 44.; apud Bail *tom.*2. Conciliorum *pag.*519.

 edi-

editionis Venetæ; Sommier Histoire dogmatique du S.Siege *tom.2.a pag.437.*; aliosque; extatque inter Sancti Leonis Epistolas post quinquagesimam primam. Sanctus Bernardus Gallus & ipse sic Innocentium II. alloquitur *in Epistola* 190., *oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque ac scandala Regni Dei, ea præsertim, quæ de Fide contingunt; dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit Fides sentire defectum; cui enim alteri sedi dictum est aliquando, ego rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua?* & antiquissimus Irenæus in Galliis Episcopus Lugdunensis secundo Ecclesiæ sæculo scribens *lib.3. adversùs hæreses cap.3.* loquens de Ecclesia Urbis Romæ, in qua sedit *Petrus, Linus, Anacletus, Clemens, Evaristus, Alexander*, & alii omnes, hæc habet; *ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem Principatum necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undiquè fideles, conservata est ea, quæ ab Apostolis est traditio*: ubi vides ad Ecclesiam Urbis Romæ ratione Romani Pontificis omnes fideles convenire debere ad fidem servandam, ad hæreticos confundendos, cum in ea conservetur, *quæ ab Apostolis est traditio*. Quæ contra Romani Pontificis infallibilitatem opponunt Bossuetus, Natalis, Dupinius, Maimburgus, Launojus, latè solvunt P. Orsi, Adnotator Natalis, Aguirre, Sfondrati, Roccaberti, Thyrsus Gonzalez, Charlas, Rabaudy, Matthæuccius, Berninus, Bellarminus.

Famosis quinque propositionibus damnatis ex Jansenii Augustino exceptis, adhuc ad illas propugnandas, cavillationes Janseniani quærebant, dicentibus quibusdam, damnatas illas propositiones in libris non extare Jansenii; contendentibus aliis, illas extare quidem in libris Jansenii, sed solùm damnatas esse in sensu Calvini, seù in sensu alieno; aliis affirmantibus, sensum obvium, ac naturalem illarum propositionum, sensum esse Calvini, alienum verò, ac minùs obvium sensum esse Jansenii; sicque damnatas illas esse propositiones in sensu naturali, facilè admittebant. Sed hos omnes damnavit errores Summus Pontifex Alexander VII. per Bullam, quæ incipit *Ad sanctam*, ac data est die 16. Octobris 1656.; qua definitur damnatas illas propositiones in Jansenii libris extare, ac damnatas esse in sensu Jansenii. Ut autem cavillatoribus istis ad Apostolicas constitutiones eludendum, nullus esset aditus; idem Summus Pontifex per Bullam incipientem *Regiminis Apostolici* datam 15. die Februarii anno 1664. majorum exempla secutus (ut doctè satis ostendunt Meyerus *in parallello antiquæ, & præsentis Ecclesiæ*; Analysis Jansenii *lib.1.cap.2.&9.*, Bibliotheca erronea *part.2.*; Boucat *dissert.5.de gratia contr.1.art.4.*; Henno *de fide qu.4.art.5.*) Formularium ab omnibus jurandum præscribit, præsertim ab Ecclesiasticis omnibus, Monialibus etiam; atque ab omnibus illis, qui ad aliquem in facultate Parisiensi gradum admittendi erant, per hæc verba; *Ego N. constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maii 1653. & constitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen* Augustinus, *excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.* Et quidem refractariis istis

satis

satis esse debebat, Episcopos Gallicanos in Comitiis Generalibus anni 1654. agnovisse, ex verbis ipsis Bullæ Innocentii invictè demonstrari, quinque propositiones in sensu Jansenii damnatas esse. Ita narratur in relatione deliberationum Cleri Gallicani *pag.9.& 10.* ultimæ editionis: & Alexandrum VII. Brevi ad Vicarios Generales Archiepiscopi Parisiensis dato die prima Augusti anno 1661. eos graviter increpare, quod asseruissent in suo publico mandato, *non minus temeraria, quam mendaci narratione, Tempore Innocentii X. non aliud factum fuisse, quam inquisitum, an Propositiones illæ quinque de gratia, veræ, & Catholicę, an potius falsę, & hereticę censendę forent. Cum eo tempore,* ait Alexander, *nedum de propositionibus ipsis cognitio habita fuerit, verum quod a Jansenii libro* Augustinus *nuncupato extractę essent.* Tamquam testis oculatus loquitur Pontifex, qui sub Innocentio X. particeps fuerat eorum omnium, quæ in causa quinque propositionum Jansenii gesta fuerant.

At non defuere Jansenianis effugia; dicebant enim Apostolici hujus formularii rigorem, tum per litteras Clementis IX. ad quatuor Episcopos Galliæ, tum per duo Brevia Innocentii XII. ad Episcopos Belgii, jam fuisse temperatum. Contra, splendidissimum hoc est mendacium. Quatuor Galliæ Episcopos Andegavensem, Bellovacensem, Apamiensem, Alectensem, jus a facto distinguere voluisse, contendentes neminem teneri ad subscribendum Formulario pro condemnatione facti, verum est: at nonnisi mutatis, ac novis editis mandatis, per quæ absolutè, ac sine ulla distinctione Formulario subscribendum erat, ad pacem fuerunt à Clemente IX. admissi. Testatur ipse Clemens in suo ad Regem Christianissimum Brevi die 28. Septembris anno 1668. ait, se *cum lætitia cognovisse in simplici, ac pura subscriptione Formularii quatuor illorum Episcoporum obedientiam,* & in brevi ad Episcopos pacis mediatores die 19. Januarii anno 1669. sic loquitur. *Non sine lætitiæ sensu pervidimus ex litteris Fraternitatum vestrarum ..... de perfecta, & integra obedientia nobis, & Apostolicæ Sedi præstita per Episcopos Andegavensem, Bellovacensem, Apamiensem, & Alectensem, subscriptione formularii sincero animo, & juxta præscriptum litterarum Apostolicarum ab eis facta.* Pariter in Brevi ad illos quatuor Episcopos dato eodem die, ait: *cum ingenti obsequii nobis & huic Sanctæ Sedi per vos debiti testatione significabatis, vos juxtà præscriptum litterarum Apostolicarum ..... sincerè subscripsisse, & subscribi fecisse Formulario .... Nam prædecessorum nostrorum constitutionibus firmissimè inhærentes, nullam circà illud exceptionem, aut restrictionem admissuri umquam fuissemus.* Hoc ipsum testatur Cardinalis Rospigliosius in sua de rebus circà Jansenismum historica narratione, quam omnium primi laudarunt Jansenii defensores. *Neque in re tanti momenti,* ait, *quidquam connivere, quin imò acerrimè obviam ire decreverat* (Clemens IX.). Recueil des Bulles *pag.253. 263.266. & 269.* De Innocentio XII. ad Episcopos Belgii idem est; nova edere formularia, quibus subscribendum esset, illi volebant Episcopi, ut magis explicatum esset Alexandrinum: restiterunt Belgæ ad Apostolicam Sedem appellantes: aliis opus non esse formulariis, Alexandrinum sufficere, respondet Innocentius; eique sincerè subscribendum, dato Brevi die 6. Februarii anno 1694. ad Epi-

scopos Belgii, in quo post confirmatas Innocentii X. & Alexandri VII. constitutiones, sic loquitur. *Præcipimus, ut quemadmodum ii, qui ad juramentum adigendi sunt, illud præstare debeant sincerè absquè ulla distinctione, restrictione, seu expositione, damnando eas Propositiones ex libro Jansenii excerptas, in sensu obvio, quem ipsamet Propositionum verba præseferunt, prout sensum illum damnarunt SS. Pontifices Prædecessores nostri, damnatumque haberi voluerunt à Christifidelibus: ita per Fraternitates vestras &c.* Clarissima hæc Pontificis verba cum ad alienum sensum adhuc contumaces aliqui detorquerent; alterum Innocentius XII. ad eosdem Episcopos Belgii dedit breve die 24. Novembris anno 1696., in quo sic loquitur. *Non sine admiratione intelleximus, nonnullos istis in Diœcesibus reperiri, qui verbis, & calamo ausi fuerint affirmare supradicto nostro Brevi alteratam, seu reformatam esse constitutionem Alexandri VII. 16. Octobris anno 1656. editam; necnon formularium ab ipsomet pronunciatum; cum dicto brevi utrumque specificè confirmetur, & omninò intenderimus, & intendamus iisdem adhærere, & nequaquam sinere ut aliquid addatur, vel dematur a prædicto Formulario, illud quovis modo alterando in aliqua ejus minima parte, sed quod in omnibus, & singulis ejusdem partibus, uti mandavimus, mandamus etiam adamussim observari.* Non potuere non fateri Janseniani, hoc postremo brevi funditus everti quidquid præsidii, ac commodi ex priori speraverant: Latius hæc videri possunt apud Tournely *de Gratia a pag.* 216. editionis Venetæ; Memorias Chronologicas Dogmaticas *tomo* 3. *a pag.* 72. *&* 409.; Auctorem dissertationis Theologicæ *de Jansenii Iprensis Systemate, propositionibus, & censura* editæ Gandavi anno 1732.; *Abregè Historique Des Detours & Des variations du Jansenisme despuis son origine jusq' à present* 1739. sine nomine Auctoris, & Impressoris.

Satis hæc minimè fuere; nova inventis addunt inventa Janseniani: inter innumeros, qui prodiere libellos unus editus est anno 1702. dictus famosus conscientiæ casus (de quo latè Bibliotheca Janseniana *tom.* 1. *a pag.* 56.; Memoriæ Chronologicæ Dogmaticæ *tom.* 4. *a pag.* 195.; Dominus Gilbertus in illius historia) in quo Clericus inducitur, cui denegata fuit Sacramentalis absolutio, eo quod declarasset, *se revera quinque Propositiones simpliciter, & absolutè damnare, ac formulæ Fidei Alexandri VII. subscripsisse quidem; nihilominus quantum ad quæstionem facti, seu attributionem illarum quinque Propositionum libro Jansenii, existimare se religiosum sufficere silentium.* Quadraginta Doctores Theologos Parisienses adduxere Janseniani ad subscribendam casus resolutionem, his verbis; *Doctores infrascripti, visa casus expositione, censent hujus Ecclesiastici viri sententiam, nec novam esse, nec singularem, nec ab Ecclesia damnatam; neque talem, ut Confessarius possit ipsi Sacramentalem denegare absolutionem, nisi eam retractaverit. Deliberatum in Sorbona die 20. Julii anno* 1701. Casus resolutionem iteratò damnavit Summus Pontifex Clemens XI. primo quidem, die 13. Februarii anno 1703., dato Brevi ad Regem Christianissimum, in quo sic loquitur. *Audivimus nuper audaci planè ac subdola nonnullorum hominum opera, qui in id nati esse videntur, ut Ecclesiæ, ac Reipublicæ pacem turbare non cessent, Libellum quemdam prodiisse, cui titulus* Cas de Co-

Coscience &c. *quo sanè plura perniciosa doctrinæ capita erroresque damnati revocantur in lucem, & ipsa etiam hæretica Jansenii dogmata non obscurè foventur; dum edita olim pro iis omnibus abolendis Apostolicæ constitutiones captiosis subtilitatibus eluduntur*: deindè verò per Bullam datam 17. kalendas Augusti anno 1705. incipientem *Vineam Domini Sabaoth*, per hæc verba, *inquieti homines, sparsis undequaque scriptionibus ac Libellis exquisita ad fallendum arte compositis, non sine gravi Apostolicæ Sedis injuria, maximoque totius Ecclesiæ scandalo docere non sunt veriti, ad obedientiam præfatis Apostolicis constitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janseniani libri sensum in antedictis quinque Propositionibus, sicut præmittitur, damnatum, interius, ut hæreticum, damnet; sed satis esse si ea de re obsequiosum (ut ipsi vocant) silentium teneatur. Quæ quidem assertio, quam absurda sit, & animabus Fidelium perniciosa, satis apparet, dum fallacis hujus doctrinę pallio, non deponitur error, sed absconditur; vulnus tegitur, non curatur; Ecclesia illuditur, non paretur; & lata demum Filiis inobedientię via sternitur ad fovendam silentio hæresim..... Quin etiam eò impudentię nonnullos devenisse compertum est, ut veluti naturalis honestatis, ne dum Christianę sinceritatis obliti, asserere non dubitaverint, pręfatæ formulę à memorato Alexandro Prędecessore pręscriptę, subscribi licitè posse, etiam ab iis, qui interius non judicant, prędicto Jansenii Libro doctrinam hęreticam contineri. Quasi verò contra quod scriptum est*, Qui loquitur veritatem in corde suo. *Et*, qui jurat proximo suo, & non decipit; *hujusmodi erroris sectatoribus liceret Ecclesiam ipsam jurejurando decipere, simulque Apostolicæ Sedis providentiam fallere*. Et quidem merito, cum non mendacem, fictam, fraudolentam exigat à Fidelibus Ecclesia Confessionem; sed veram, honestam, atque sinceram (ut in suis Pastoralibus instructionibus Galliarum Episcopi ostendunt). Qui perjurio subscripserant quadraginta Doctores, se omnes retractarunt, unum si excipias Petit-pied juniorem, *dempto uno parvo pede* Gilbertus ait.

Quam exitiale Catholicis fuerit, ac Novatoribus favorabile Quesnelli Opus, cui Titulus *Nouveau Testament en François &c. avec Des Reflexions Morales Sur chaque verset &c.*; experientia docet: siquidem innumeros, qui habentur, errores in libris Wiclephi, Joannis Hus, Baji, Sancyrani, de Dominis, & Richerii, uti Catholicas veritates in suis adnotationibus Quesnellus omnes unà collegit. Hinc Summus Pontifex Clemens XI. die 13. Julii anno 1708. per Breve incipiens *Universi Dominici Gregis* diligenti, ac maturo examine præmisso, Quesnelli opus prohibuit, *utpote qui Sacrum ipsum novi Testamenti textum exhibet damnabiliter, nec sine ausu temerario vitiatum, & alteri versioni Gallicę dudum a felic. rec. Clemente PP. IX. Prędecessore nostro per quasdam suas in simili forma Brevis die 20. Aprilis 1668. expeditas literas damnatę in multis conformem; a vulgata verò editione, quę tot seculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, & aberrantem: Notat insuper, & observationes continet, habentes quidem speciem pietatis, sed ad virtutem ejus abnegandam subdolè deducentes, in quibus passim occurrunt doctrinę, & propositiones Seditiosę, temerariæ, perniciosa,*

sa,

sa, erroneę, aliàs damnata, & Jansenianam hęresim manifestè sapientes. Hinc &c.

Deinde octava die Septembris anno 1713. per constitutionem *Unigenitus Dei Filius &c.* propositiones centum unam ex opere illo excerptas solemniter damnavit. Siquidem damnato libro Quesnelli, etiam illas omnes propositiones ex illo extractas damnare opus fuit, ut omnibus pateret, quanta fuerit liber ille damnatione dignus; *perspicuè novimus* (inquit Summus Pontifex in Constitutione *Unigenitus*) *summam hujusmodi libri perniciem, ideo potissimum progredi, & invalescere, quod eadem intus lateat, & velut morbosa sanies, nonnisi secto ulcere foras erumpat; cum liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciet; molliti enim sunt sermones ejus super oleum: sed ipsi sunt jacula, & quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut salubrius prestari a nobis posse arbitrati sumus, quam si fallacem libri Doctrinam generatim solummodo a nobis hactenus indicatam pluribus singillatim ex eo excerptis Propositionibus, distinctius, & apertius explicaremus, atque universis Christifidelibus noxia zizaniorum semina è medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus.*

Cum omnes illæ 101. propositiones ad quatuor, vel quinque facilè reduci possint; satis damnari poterant, solis quatuor illis, vel quinque propositionibus damnatis: at consultò factum est, ut omnes illæ 101. damnarentur in specie; ne malignantibus ansa daretur, execrabilem excusandi librum, ac dicendi, casu quatuor illas, vel quinque propositiones excidisse, ac præter Auctoris intentum; quod sanè de immenso illo damnatarum propositionum numero nullus dicere audebit. Qua diligentia impius liber ille discussus fuerit, ac omnes illæ propositiones damnatæ, testatur ibidem Summus Pontifex in verbis illis, *Hinc adspirante Domino, ejusque Cęlesti ope confisi, salutare opus sedulo, diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus; ac plurimas ex prędicto libro, juxtà supra recensitas respectivè editiones, fideliter extractas, & tum Gallico, tum latino idiomate expressas Propositiones a compluribus in Sacra Theologia Magistris, primo quidem coram duobus ex venerabilibus Fratribus nostris Sacrę Romanæ Ecclesię Cardinalibus accuratè discuti: deinde verò coram nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quam maxima diligentia, ac maturitate, singularum insuper Propositionum cum ipsomet libri textu exactissimè facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus.*

Quesnellus (qui tandem infelicissimè decessit anno 1719. ætatis suæ 85.) pro suis damnatis Propositionibus confirmandis nova temeritate plures edidit Apologias, Sanctorum Patrum, præsertim Augustini auctoritatibus exornatas. Sed adulteratas esse, vel diminutas, vel ad alienum sensum extortas, quæ adducuntur in illis Patrum auctoritates, ad satietatem, tum ejus Impugnatores, Constitutio *Unigenitus* propugnata; Discussio Propositionum Quesnelli; Nebula Jansenismi, & Quesnellianismi &c. depulsa; Bibliotheca Janseniana *tom. 2.* in Appendice; Bibliotheca erronea; Desirant, Viva, Keslingerus, aliique; tum Episcoporum Galliæ, in qui-

quibus damnantur, Instructiones ostendunt. Passim pro se citat Augustinum: at quam malè intellectum, vident omnes: commune hoc est Hæreticis, teste Vincentio Lirinense, *Commonitorii cap.* 11. Augustinum citat Quesnellus, sed Calviniano, ac Bajano sensu intellectum: nonne Wiclephus, Lutherus, Calvinus S. Augustinum, aliosque Patres pro suis damnatis citabant erroribus? Wiclephus apud Valdensem *tom.*1. *lib.*1. *art.*2. *cap.* 34. confidentissimè suum faciebat Augustinum, *a modernis dissentio; sed cum multis Sanctis Antiquis, & specialiter Augustino, convenio*. Lutherus in libro de servo Arbitrio Lutheranum jactabat Augustinum, *Fateor mi Erasme non immeritò te istis omnibus moveri &c.; Verum Augustinus, quem præteris, totus meus est*: Calvinistam Calvinus gloriabatur esse Augustinum, dicens contra *lib.*3. Pighii, *etiamsi crepet Pighius, nobis hoc extorquere non potest, quin Augustinus totus sit noster*; & contra *lib.*5. Pighii *doctrinę nostrę* (inquit) *nullum est caput, quod non propè ad verbum sæpius apud Augustinum occurrat*. Eadem habet *lib.*2. Institutionum; & libro de æterna Dei prædestinatione *pag* 693. dicit, *Augustinus adeò totus noster. ut si mihi confessio scribenda sit, ex ejus scriptis contextam proferre abundè mihi sufficiat*: suæ fidei confessionem promittit Calvinus totidem Augustini verbis contextam: sic Fontaine in Prolegomenis *cap.*6. Adnotator Natalis Historiæ Ecclesiasticæ *tom.*5. *a pag.*145. edit. Lucensis; Lacroix; *lib.*1. *a num.*212.

In quo sensu damnatæ illæ sint propositiones, petunt explicari Quesnelliani: at maxima ignorantia, vel audacia incredibili hoc explicari petunt, cum abundè hoc sit in Bulla ipsa demonstratum: siquidem certum est Pontificem 101. damnare Propositiones, ut *ex prędicto libro fideliter extractas*; adeoque dubitari non potest, in sensu damnari proprio, ac naturali, quem habent in Libro, & juxtà mentem Auctoris, seu Quesnelli; sicque in sensu Jansenianæ factionis illas esse damnatas. Saltem modus, quo per Constitutionem *Unigenitus* censuræ feruntur (Quesnellus urget), valdè imperfectus est, & obscuritatis plenus; Fidelibus non modo inutilis, sed etiam noxius; cum ex illo discerni non possit, quinam sit propositionis defectus, & quænam hæretica sit, vel temeraria, vel tantùm scandalosa &c. Contra in Bulla Leonis X. (quam totus veneratur Catholicus Orbis) data contrà Lutherum anno 1520. 17. Calendas Julii, incipiente *Exurge Domine*, 41. damnantur Lutheri propositiones; nec alia censura notantur, quam generali, indistincta, respectiva, & , ut vocant, in globo: *Qui quidem errores* (ait Pontifex) *respectivè, quam sint pestiferi, quam perniciosi, quam scandalosi, quam piarum, & simplicium mentium seductivi, quam denique sint contra omnem charitatem, ac S. R. E. Matris omnium Fidelium, & Magistra Fidei, reverentiam, atque nervum Ecclesiasticæ disciplinæ, obedientiam scilicet, quæ fons est, & origo omnium virtutum, sine qua facilè unusquisque infidelis esse convincitur, nemo sana mentis ignorat*: & infra; *præfatos omnes, & singulos articulos, seu errores, tamquam (ut præmittitur) respectivè hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensivos, vel simplicium mentium seductivos, veritati Catholicæ obviantes, damnamus, reprobamus, atque omninò rejicimus, ac pro damnatis, reprobatis, & rejectis ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus haberi debere*,

re, harum ferie decernimus, & declaramus: quem cenfurandi modum fidelibus inutilem fuiffe, immò & noxium, nullus unquam aufus eft dicere Catholicus. Ut Leo X. Propofitiones Lutheri, fic S. Pius V., Gregorius XIII. & Urbanus VIII. propofitiones Baji, & Clemens XI. Quefnelli Propofitiones per cenfuras in globo notarunt.

Nonne Sacrum Concilium generale Conftantienfe anno 1414. *feff.* 8. & 15. *propofitiones* 335. Wiclephi, & aliorum per cenfuras in globo pari modo damnavit; *hos Sancta Synodus* (Concilium inquit apud Harduinum & Labbæum) *præfatos articulos examinari fecit, & fæpius recenferi: quibus examinatis, fuit repertum aliquos, & plures ex ipfis fuiffe, & effe notoriè hæreticos, & à Sanctis Patribus reprobatos, alios non Catholicos, fed erroneos: alios fcandalofos, & blafphemos, quofdam piarum aurium offenfivos: nonnullos eorum temerarios, & feditiofos*. Sicne cenfurando, Concilium erravit? hoc dicere abfit; aliàs & univerfalis erraffet Ecclefia: quam cenfuram a Fidelibus probandam effe, declarat Summus Pontifex Martinus V. in Bulla confirmatoria hujus Concilii; ibi, *fpecialiter Literatus interrogetur, utrùm credat, quod fupradicti articuli 45. Joannis Wiclef, & Joannis Hus 30., non funt Catholici, fed quidam ex eis notoriè hæretici, quidam erronei, alii temerarii, & feditiofi, alii piarum aurium offenfivi &c.* Nec refert, quod propofitiones illæ jam fuerant in Concilio Romano difcuffæ, atque damnatæ; cum de cenfura diftincta, ac in fpecie nullum in eo veftigium extet. Lecta quidem fuit in Concilio Conftantienfi *feff.* 8. brevis, ac diftincta quædam cenfura a Theologis Conftantienfibus exornata (ut in Hiftoria notant hujus Concilii L'Enfant *lib.* 2. *pag.* 145., & Vanderhart *tom.* 3. *pag* 68.) fed a Patribus Concilii minimè fuiffe probatam, ex eo certum eft, quod Patres fola fuerint generali cenfura contenti; nec ullam de fexdecim cenfuræ notis a Theologis illis appofitis rationem habuerunt: neque mirum, cum difcordantes inter fe illæ forent cenfuræ, apud Vanderhart *cit. tom.* 3. *pag.* 212.. At cenfuram illam à Concilio probatam fuiffe demus; quid inde? folùm refpiciebat 45. propofitiones Wiclephi in 8. *feffione* profcriptas; fecus autem propofitiones 30. Joannis Hus, aliafque 260. Wiclephi *in* 15. *feffione* damnatas.

Cum cenfuras in globo Fidelibus inutiles, immo & noxias Quefnellus afferit, magiftrum habet Lutherum cenfuras iftas impugnantem in Brevibus notis in Bullam Leonis X.; *fcire* (inquit) *abs te laboro, hoc quid fignificet refpectivè? nolo tantum refpectivè, fed abfolutè, ac rectè doceri: poftulo enim adhuc, ut abfolutè, non refpectivè; diftinctè non confusè; clarè, non obfcurè; fingulariter, non in genere dicant, quis fit, & quis non fit Hæreticus*. Et quidem fi inutilis effet cenfura, quæ non fit diftincta, ac in fpecie determinata, & quæ non detegit peculiaris quinam fit propofitionis defectus; jam per duodecim priora fæcula erraffet Ecclefia; quæ in Conciliis generalibus Hæreticorum damnabat errores, nullam cenfuram in fpecie defignando; fed folùm dicebat illis *Anathema*: fic Patres Niceni primi in Symbolo. *Eos autem, qui dicunt: erat aliquando, quando non erat; & quia ex iis, quæ non funt factus eft; aut ex alia fubftantia, vel effentia dicunt effe, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei; anathematizat Catholica, & Apoftolica Ecclefia*: fic patres Ephefini in Anathe-

thematismis: *si quis non confitetur Emmanuelem secundum veritatem esse Deum, ideoque Sanctam Virginem esse Deiparam (carnalitèr enim Verbum ex Deo Patre carnem factum genuit) anathema sit*. Quid ergo per censuras illas in globo nos docet Ecclesia? docet utique omnes illas propositiones damnatas esse ab Ecclesia; adeoque falsas; sicque ab omnibus vitandas esse Fidelibus; ut ait S. Augustinus *lib. de hæresibus tom.* 8. novæ editionis *pag.* 28. *Quid enim contrà ista sentiat Catholica Ecclesia, quod a me dicendum putasti, superfluo quæritur; cum proptèr hoc scire sufficiat, eam contrà ista sentire, nec aliquid horum in fidem quemquam debere recipere*: docet ulterius nullam ibi esse propositionem, quæ aliquam non mereatur ex notis illis; nec ullam ibi esse censuram, quæ saltem alicui illarum propositionum applicari non possit: ad cavillationes vitandas aptior est, ac facilior hic censurandi modus; cum passim in assignanda alicui propositioni certa, ac determinata censura, discrepent Theologi. De generalibus his censuris, quæ vocantur in globo, doctissimè agunt Tournely *de gratia a pag.* 152. Duchesne *elucidatione* 4. in Historiam Bajanam *epist.* 6.; Auctor discussionis propositionum Quesnelli: Instructiones Episcoporum Galliæ contrà Quesnellum; præsertim monita Episcopi Suessionensis; & Instructio Cardinalis de Bissy, quæ data est anno 1722.

Ex dictis hucusque habes contrà Jansenianos quinque fuisse solemnitèr ab Ecclesia definita; primum, famosas quinque propositiones Jansenii hæreticas esse: secundum, illas esse in libro Jansenii, ac ab illo desumptas: tertium, damnatas illas esse, ac hæreticas in sensu auctoris, seu in sensu obvio, naturali, ac proprio, quem habent in libro Jansenii, seu quem de se, & natura sua legentibus totus liber ostendit: quartum, allatis definitionibus nequaquam satisfieri per solam externi silentii reverentiam; sed etiam interius ex corde, ac sincerè illis esse adhærendum: quintum communem Ecclesiæ morem censurandi propositiones in globo, utilem Fidelibus esse, & ab omnibus probandum.

Infallibilis est Ecclesia in materia juris (Janseniani clamant) secùs autem in materia facti; qualis est, non quinam est sensus Jansenii, & an famosæ quinque damnatæ propositiones sint in ejus opere contentæ: *qualis* sit propositionis sensus e. g.: hæreticus, vel orthodoxus, secùs verò *quinam sit*, judicare potest Ecclesia; huic enim notum esse nequit quem sensum habuerit in mente Jansenius. At communis est in oppositum tùm antiquæ, tùm præsentis Ecclesiæ praxis. Quinta Synodus generalis (de qua S. Gregorius Magnus *lib.* 1. *epist.* 24. enumeratis primis quatuor Conciliis Oecumenicis, nempè Nicœno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi, ait, *quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Theodorus* &c.) sic habet in Anathematismis *cap.* 11. *si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychem, Origenem, cum impiis eorum conscriptis, & alios omnes Hæreticos, qui anathematizati a Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia, & a prædictis Sanctis quatuor Conciliis* &c. *anathema sit*: nonne dogmata, & in quibus continentur opera, eorumque Auctores expressa definitione damnantur? & *cap.* 12. *si quis defendit impium Theodorum, & impia conscripta illius, in quibus tam prædi-*

ctas, quàm alias innumerabiles blasphemias effudit &c., *& non anathematizat eum, & impia ejus conscripta* &c. *anathema sit: cap.* 13. *&* 14. *Impia Theodoreti scripta, & epistola Iba* eodem modo anathematizantur, hæresibus, quæ in illis continentur, enumeratis.

In quo valde notandum, quod cum damnationi trium Capitulorum, cui cæteræ tùm Orientis, tùm Occidentis acquieverant Ecclesiæ, Galliæ, ac Hispaniarum Episcopi, aliique totis quinquaginta annis resisterent, ea sola ratione moti, quod Concilii Chalcedonensis judicium de scriptis Theodoreti, & Ibæ, ut infallibile reformari non poterat; nunquam Pontifices illis opposuere, falsum hoc esse principium; sed solùm Chalcedonense nonnisi de personis judicasse: adeoque utraque pars Ecclesiæ, & quæ acquieverat, & quæ resistebat, Ecclesiæ infallibilitatem etiam in materia facti profitebantur. Quid enim si quis hodie dubitaret, utrum Symbola fidei, quibus Ecclesia suam fidem exposuit, veritatem contineant? anathemata, quibus hæresim proscripsit, damnent errorem? utrum tria scripta Augustini, Cyrilli, & Leonis, quæ probavit Ecclesia, sint Catholica? & quæ damnavit scripta Arii, Theodori, Theodoreti, Ibæ; Typus Pauli; Ecthesis Sergii, hæresim sapiant? certè omnes illum pro monstro haberent; nec aliundè, nisi quia etiam in materia facti infallibilis est Ecclesia: & quidem in factis Dogmaticis, seu cum verbo Dei scripto, vel tradito connexis, uti sunt in superioribus allata; secus autem in factis purè particularibus, ut cum agitur de crimine patrato, censura, possessione &c.; quæ facta inter se malè confundunt oppositores. Hinc & manifestum est, etiam in judicando, quinam sit propositionis sensus, Ecclesiam errare non posse: quo enim pacto fieri potest, Ecclesiam sensum alicujus propositionis Catholicum declarare, vel hæreticum, quin certò prius cognoverit, quinam sit illius propositionis sensus? Propositiones in sensu Auctoris, non quidem interiùs retento, sed exteriùs expresso, damnat Ecclesia; ut quæ adductæ sunt rationes ostendunt: nonnè & ipsi propositiones illas damnatas esse dicunt in sensu Calvini? sensus Calvini, secus ille Jansenii, intelligibilis erit?

Ad apertissimum recurrunt Janseniani mendacium, cum dicunt, Ecclesiam, quæ probaverat tria capitula, scripta nempè Theodori; Theodoreti; & Ibæ, in Concilo generali Chalcedonensi, in quinta generali Synodo damnasse. Siquidem Summus Pontifex Vigilius in Epistola pro quintæ Synodi confirmatione testatur oppositum, inquiens, *absit ab Ecclesia Catholica, ut aliquis dicat, omnes superiùs comprehensas blasphemias a prædictis quatuor Synodis, aut ab una ipsarum susceptas fuisse, vel eos qui similia sentiunt, & sequuntur; apertissimum autem est quod a memoratis Sanctis Patribus, & maximè a Sancta Synodo Chalcedonensi, nullus, de quo aliqua esset suspicio, admissus est, nisi qui rejecisset superiùs comprehensas blasphemias*: & in ipsa quinta generali Synodo dicitur, *quomodo præsumunt aliqui dicere istam impiam epistolam susceptam fuisse a Sancto Chalcedonensi Concilio*. Admissi quidem fuere a Chalcedonensi Theodoretus, & Iba, sed pœnitentes, & abjurato priùs Nestorio, cum dogmatibus ejus, quibus illorum scripta maximè favebant: de Theodoreto dicitur *actione* 8. *Episcopi dixerunt, clarè dic Anathema Nestorio, & dogmatibus ejus anathema* &c., *quod cum dixisset, omnes Epi-*

Epifcopi clamaverunt, Theodoretus dignus eft Sede Ecclefiæ; orthodoxum Paftorem Ecclefia recipiat &c. De Iba idem habetur *actione* 10., in qua cum Patres hanc peterent abjurationem, *Ibas Reverendus Epifcopus dixit, & jam in fcripto anathematizavi Neftorium, ejufque dogma, & nunc anathematizo eum decies millies* &c., *anathema Neftorio* &c.: nulla ergo oppofitio inter ifta Concilia; fiquidem Chalcedonenfe perfonas admifit, fed pœnitentes; quinta Synodus verò non Theodoretum, & Ibam, fed iftorum fcripta damnavit, uti & perfonam jam demortui Theodori Epifcopi Mopfuefteni; at minimè fuerat ille a Patribus Chalcedonenfibus admiffus (jam enim mortuus erat), fed potiùs cum Neftorio ejus difcipulo damnatus, non quidem ejus nomine expreffo, ad Orientalium vitandum tumultum, apud quos Epifcopus ille Mopfueftenus magni nominis erat; fed implicitè, dicendo nempè *Anathema Neftorio, & dogmatibus ejus.*

Nec dicas, Epiftola Ibæ fuit in Concilio Chalcedonenfi lecta, & approbata ut Catholica, *Actione* 10. fiquidem Legati Apoftolicæ Sedis Pafchafinus, & Lucentius Epifcopus, & Bonifacius Presbyter ore ejufdem Pafchafini dixerunt: *relectis chartis agnovimus ex fententia Reverendiffimorum Epifcoporum, Ibam Reverendiffimum innoxium approbari. Relecta enim ejus Epiftola agnovimus eum effe orthodoxum*. Item Maximus Antiochenus dixit: *ex iis, quæ modo relecta funt, manifeftum eft, quia ab omnibus ei illatis Reverendiffimus Ibas innocens eft repertus, & ex relecto quoque refcripto Epiftolæ, quæ prolata eft ab eo, qui adverfarius ejus exiftit, orthodoxa ejus declarata eft dictatio*: & Liberatus in Breviario Hiftorico *cap.* 13. inquiens, quod Epiftola Ibæ in Concilio Chalcedonenfi *act.* 10., orthodoxa pronuntiata monftratur. Contrà, Epiftola Ibæ ad Marim Perfam, probata quidem fuit in Concilio Chalcedonenfi, non abfolutè, ut oftenfum eft, fed comparatè ad orthodoxam fidei confeffionem ab illo factam, qui, quæcumque in ea contrà Sanctum Cyrillum fcripferat Epiftola, data explicatione revocaverat, inquiens: *donec femetipfum interpretatus fuerat* (nempè Sanctus Cyrillus), *quia orientale Concilium eum vocabat Hæreticum, & ut hæreticum eum condemnavit, hæreticum eum & ego putabam. Poftquam verò adunatæ funt Ecclefiæ, & fua Capitula interpretatus eft, omnes eum communicatorem habuimus, & orthodoxum, & nullus eum appellat hæreticum*. Addunt Balutius, & Rabaudy Ibam nufquam coram Chalcedonenfibus Patribus faffum effe, fe præfatam Epiftolam ad Marim re ipfa fcripfiffe; fed aliam Epiftolam produxiffe Cleri Edeffeni in fui defenfionem: exiftimant autem iftam, & non priorem a Legatis Sancti Leonis, & a Maximo in actis Concilii appellari Epiftolam Ibæ: quia idem Ibas illius ufurpavit teftimonium, ut fidei fuæ integritatem probaret. Porro potuit hæc Epiftola ab illis tamquam catholica probari; quia nihil in ea continetur, quod omninò orthodoxum non fit: unde illa fidem fuam Ibas vindicavit: cætera vide apud Baronium, Petavium, Berninum, Annatum, Porterum, Matthæucium aliofque.

Formularium (inquiunt) juramento a fidelibus fubfcribendum, ab Alexandro VII. præfcriptum; novum eft in Ecclefia. Contrà, in hærefibus profligandis, pafsìm formulario, fic a fidelibus fubfcribendo, & quidem a primis fæculis, ufa eft Ecclefia, quod & hæreticis femper fuit invi-

ſum : nonnè damnationi trium Capitulorum Eccleſia voluit, ſubſcribere omnes fideles? teſtantur Facundus Hermianenſis *lib.* 3. *cap.*1.; S. Gregorius Magnus *Epiſt.* 2. ad Conſtantium Epiſcopum Mediolanenſem *lib.*3. *&* *lib.*10. *Epiſt.*5. Lato judicio in generali Concilio Chalcedonenſi de Eutychete, ejuſque ſcriptis; illis ſubſcribere Epiſcopi Egyptii coacti ſunt a Concilio *ſeſſ.*4., clamantibus Patribus, *Epiſtolæ Leonis ſubſcribant, anathematizantes Eutychetem, & dogma ejus* &c. *Subſcribant Epiſtolæ Leonis; qui non ei ſubſcribit, hæreticus eſt* &c. *univerſalis hæc Synodus Ægyptiaca major eſt, & fide dignior; non eſt juſtum decem hæreticos audiri, & prætermitti mille ducentos Epiſcopos.* Arium, ejuſque librum, cui nomen *Thalia*, utpotè mille blaſphemias contrà Divinitatem Verbi continentem, damnavit Concilium generale Nicænum primum; cui damnationi Patres Arianos omnes Epiſcopos ſubſcribere compulerunt; teſtantibus S. Athanaſio *lib. de decretis Concilii Nicæni a pag.* 210., *&* Socrate *lib.* 1. *cap.*8., qui de Arianis inquit, *& libello*, nempè damnationis, *qui unanimi omnium conſenſu conſcriptus fuerat, propria manu ſubſcripſerunt*: quinque ſolis Arianis Epiſcopis exceptis, qui ſubſcribere abnuentes, ſtatim a Concilio damnati ſunt, ac degradati, & a magno Imperatore Conſtantino in exilium miſſi.

Sinceram, ut vides, non fictam, non verſipellem etiam in materia facti dogmatici, formularii ſubſcriptionem petit Eccleſia: a Neſtorianis hoc petit S. Cyrillus in Epiſtola ad Clerum, & populum Conſtantinopolitanum, *Neſtorium, & illius dogmata ſcripto anathematizent*; & ab Eutychianis S. Leo magnus in Epiſtola ad Anatolium Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum, *ſinceram communis fidei profeſſionem, abſolutiſſima ſubſcriptione coram omni Clero, & univerſa plebe declarent.* Certè de Janſenianis noſtri temporis loqui viſus eſt S. Hieronymus, cum in Epiſtola ad Pammachium de Origenianis ait, *hoc vel maximè ne quando contrà auctorem ſuum eorum ſcripta teneantur, facilè dicunt cum juramento, quod poſteà alio ſolvant perjurio: ad ſubſcribendum tergiverſantur*: & S. Auguſtinus *lib.* 4. ad Bonifacium *cap.*8., cum de Pelagianis inquit, *ſubſcriptionem queruntur extortam*; & *cap. ult.*: *quid ergo eſt, quod dicunt ſimplicibus Epiſcopis, ſine congregatione Synodi, in locis ſuis ſedentibus, extorta ſubſcriptio eſt?*

Nec dicere juvat, textum Janſenii valdè longum eſſe, ac intellectu difficilem: cum de ſcriptis Origenis, de Arii Thalia, de tribus capitulis Theodori, Theodoreti, & Ibæ; de Typo Pauli, de Ectheſi Sergii (quæ pro monſtro habet Eccleſia) idem dici poſſet: brevitèr, Janſeniani, vel textum Janſenii, ejuſque ſenſum intelligunt, cum orthodoxum eſſe dicunt, vel non; ſi ſecundum, catholicum eſſe ignorantèr affirmant; ſi primum, non ſine maxima temeritate, ab Eccleſia textum Janſenii, ejuſque ſenſum intelligi, negant: quod intelligunt ipſi, ignorabit Eccleſia?

Dices, qui textum Janſenii numquam legit, quomodo jurare poterit, propoſitiones illas eſſe in libro Janſenii? Contrà, omnes, quæ factæ ſunt inſtantiæ recurrunt: jurare quidem poterit; cum illas propoſitiones ibi eſſe, infallibili ſua auctoritate dicat Eccleſia. Inquiunt, in materia facti etiam dogmatici, ex relatione Cardinalium, Doctorum, Theologorum &c. procedit Eccleſia; illos autem infallibiles eſſe dici non poteſt: adeoque, nec

Eccle-

Ecclesia infallibilis est in materia facti. Contra, nulla est illatio; cum etiam in materia juris, seu verbi divini scripti, vel traditi, sic procedat Ecclesia; & tamen Ecclesiam fallibilem esse in materia juris, hæreticum est dicere: fatendum ergo, non Cardinalibus, non Doctoribus, non Theologis, non peculiaribus personis, sed Ecclesiæ, ejusque Capiti Romano Pontifici promissum esse a Christo Domino in his definiendis infallibilitatem: *Cui enim alteri Sedi dictum est aliquando, ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua?* scribit S. Bernardus ad Innocentium II. *Epistola* 190.

Opponunt Janseniani, ipsos in materia de gratia efficaci, cum Thomistis doctrinam habere communem; adeoque utramque, vel neutram a Summis Pontificibus damnatam esse doctrinam. Contra, hæc dicentibus anathema dicit Summus Pontifex Benedictus XIII. in suo Brevi ad Fratres Ordinis Prædicatorum (quod in Bulla *Pretiosus* §. 41. deinde confirmavit) dato die 6. Novembris anno 1724., per hæc verba.

Demissas preces, & æquissimas conquestiones vestras, quas Dilectus Filius Augustinus Pipia totius Ordinis Magister Generalis, Religiosæ vitæ exemplis, ac doctrina, prudentiaque commendatissimus, supplici libello ad nos detulit, ea benignitate complexi sumus, quam, & vestra in Catholicam Religionem amplissima merita, & nostra, quam dudum professi sumus ergà Ordinem Prædicatorum observantia filialis, nostræque demum humilitati impositum paternæ caritatis, & sollicitudinis officium postulabant. Quod igitur ægrè admodum, ut par est, molestèque feratis, erroribus à fel. record. Clemente Papa XI. Prædecessore nostro per Constitutionem, quæ incipit *Unigenitus Dei Filius*, saluberrimo, & sapientissimo judicio rejectis damnatisque, Augustinianæ, & Angelicæ Doctrinæ nomen obtendi; indeque audere nonnullos Apostolicæ auctoritati, ac vestræ existimationi detrahere, quod ipsa vestrarum sententiarum capita ejus Constitutionis censuris, notisque inusta esse calumnientur; justam quidem animorum vestrorum offensionem laudi damus, qua nimirùm vos germanos Sancti Thomæ discipulos maximè probastis. Magisterio enim tanti Doctoris imbutos nihil decet magis, quàm ut in addictissima huic Sanctæ Sedi Fide, obedientiaque præcipuum studiorum suorum fructum, & laudem collocent; & absonas refragantesque Apostolicis decretis opiniones, non aversentur modò, sed per arma etiam lucis, & veritatis dissipent, & evertant. Tantùm tamen abest, ut vicem vestram doleamus, ut vobis potiùs gratulemur, quod hac etiam in parte causa vestra ab hujus Sanctæ Sedis rationibus sejuncta esse non potuerit; quodque alienæ prorsùs calumniosæque interpretationes ad conflandam memoratæ Constitutioni invidiam temerè excogitatæ ad injuriam quoque vestri nominis redundarint. Cæterum non adeò Vobis erat, aut dolendum, aut mirandum, quod cum ipsis Divinorum librorum oraculis, & Apostolicis definitionibus pro impotenti, obfirmatoque partium studio passim vis afferatur, hæc eadem contentionis, pervicaciæque licentia Angelicam Doctrinam attentare non dubitaverit. Illud potiùs jure mirandum, quod tam præpostero consilio in hac causa locus esse potuerit, ubi Sancti Thomæ exploratissimis sententiis damnati errores disertissimè confutantur. Quandoquidem Omnipotentis Dei providentia factum est, ut Angelici Doctoris vi, ac veritate Doctrinæ, non so-

„ solùm innumeræ, quæ vel ipsius ætate, vel antea grassatæ sunt, sed multæ „ etiam quæ deinceps exortæ sunt hæreses, confusæ, & convictæ dissiparen- „ tur. Magno igitur animo contemnite, Dilecti Filii, calumnias intentatas „ sententiis vestris, de Gratia præsertim per se, & ab intrinseco efficaci, ac „ de gratuita Prædestinatione ad gloriam sine ulla prævisione meritorum, quas „ laudabiliter hactenùs docuistis, & quas ab ipsis SS. Doctoribus Augustino, & „ Thoma se hausisse, & verbo Dei, Summorumque Pontificum, & Concilio- „ rum decretis, & Patrum dictis consonas esse Schola vestra commendabili stu- „ dio gloriatur. Cùm igitur bonis, & rectis corde satis constet, ipsique calu- „ mniatores, nisi dolum loqui velint, satis perspiciant, SS. Augustini, & „ Thomæ inconcussa tutissimaque dogmata nullis prorsus antedictæ Constitu- „ tionis censuris esse perstricta; ne quis in posterùm eo nomine calumnias strue- „ re, & dissensiones serere audeat sub canonicis pœnis districtè inhibemus. „ Pergite porrò Doctoris vestri opera Sole clariora, sine ullo prorsus errore con- „ scripta, quibus Ecclesiam Christi mira eruditione clarificavit inoffenso pede „ decurrere, ac per certissimam illam Christianæ Doctrinæ regulam Sacrosan- „ ctæ Religionis veritatem, incorruptæque disciplinæ sanctitatem tueri, ac „ vindicare. Hæc sunt enim, Dilecti Filii, quæ Prædecessores nostri de Sancti „ Thomæ Doctrina senserunt, & prædicarunt; quæque nos, non modò ad „ curarum vestrarum lenimentum, sed ad animi quoque nostri solatium liben- „ tissimè usurpamus, & præconio Apostolicæ vocis efferimus. Inclytus enim „ Ordo iste &c.

Et quidem meritò; cum gratiam ab intrinseco efficacem, ac prædeterminantem asserant Thomistæ; secùs verò ab intrinseco necessitantem, & quæ destruat libertatis indifferentiam. Quid ergo Pontifex verbis illis significare voluit? *Magno igitur animo contemnite, Dilecti Filii, calumnias intentatas sententiis vestris, de Gratia præsertim per se, & ab intrinseco efficaci, ac de gratuita Prædestinatione ad gloriam sine ulla prævisione meritorum, quas laudabiliter hactenùs docuistis, & quas ab ipsis SS. Doctoribus Augustino, & Thoma se hausisse, & verbo Dei, Summorumque Pontificum, & Conciliorum decretis, & Patrum dictis consonas esse Schola vestra commmendabili studio gloriatur*. Forsan gratiam ab extrinseco efficacem reprobare intendit, ut aliqui voluere Juniores? Contra, hoc dicere absit: cum hæc asserentibus contradicat expresè Summus Pontifex Clemens XII. in suo Brevi de hac re dato die 2. Octobris anno 1733. per hæc verba.

„ Apostolicæ providentiæ officio à Prædecessoribus Nostris fel. rec. Cle- „ mente XI. & Benedicto XIII. sapienter impenso ad dissipandas novatorum „ calumnias & artes, per quas inducta proscriptis erroribus Catholicorum do- „ gmatum larva, & Sanctorum Doctorum illustria nomina obtendentes, sim- „ plicium animos à debita Constitutioni, quæ incipit *Unigenitus*, obedientia „ deterrere moliebantur, Nos paterna quoque sollicitudine inhærentes, ma- „ gnopere dolemus, tenebras a dissensionis filiis offusas nondum ex quorundam „ mentibus satis esse discussas; sed plerosque etiam nunc intolerabili pertina- „ cia contendere, censuris laudatæ Constitutionis doctrinam Sanctorum Au- „ gustini, & Thomæ de Divinæ Gratiæ efficacia esse perstrictam. Ut igitur nullas

cari-

caritatis partes ad revocandos errantes Nobis reliquas faciamus, univerſis, & ,,
ſingulis Chriſtifidelibus quacunq; dignitate, etiam Epiſcopali, majori fulgenti- ,,
bus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipimus, & ſub Canonicis pœnis ,,
mandamus, ne diſputantes, aut docentes ſive in Scholis, ſive in concionibus, ſi- ,,
ve ſcriptis editis, ſive aliter propoſitiones defendant, aut enuncient, quæ ,,
antedictas novatorum calumnias firmare, ac promovere poſſint. Mentem ta- ,,
men eorundem Prædeceſſorum Noſtrorum compertam habentes, nolumus ,,
aut per Noſtras, aut per ipſorum laudes Thomiſticæ Scholæ delatas, quas ,,
iterato Noſtro judicio comprobamus, & confirmamus, quidquam eſſe de- ,,
tractum cæteris Catholicis Scholis diverſa ab eadem in explicanda Divinæ ,,
Gratiæ efficacia ſentientibus, quarum etiam erga hanc Sanctam Sedem præ- ,,
clara ſunt merita, quominus ſententias ea de re tueri pergant, quas hacte- ,,
nus palam & liberè ubique, etiam in hujus Almæ Urbis luce, docuerunt & ,,
propugnarunt. Quamobrem fel. record. Pauli V., & aliorum Prædeceſſorum ,,
Noſtrorum ad reſtinguendum diſſenſionum fomitem veſtigia proſequentes, & ,,
ſaluberrima mandata renovantes, auctoritate quoque Noſtra omnibus & ſin- ,,
gulis ſuperiùs expreſſis interdicimus, & prohibemus ſub iiſdem pœnis, ne vel ,,
ſcribendo, vel docendo, vel diſputando, vel alia qualibet occaſione notam aut ,,
cenſuram ullam Theologicam iiſdem Scholis diverſa ſentientibus inurere, aut ,,
earum ſententias conviciis, & contumeliis inceſſere audeant, donec de iiſ- ,,
dem controverſiis hæc Sancta Sedes aliquid definiendum ac pronunciandum ,,
cenſuerit. Pacem ſiquidem &c. ,,

Et quidem meritò, cum aliquam laudare ſententiam, & oppoſitam reprobare, ſint longè diverſa: piam ſententiam de Immaculata Beatæ Virginis Conceptione, quot Summi Pontifices laudarunt? nec ideo ſententiam damnarunt oppoſitam. Laudarunt ergo Romani Pontifices Thomiſticam ſententiam de gratia ab intrinſeco efficaci; ſed Scoticæ, aliorumque oppoſitæ ſententiæ, nec in minimis derogando; ut in allato Brevi Clemens XII. verbis declarat expreſſis; non defuere Pontifices, qui aliorum Scholas Elogiis cumularunt (uti videre eſt in Memoriis Trevoltinis anno 1725. *à pag.* 1042.; & anno 1726. *à pag.* 1129.) nec ideò cenſent Thomiſtæ, ſibi in laudibus defraudatum.

APPENDIX XLVIII.

INTER NOVAS.

Quinquaginta Rationes, ac dilemmata decem, quibus facilè ad Chriſti fidem converti poſſunt Hæretici; ex Kiliano Kazenberger, & Arsdekin.

SUnt autem rationes prima, quia non videtur ratio, cur ſoli Lutherani, vocent ſe *Evangelicos*, & Calviniſtæ ſe *reformatæ Religionis*, & cur non etiam

etiam debeant sic vocari Anabaptistæ, & novi Ariani, seu Unitarii? ab iis siquidem non adfertur tale argumentum hujus denominationis, quod ab his non possit æquè, ac eodem jure pro suis sectis applicari. Cùm igitur non sit major ratio pro Lutheranis, vel Calvinistis, quàm pro Anabaptistis, & Arianis, vel quibusvis modernis Sectariis, quos Lutherani, & Calvinistæ excludunt ab his novis titulis, ipsi quoque Lutherani, & Calvinistæ nec *quoad rem*, nec *quoad denominationem* possunt *dici Evangelici*, vel *Reformatæ Religionis*: ergo meritò hæ omnes Sectæ: utpotè earumdem quisquiliarum rejiciuntur. II. Quia constat multos, qui in fide Romano-Catholica vixerunt, & mortui sunt, salvatos esse, ut ipsimet adversarii fatentur. An autem aliquis salvatus sit ex Sectariis modernis, nequidem ipsis Acatholicis constat: securior igitur via præsertim in negotio æternæ salutis est eligenda juxta illud Christi Domini, *Matth.16. vers. 26. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur? anima verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* III. Imò hinc infertur, vel ex eo Romano-Catholicam fidem esse veram: nam *sine fide impossibile est placere Deo: ad Heb. 11. vers.6.* omnis autem, qui salvatur, est in gratia Dei, amicus Dei, & placet Deo: ergo cum multi salvati sint in fide Romano-Catholica, eam veram fidem, & salvificam esse oportet. IV. Inde ulteriùs deducitur, quod cum Romano-Catholica fides sit salvifica, adeòque vera, omnes ab ea diversæ Religiones sint falsæ: siquidem teste Apostolo *ad Eph. 4. vers. 5. & 6. unum* est tantùm *Baptisma*, *una* tantùm *fides* vera, ac salvifica, sicut *unus* est tantùm verus *Deus*, ac *Dominus* noster. V. Quia Catholicos posse salvari in sua Religione non solùm ipsi Catholici constanter asserunt, sed Acatholici etiam ultrò concedunt. In alia autem Religione aliquem salvari posse, soli Acatholici, idque singuli de suis Sectis ominantur, & dicunt, quod Catholici absolutè negant. Id verò, quod utraque pars etiam sibi adversa concedit, certius est, quam id, quod una tantùm asserit, altera autem negat omninò: ergo securiùs operari volens rationabiliter facit, quod fidem Romano-Catholicam cæteris omnibus præferat,illamque sequatur.

VI. Quia consulendo veterum, ac primitivæ Ecclesiæ SS. PP. scripta, ab iisdem sola fides Romano-Catholica intelligitur extolli, suaderi, laudari: reliquas verò omnes ab ea alienas rejici, & damnari. Horum igitur prudentissimum consilium, ac judicium sequi optimè statuitur. VII. Quia omnes sancti, & sanctæ Dei, qui, & quæ fuerunt ab instituta Ecclesia à Christo usque ad præsens tempus, fuerunt, ac vixerunt in Ecclesia Romano-Catholica.

VIII. Quia in testimonium veritatis hujus Religionis subierunt tot millia Martyrum durissimam mortem, ac sanguinem suum profuderunt præsertim in urbe Romana, uti in Catacumbis illius loci ad S. Pancratium, ad S. Sebastianum, & alibi videre est. IX. Quia omnes, qui ab hac Ecclesia recesserunt, ac eam impugnarunt, ut Arius, Mahometes, Pelagius, Marcion, Macedonius &c. æternis ignibus addicti sunt, uti & eorum sequaces. Tales autem Hæresiarchæ fuerunt etiam Lutherus, & Calvinus, ac alii inventores modernarum sectarum. Proinde consultum non est, æterno damnationis periculo illos sequendo sese exponere, neque enim videtur potior ratio, cur Pelagius & Arius sint hæresiarchæ, & cur non etiam Lutherus, & Calvinus?

X. Quia

X. Quia Romana fides fuit eadem cum fide S. Pauli, ipso S. Apostolo attestante, *ad Rom.* 1. *verſ.* 12. Cur igitur deberet quæri alia fides, quam quæ fuit S. Pauli? XI. Quia si Romano-Catholica fides non præeligitur, nunquàm electionum inter alias Religiones fidei finis cum animæ quiete obtinebitur: semper enim dubitari posset, quænam ex tot, & tam variis Sectis sit vera fides, ac salvifica? XII. Quia doctrinæ aliarum Religionum continent plurima paradoxa, incredibilia, & rectæ rationi prorsus difformia v.g. docent inter alia, quòd *omnia peccata sint æqualia, nec ullum detur peccatum, quod sit veniale*: unde sic arguitur: verbum otiosum est peccatum, cùm Christus Dominus minetur de omni verbo otioso dandam esse à nobis in die judicii rationem, *Matth.* 12. *verſ.* 36. ergo secundum hoc dogma Novatorum est æquale reliquis peccatis; ergo & peccato blasphemiæ, & peccato incredulitatis, & peccato Apostasiæ è fide Christi. Si est æquale his peccatis peccatum otiosi verbi: ergo est etiam æqualis culpæ. Si est æqualis culpæ, etiam æqualem meretur pœnam. Si æqualem meretur pœnam, etiam æqualem habet remissibilitatem, vel irremissibilitatem, & per consequens æquè difficulter remittitur, ac alia peccata: & tamen Christus de pœnis & remissibilitate peccatorum longè aliud docuit: nam *Matth.* 5. *verſ.* 22. dicit: *Qui irascitur fratri suo, reus erit Judicio. Qui dixerit Raca, reus erit Concilio. Qui dixerit; fatue reus erit gehennæ ignis*: ergo iræ affectus erga proximum meretur quidem aliquam pœnam, sed majorem verbum acerbum, & adhuc majorem verbum contumeliosum. Deinde 1. *Joan.* 5. *verſ.* 16. dicitur: *est peccatum ad mortem*: ergo est peccatum aliquod, quod non sit ad mortem: ergo non omnia peccata sunt æqualia. Demum *Prov.* 24. *verſ.* 16. habetur; *septies enim cadit justus, & resurget; impii autem corruent in malum*; ergo sunt aliqua peccata, quæ non tollunt habitualem justitiam, & sunt alia, quæ eamdem tollunt, consequenter omnia peccata non sunt æqualia.

Item docent, *omnia nostra bona opera esse peccata*: & juxta eosdem omnia peccata sunt æqualia: ergo omnia nostra bona opera sunt peccata æqualia peccatis reliquis: igitur orare Deum erit æquale peccatum, ac blasphemare contra Deum, & eleemosynam dare pauperibus erit æquale peccatum, ac eumdem spoliare, & injustè possessam rem restituere proprio illius Domino, erit æquale peccatum, ac eamdem apud se invito Domino retinere. En! *Paradoxa incredibilia, & dogmata prorsus irrationabilia.*

XIII. Quia omnes modernæ Religiones diversæ à Religione Romano-Catholica sunt novæ, & tales, quas nemo tenuit, docuit, aut secutus est ante annum 1517. *Omnis autem plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur. Matth.* 15. *verſ.* 13. XIV. Quia omnes hæ novæ Religiones sunt tantùm ex antiquis hæresibus jam pridem ab Ecclesia diversis temporibus condemnatis consarcinatæ, & quidem ineptissimè. XV. Quia soli Ecclesiæ Romano-Catholicæ conveniunt, & quidem aptissimè notæ veræ Christi Ecclesiæ, nempè quod sit *una, Sancta, Catholica, & Apostolica.*

XVI. Quia ad hanc solam conversæ sunt, & de facto convertuntur omnes nationes, gentes, & populi ex gentilismo, & paganismo. Ad hanc enim ex illo conversi sunt sequentes *Constantinus Chinensium Imperator in Asia.* 2. *Dominicus Imperator Monomotapæ in Africa.* 3. *Carolus ultimus Imperator*

in America. 4. *Helena legitima Imperatrix Sinensium*. 5. *Ludovica Imperatrix Monomotapæ*. 6. *Michael Primogenitus Imperatoris Monomotapæ Filius*. 7. *Ottomanus Turcarum Imperatoris Ibrahimi Filius*. 8. *Anna Imperatoris Constantini Regia Avia*. 9. *Maria legitima uxor Ivuliæ Imperatoris*. 10. *Balthasar de Mendez Regni Fezzani, & Maroccani Princeps Hæreditarius*. 11. *Dominicus Amathai Rex Tunetanus*. 12. *Adiam Saghed Jasu Imperator Æthiopiæ, aliàs intitulatus, Presbyter Joannes, Rex Abyssinorum, qui in manibus R. P. Josephi à Jerusalem Ordinis Fratrum Minorum Reformatæ Provinciæ Romanæ, Missionis Apostolicæ à Summo Pontifice Innocentio XII. erectæ, & in Æthiopiam destinatæ Præfecti, 2. Februarii 1702. solemnem Professionem fidei Catholicæ deposuit, & sub actuali Sacrosf. Missæ Sacrificii celebratione sacra synaxi refectus fuit*. Nunquid hæc messis multa, magna, & copiosa est? nec pauciores operarii, sed quàm plurimi sunt, & fuerunt, imò milleni, & milleni, qui per mare, per terras, per tot discrimina rerum ad remotissimas orbis plagas excurrentes, & in vinea Domini insatiabili animarum zelo, & maximo illarum lucro operantes ejusmodi gentiles, & infideles tanquàm errantes oves ad gremium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac verum ovile cum propriæ etiam vitæ dispendio reducere laborarunt, & usque in hodiernum diem indefessi allaborant.

XVII. Quia antesignani modernarum Religionum nullo signo, seu miraculo probarunt, vel probare poterant, se à Deo missos ad Reformationem Ecclesiæ. XVIII. Quia iidem antesignani fuere homines carnales, votifragi, Apostatæ, impii, blasphemi, ac Scurriles, &c. XIX. Quia hæ Religiones nihil, vel certè parum laborant in gentilium ad Christi fidem conversione, sed solùm in tepidorum Catholicorum perversione. XX. Quia in Romano-Catholica Ecclesia multæ personæ ex utroque sexu, etiam maximi Stemmatis, & summarum divitiarum, se obsequiis divinis ultrò consecrant, vitamque suam *in prompta obedientia, in paupertate voluntaria, & in castitate perpetua* transigunt; in aliis verò Religionibus fidei, nemo magnarum fortunarum, statum prædicantium assumere dignatur, nemo ex his se ad continentiam resolvit, unde constat horum plerosque ex sola necessitate munus hoc obire: illos verò ex amore solius Dei, & salutis animæ suæ, & fidei veritate ad tales status se Deo consecrare. XXI. Quia continentia, quæ est donum Dei, *sap. 8. vers. 21.* Prædicantibus à Deo non confertur; cum tamen in Religione Romano-Catholica tot sint Religiosi, & Religiosæ, quæ non tantùm continentiam, sed incontaminatam virginitatem per Dei gratiam usque ad finem vitæ conservant. XXII. Quia Scriptores Acatholici plerisque argumentis suis, dum oppugnant Catholicos, ea impugnant, quæ illi non negant (ut sic eos in odium apud plebem inducant) & ipsam Catholicam doctrinam, prout ea apud Catholicos docetur, vix attingunt, aut attingere audent. XXIII. Quia Scriptores Acatholici contra Catholicos magis calumniis, & manifestis mendaciis agunt, quam solidis argumentis.

XXIV. Quia econtrà Acatholici Catholicorum contra se argumenta, vel non solvunt, vel statim ad aliam controversisticam materiam transeunt, & extravagantur. XXV. Quia novæ hæ Religiones pro libitu suo Sacræ Scripturæ libros è Canone sacrorum librorum eliminant, & alios pro suo arbitrio

ſio vertunt, & interpretantur, & quidem unuſquiſque juxta proprium ſuum ſenſum: cum tamen apud Catholicos ubique locorum idem ſit Sacræ Scripturæ librorum Canon, eadem verſio, idem ſenſus, & eadem interpretatio. XXVI. Quia novæ hæ Religiones in ipſis articulis fidei plurimum inter ſe differunt, etiam ii, qui ſub eodem nomine continentur, imo & in ipſis Catechiſmis, quibus rudimenta fidei pueris traduntur. XXVII. Quia ipſæ Auguſtanæ Confeſſiones, quas pro fundamento ſuæ Religionis Lutherani habent, maximè inter ſe differunt, & à prima illa originali Auguſtana Confeſſione diſcrepant. XXVIII. Quia novæ hæ Religiones aperiunt latam, ac ſpatioſam viam ad omnem licentiam carnis, & voluptatum, cum tamen Chriſtus docuerit *arctam eſſe, & anguſtam viam ad Cœlum, Matth.7.verſ.13. & 14.* XXIX. Quia Acatholici plurima Sacræ Scripturæ loca, ac textus detruncant, aliqua addunt, quæ placent, & ea ex proprio ſenſu ſuo interpretantur; inſuper aliqua depravant, & corrumpunt, quæ diſplicent; imo in ipſa Sacræ Scripturæ interpretatione ipſimet inter ſeſe diſcrepant, & diſconveniunt. XXX. Quia omnes res vetuſtæ, omnia veterum ſcripta, omnia antiquorum documenta ſolam Romano-Catholicam Eccleſiam fuiſſe in Chriſtianitate radicatam teſtantur. XXXI. Quia Romana Eccleſia, eſto hactenus fuerit jam inde à ſui initio oppugnata, & impugnata à diverſis tyrannis, Ethnicis, Paganis, & Hæreticis, ſemper tamen manſit inconcuſſa, & etiamnum inconcuſſa manet, cum tamen hæreſes aliæ ſicut exortæ ſunt, ſic etiam interierint. XXXII. Quia apud Acatholicos nulla, vel certè modica eſt *Doctrina Aſcetica*, hoc eſt talis, quæ tractaret *de perfectione, & exercitio virtutum Chriſtianarum*, uti & *modica ſcientia de rebus moralibus, ſeu obſervatione legum Divinarum*: ſed potiora permittuntur deſideriis, & concupiſcentiis depravatiſſimæ naturæ humanæ. XXXIII. Quia *Conciliabula Acatholicorum* etiam illa, in quibus modernorum Religionum cuſæ ſunt confeſſiones, ſeu Profeſſiones, uti erant *Auguſtana, Helvetica, Genevenſis, Anglicana &c.* nec minimam quidem comparationem habere poſſunt, ſive quoad ſanctitatem, ac virtutes, ſive quoad nationum varietatem cum Conciliis generalibus Eccleſiæ Romano-Catholicæ, & Patribus, qui eiſdem interfuerunt. De ejuſmodi Acatholicorum Conciliabulis, & falſis ſynodis jam olim Romanophilus poeta ita cecinit:

Eſt ſynodus Nodus, *Cœtum Patrum integer Æger*;
Conventus Ventus, *Seſſio* Stramen, *Amen*.

XXXIV. Quia principia Acatholicorum non ſunt apta ad formandam conſcientiam bonam homine Chriſtiano dignam, benè autem Catholicorum principia, qualia ſunt ſequentia: *Omne peccatum eſt cavendum, & in libero arbitrio hominis eſt, adjuvante Dei gratia, ut peccet, vel non peccet. Omne peccatum mortale meretur pœnam æternam, & unum illorum ſufficit ad æternam damnationem. Peccatum pro nulla re totius mundi eſt faciendum, ita ut præſtet millies mori, quàm unicum peccatum committere, etiam minimum. De omni peccato etiam leviſſimo ac verbo otioſo danda eſt Deo ratio. Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Poſt grave peccatum commiſſum nihil reſtat, quam, vel infernus, vel pœnitentia. Nullum opus honeſtum ſupernaturale eſt, quod non meretur ſive proximè, ſive remotè, ſaltem diſpoſitivè gloriam, & gratiam superna-*

turalem ; aut illius augmentum. Omnia peccata mortalia sunt in confessione aperienda, ac Sacerdoti manifestanda, & plura his similia. Acatholicæ autem doctrinæ hæc sunt Conscientiæ dictamina: *Præcepta Dei impossibile est observare. Unusquisque tenetur se credere salvandum, vel prædestinatum. Talibus, qui hæc credunt, Deus non imputat ullum peccatum. Propter nullum peccatum damnatur homo, nisi propter peccatum infidelitatis. Bona opera non sunt meritoria vitæ æternæ. Pœnitentia pro nostris peccatis non est necessariò agenda, siquidem Christus jam sua morte, & sanguine satisfecit pro nobis. Non est in nostra potestate peccata cavere. Nemo obligatur ad sua peccata confitenda. Sola fides sufficit ad salutem.* Jam consideret aliquis, & perpendat, his principiis qualisnam Conscientia formabitur ad evitandum malum, & faciendum bonum? cum tamen principia Doctrinæ Catholicæ id unicum præstare conentur, & præstare possint. XXXV. Quia Prædicantes Acatholicorum solùm ea proferunt, quæ sunt in contemptum Religionis Catholicæ: alia autem, quæ sunt in sua Religione gravissima, & in perditionem manifestam animarum illis subjectarum, penitùs dissimulant, tacent, & obmutescunt. XXXVI. Quia ii, qui inter Catholicos judicantur esse pessimi, & tepidissimi, inter Acatholicos judicantur esse optimi, & ferventissimi. Sed nunquid *à fructibus eorum cognoscetis eos? Matth. 7. vers. 16.* & planè *qui fuit hìc corvus, non ibi Cygnus erit.* XXXVII. Quia nemo est, qui à fide Romano-Catholica apostatet, & deficiat ad alienas Religiones modernas ex eo, ut in iis fiat melior, & sanctior, sed ut ibi laxiùs, voluptuosiùs, & licentiosiùs vivere possit: nam *vinum, & mulieres apostatare faciunt sapientes. Ecclesiastici 19. vers. 2. & initium superbiæ hominis apostatare à Deo. Ecclesiastici 10. vers. 14.*

XXXVIII. Quia etiam pertinacissimi hæretici sæpiùs desiderant mori in fide Catholica, ac etiam in illa moriuntur. Nullus autem Catholicorum optat mori in fide à Romano-Catholicâ aliena: utique hi ob confidentiam in suam fidem, illi autem ob diffidentiam illius, quia benè vident, & norunt, imò utraque manu palpant suam Religionem esse falsam, & incertam, dubiam, & erroneam, periculosam, & animæ saluti damnosam. Sed proh dolor! *Proprium interesse respectus humanus, & vita voluptuosa, ac licentiosa, quæ non mortalia cogis pectora?* XXXIX. Quia cum tàm clara sint testimonia Sacræ Scripturæ de spe, charitate, pœnitentia, eleemosina, & operibus misericordiæ, quod sint proficua ad vitam æternam obtinendam, ac de ipsa fide: Hæc tamen omnia contemnunt moderni Novatores, & solùm fidem ad salutem sufficientem esse docent. XL. Quia Prædicantes Sectariorum dum merita Christi, ac satisfactionem mirè extollunt, imitationem vitæ illius auditoribus suis proponere, aut suadere penitus negligunt quin eisdem prætensionem, & ansam præbent, ut de cavendis peccatis, & pœnitentia agenda pro commissis minimè sint solliciti, uti nec de exercitio virtutum, ac bonorum operum, id pro se allegando, quòd Christus Dominus abundè jam sua morte sanctissima pro peccatis nostris satisfecerit, & Regnum Cœlorum nobis promeritus sit, atque sic passionem, ac mortem Christi, nec non illius satisfactionem in vitæ licentiam assumunt. Orthodoxa autem doctrina est: Christi quidem mortem, ac passionem esse sufficientissimam ex se pro peccatis nostris, & totius humani generis, ac infiniti prorsùs meriti extendentis se ad omne omninò præmium

mium possibile: nihilominus Christum voluisse illius fructum applicare nobis, ita ut & nos imitando virtutes illius, ejusdem Passioni cooperemur. Duplex siquidem fuit finis Adventus Christi Domini in hunc mundum: *Primus* erat, ut pro peccatis nostris satisfaceret, & ab æterna damnatione nos eriperet: *Alter* verò, ut perfectissimum omnium virtutum exemplar nobis daret, & ad sui imitationem nos adduceret. Quem finem ipsemet Christus his verbis declarat: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. *Joann.* 13. *v.* 15. & apud *Matth.* 11. *v.* 29. *discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*, & Sanctus Petrus 1. *cap.* 2. *v.* 21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*. XLI. Quia omnes Acatholicorum fidei opiniones in dubio sunt constitutæ, & in facilè fallibili, ac minimè tuto principio *Dici* sunt fundatæ; quia Acatholici non sunt certi, quòd veram sacram Scripturam habeant, quia idipsum ex Bibliis non possunt probare, cum in Bibliis non sit Scriptum, quòd hæc Biblia sint verum verbum Dei. Traditiones autem non admittunt: adeòque solummodò credunt hoc, quia ita a Catholicis *Dici* audiunt, qui tamen (*Acatholicorum opinione*) in rebus fidei potuerunt errare, & errant, quin (*ut Acatholici quidem ajunt*) de facto, & actu errarunt. XLII. Quia multa docent Acatholici, quæ sacræ Scripturæ immediatè, & è diametro sunt opposita, ut I. quòd per Baptismum *peccatum originale* non totalitèr *deleatur*, sed tantùm *obtegatur*, quod est contra illud *Joann.* 1. *& ad Ephes.* 4. II. Quòd præcepta Dei impossibilia sint servatu, quod est contra *Ezechiel.* 36. & contra 1. *Joann.* 5. III. Quod nihil sit credendum, nisi quod est scriptum, quòd est contra 2. *Thes.* 2. IV. Quòd Ecclesia Christi possit errare: quod est contra *Matth.* 16. *v.* 18. & contra *Joann.* 14. *v.* 16. V. Quòd matrimonium prævaleat *Statui virginali*, quod est contra 1. *Cor.* 7. *v.* 28. VI. Quòd *Jurata DEO vota servandi* non sit obligatio, quod est contra *Num.* 30. & contra *Ps.* 75. VII. Quòd Scriptura sacra facilis sit intellectu, quod est contra 2. *Pet.* 3. VIII. Quòd homo probus sit æternæ salutis certissimus, quod est contra *Ecclef.* 9. & contra 1. *Cor.* 4. IX. Quod bona opera non sint meritoria ad salutem, quod est contra *Matth.* 25. & contra 2. *Pet.* 1. Quia, inquam Acatholici hæc, & plura similia sacræ Scripturæ immediatè contraria docent, rationabiliter credi non potest, quòd habeant *fidem salvificam*, & quæ necessariò requiritur, *in rebus fidei veritatem*. XLIII. Quia Deus tantùm fidem Romano-Catholicam hucusque evidentissimis Miraculis confirmavit, quæ Miracula a nulla simplici creatura fieri possunt. Accedit, quòd Dæmones tantùm a Catholicis expellantur, & exorcizentur, *Martino Luthero notam illam personam energumenam frustra, sine effectu, sine fructu, olim Vuittembergæ in Saxonia exorcizante*. XLIV. Quia apud Catholicos tantùm *Caput Visibile Ecclesiæ ab ipsomet Christo Domino denominatum* in continua, & nunquam interrupta successione 248. Summorum Pontificum, seu Romanorum Episcoporum miraculosè conservatum, semper agnitum est, & tanquam Christi in terris Vicarii, ac Successores Petri in summa, & publica veneratione habiti sunt Romani Pontifices. XLV. Quia Achatholici dicunt, Papam Romanum esse Anti-Christum; quod esse falsum, clarius est luce meridiana; siquidem sacræ Scriptu-

pturę clarè prędicant, quod Anti-Christus se Christo opponet, & supra Deum se elevare pręsumet. 2. *Thess.* 2. tollet Sacrę Missę Sacrificium. *Danielis* 12. Adorabitur a Judæis tanquam Messias: unus solùm homo erit, sedebit in templo Dei Jerosolymis, tribus & medio solùm anno regnabit: & similia. Quæ omnia ne in minimo quidem Papæ conveniunt, utpote qui omnibus viribus contendit, ut sanctissimum Jesu Christi nomen ubique terrarum perfectissimo modo sanctificetur, & ut amantissimum Salvatorem nostrum quàm optimè omnes homines colant, ament, laudent, adorent, & glorificent, pro cujus confessione 56. Pontifices Romani gloriosè Martyrium subierint. Quomodo ergo hi *Anti-Christi*, id est, *inimici, & Adversarii Christi* cum veritate appellari possunt? XLVI. Quia Catholici plusquam 1500. Annis ante Lutheranos, & Calvinistas in possessione veræ fidei persti-terunt, pro Catholicis stant omnes præsumptiones, & omnia præjudicia, videlicet promissio Christi, infallibilia signa veræ Ecclesiæ, indubitata prodigia, & miracula, conversio infidelium, & gentilium, sanguis Martyrum pro fide prodigè effusus, & alia quàm plurima. Nihil horum pro fide Lutherana, aut Calvinistica. XLVII. Quia Acatholici fatentur, Ecclesiam Catholicam olim fuisse veram Christi Ecclesiam, & tamen non possunt edicere. 1. Qua in re a puro Dei verbo recesserit, & quid sacræ Scripturæ contrarium docuerit? 2. Quinam suppressores puri verbi Dei, destructores Ecclesiæ, & seductores populi Dei fuerint? quando vixerint, & qualiter nominati fuerint? 3. An universa Catholica Christianitas una vice, & simul ac semel tam enormiter peccarit? vel an innocens cum nocente sit rejectus? 4. quo anno Christi, sub quo Pontifice, vel Cæsare hoc peccatum sit commissum, ob quod Christus Catholicam Ecclesiam rejecerit, & Sponsam suam non ampliùs agnoverit? 5. An tot centenis annis nulla planè Christi Ecclesia in toto orbe fuerit reperibilis? 6. Ubi illis temporibus Judæi, & Ethnici veram fidem amplecti volentes se insinuare debuissent? XLVIII. Quia nullo modo est credibile, quod Spiritus Sanctus universalem, & Catholicam Ecclesiam penitùs ita deseruerit, ut Ecclesia in tantos, & etiam horribiles errores (*sicuti Acatholici asserunt*) lapsa sit, & quidem post tantam infidelium populorum conversionem, ita ut solùm in *novo orbe, seu partibus Americanis ultra centum millia Catholicorum Templorum* sint ædificata, ut vel ex hoc solo capite a Spiritu Sancto desertam tantopere fuisse Ecclesiam Christi præsumi non possit. Benè enim ponderanda, ac ruminanda sunt verba Sancti Augustini asserentis; (si Adversariorum opiniones concederentur) Spiritum Sanctum, *aut non voluisse, aut non potuisse* diutiùs, quam 600. annis Sponsam Christi, quæ est ejus Ecclesia, regere, cujus utrumque, vel alterutrum asserere, foret summa in Spiritum Sanctum blasphemia. XLIX. Quia Avi, & Proavi, & Atavi, &c. Catholicorum in signum zelosissimum Catholicæ veritatis tam celebres fundarunt Ecclesias, Monasteria, & Canonicatus, Episcopatus, & alias fecere piissimas fundationes, ob quas etiam ab optimo Deo largis benedictionibus sunt donati in Catholica fide sanctè vixerunt, & piè in Domino sunt defuncti. Qui si a mortuis resurgerent, & modernam Templorum, ac Monasteriorum devastationem, suarumque fundationum frustrationem intuerentur, haud dubiè il-

illud triste lacrymabundi ingeminarent: *Quas Sacras Ædes pietas extruxit Avorum. Has nunc devastant hæredes more Luporum*, qui sunt hæretici. L. Quia non tantùm in Patria nostra Germania, sed etiam in toto orbe terrarum a temporibus Apostolorum tantus accursus infidelium, & gentilium, tantùm ad Catholicam, & Romanam fidem factus est, In qua fide etiam omnes sancti Dei, veteris, & novi Testamenti vixerunt, & mortui sunt: imò pro qua tot millia Sanctorum Martyrum, id est, *undecim Sanctorum Martyrum milliones* sanguinem suum profuderunt, illiusque veritatem gloriosa sua morte confirmarunt.

Propter has, & alias rationes plurimùm urgentes, & planè convincentes plures Serenissimæ, Illustrissimæ, Perillustres, & Excellentissimæ utriusque sexus Personæ a Calvinismo, & Lutheranismo ad fidem Romano-Catholicam se converterunt, quarum aliquas breviter subjiciemus: *Elisabetha Christina Ducissa Brunsvicensis - Vvolfenbutelana moderna Augustissima Romanorum Imperatrix. Henricus Quartus Rex Galliæ, & Navarræ. Carolus Secundus, & Jacobus Secundus Reges Angliæ, & Fratres: Christina Alexandra olim regnans Regina Sueciæ. Fridericus Augustus Primus modernus Rex Poloniæ, & Elector Saxoniæ. Fridericus Augustus II. Princeps Electoralis Saxoniæ, & Regius Poloniæ. Christianus Augustus Dux Saxoniæ Zettanus Archi-Episcopus Strigoniensis, Primas Ungariæ, S.R.E. Cardinalis, & ad comitia Imperialia Ratisbonensia S. C. M. Legatus Plenipotentiarius actualis. Antonius Udalricus Dux Brunsvicensis-Guelpherbytanus, vulgò Vvolfenbutelanus. Albertus Dux Saxo. Vveissenfeldensis. Henricus Julius, & Franciscus Carolus Duces Saxo Lavenburgici. Christianus Vvilhelmus Marchio Brandenburgicus Administrator Magdeburgensis. Rupertus. Eduardus, & Mauritius Comites Palatini Rheni. Aloysia Comitissa Palatina Rheni. Vvolfgangus Guilielmus Comes Palatinus Rheni, Juliaci, Cliviæ, Montium, & Neoburgensium Dux. Christianus Augustus Comes Palatinus Rheni Dux Sulzbacensis. Antonius Udalricus Dux Brunsvicensis. Vvolfenbutelanus Avus Augustissimæ Regnantis. Joannes Fridericus Dux Brunsvicensis, Hannoveranus. Parens Augustissimæ Vidua Vvilhelminæ Amaliæ. Carolus Alexander Dux Vvirtemberg. Stuttgardiensis S.C.M. Supremus Campi Marescalus actualis. Elisabetha Amalia Landgravia Hasso-Darmstadiensis Electrix Palatina, Ducissa Neoburgensis. Mater Defunctæ Imperatricis Coronatæ Eleonoræ Magdalenæ Theresiæ. Christianus Dux Megapolitano Svverinensis. Fridericus Landgravius Hasso-Darmstadiensis Episcopus Uratislaviensis, S. R. E. Cardinalis. Fridericus Vvilhelmus Dux Holsatiæ Bekensis S.C.M. Generalis. Joannes Ludovicus Princeps Nassavio-Hadamarensis. Ferdinandus Dux Curlandiæ. Leopoldus a Kolonitsch S. R. E. Cardinalis, Archi-Episcopus Strigoniensis, Primas Hungariæ. Godefridus Langvverth à Simeren Episcopus Teutraniæ Ecclesiæ Cathedralis Ratisbonensis Canonicus, illiusque Diœcesis in spiritualibus Suffraganeus, & Administrator. Comes de Goz, Comes de Schulz, Comes de Harsch Sacræ Cæsareæ Majestatis Generales, Godefridus Adolphus Volusius SS. Theologiæ Doctor Suffraganeus Moguntinus. Petrus, & Adrianus de Vvallenburg, Doctrina Controversistica, & Stemmate admodum Nobiles.*

Omitto Personas plurimas, quæ exemplum cæteris dedere Acatholicis, ut

ut quemadmodum ipsæ fecerunt, ita, & reliqui faciant. Dependet equidem à vera fide salus æterna hominis: nequit autem esse vera fides, nisi in vera Christi Ecclesia, quam non esse aliam quam Romano-Catholicam convincunt certè rationes, & motiva supra adducta: *itaque quicumque vult habere Deum tanquam Patrem, habeat Ecclesiam Catholicam tanquam Matrem.* Hucusque Kazenberger in Additionibus ad Sporerum.

Sunt verò dilemmata, primùm Quæro, an tua Ecclesia, v. g. Lutherana, sit antiqua, an nova? si respondeat est antiqua. Quæro igitur ubi fuit, aut quis antiquorum ejus unquam meminit per 1500. annos a Christo usque ad Lutherum? si dicat esse novam; Infer, ergo non est Ecclesia Christi, quæ antiqua est, ante mille septingentos annos ab eo constituta. Secundùm Quæro. Vera Christi Ecclesia estne fallibilis, an infallibilis? si respondeat est infallibilis. Quomodo ergo falsa est Ecclesia Romana, quæ ab initio fuit vera Christi Ecclesia, ut ipsi Sectarii admittunt. Si dicat esse fallibilem. Quomodo ergo tibi constat tuam Ecclesiam Lutheranam non esse hodie falsam, si vera Ecclesia possit esse fallibilis, & a fide deficere? Tertiùm Quæro. vel homines possunt salvari in Ecclesia Romana, vel non possunt. Si non possunt, ergo totus Mundus damnatus est a primis Ecclesiæ temporibus per 1500. annos, usque ad Lutherum, quo tempore nulla alia nota fuit hominibus Ecclesia Christi, nisi Romana. Si possunt in Romana salvari, cur Lutherus, & ejus Sectarii eam deseruerunt? Item Religio Romana in Anglia ante Lutherum fuit vera, vel nunquam in Anglia fuit vera Christi Religio. Nam Anglia suscepit Christi fidem ab Ecclesia Romana sæculo 6. per Augustinum Anglorum Apostolum, vera autem Christi fides prius defecit in Ecclesia Romana sæculo 5., secundùm Adversarios: ergo Anglia nunquam habuit veram Christi fidem, si vera est Sectariorum doctrina. En quanto dedecore Sectarii suam Patriam improvido errore afficiant.

Quartùm Quæro, Ecclesia Lutherana si fuit in Mundo ante Lutherum, vel erat visibilis, vel invisibilis. Si asseras fuisse visibilem, dic quæso, quis eam vidit, quis de ea unquam scripsit; aut mentionem fecit? si autem dicas fuisse invisibilem, idem eodem jure de sua Ecclesia dicent Turcæ, dicent Anabaptistæ, dicent novi Tremblantes, sive Tremuli; an ideo illis credemus? Quintùm Quæro, vestra Ecclesia si fuit in Mundo ante Lutherum, vel fuit Sancta, vel non Sancta. Si fuit Sancta, assigna aliquem ex Sanctis Lutheranis, ejusque vitam, aut miracula in ulla historia Sacra, aut profana a tempore Christi usque ad Lutherum. Si non fuit Sancta, ergo non fuit Ecclesia Christi, quæ Sancta esse debet, & semper ab initio tot habuit Sanctos Apostolos, Martyres, Confessores. Sextùm Quæro, Scriptura Sacra non est nata cum Luthero, sed eam accepit ab Ecclesia Romana a ducentis circitèr annis quando ab ea defecit. Quæro igitur hoc modo, Ecclesia Romana, a qua Lutherus accepit Scripturas Sacras, vel fuit tunc temporis vera, vel falsa Ecclesia. Si dicas fuisse veram: damnandus est Lutherus, & omnes ejus asseclæ, qui Ecclesiam veram deseruerunt. Si autem respondes fuisse falsam, quomodo ergo constat Lutherum, & Lutheranos non habere falsam Scripturam, cum illam acceperit a falsa Ecclesia, quæ multò facilius potuit occultè Scripturam, quam publicè veram fidem paulatim corrumpere. Quomodo

modo

modo ergo potest Lutheranus gloriari se puro Dei verbo credere, & adhærere? Septimùm Quæro, Religio Lutherana qua talis, constat ex articulis purè negativis v. g. non est Purgatorium; non est Papa; non est Missa, &c. Quæro igitur, an articuli illi continentur in Scriptura, an non? si affirmas, ostende mihi locum ubi Scriptura dicat, non datur Purgatorium &c. Si negas posse in Scriptura assignari, ergo Lutheranismus qua talis constat ex articulis in Scriptura non contentis: ergo non nititur verbo Dei. Si respondeas illos non esse Lutheranismi articulos essentiales, sed tantùm accidentales. Quæro iterùm an illi articuli, quos vocas accidentales, contineantur in Scriptura, an non: Si contineantur in Scriptura, non minus essentialiter sunt articuli a Deo revelati, quam quivis alius in Scriptura contentus. Omnia enim, quæ Divina veritas in Scriptura proponit, æque sunt verbum Dei, & æqualitèr participant infinitam Dei revelantis auctoritatem, ac proindè necessarium est æqualitèr esse credenda. Si autem dicas in Scriptura non reperiri, ergo jam cogeris admittere articulos tuæ fidei esse extrà fidem, hoc est extrà Scripturam, in qua sola profiteris tuam fidem contineri: ergo corruit tota fabrica Lutheranismi in illis fidei articulis, quos sibi de novo fabricavit, & in quibus dissidet ab Ecclesia Romana.

Octavùm Quæro: Asseris, Ecclesiam Romanam defecisse a vera fide circa annum Christi quingentesimum, hoc enim docent Sectarii. Quæro an defecerit illa tota simul, an successivè per partes. Non tota *simul*. Quia hoc tantundem esset, ac si omnes, qui toto Orbe sunt in Ecclesia Romana, hodie decumberent Romani, & cras surgerent Lutherani. O figmentum? dic quæso, quænam historia rem tam prodigiosam commemorat? Neque dici potest quod Ecclesia Romana defecit *successivè*, hoc est, una pars cœperit negare aliquem articulum fidei, quem Ecclesia eatenùs affirmavit. Nam omnes, qui id fecerunt a reliquo Ecclesiæ corpore, tanquam hæretici semper separati fuerunt. Ergo non potuit ipsum corpus Ecclesiæ Romanæ a vera fide successivè deficere. Exemplum sit in Berengario, quando circà annum Christi millesimum cœpit negare in Eucharistia realem Christi præsentiam, statim reliqua Ecclesia se illi opposuit, illum uti hæreticum damnavit, uti fusè tradit Historia Ecclesiastica, quæ omnia Ecclesiæ dissidia, ac Schismata semper accuratè commemorat. Ante Berengarium autem nullus omninò in ulla Historia reperitur publicè in Eucharistia realem Christi præsentiam negasse. Ergo tota semper Ecclesia usque ad Berengarium illam affirmavit, adeoque manifestè ostenditur, primitivam Ecclesiam realem Christi præsentiam credidisse, & ab ea fide nunquam successivè defecisse. Hujus dilemmatis evidentia convictus traditur in Gallia Comes Turrenius Generalis armorum celeberrimus, & primaria olim Sectariorum columna, & qui non ita pridem tot bellica trophæa publica Romanæ fidei professione coronavit.

Nonùm Quæro. Donum Miraculorum, vel est certum signum veræ Ecclesiæ, vel non est certum ejus signum. Si dicas non esse certum signum veræ Ecclesiæ; jam accusas Christum fraudis, & imposturæ, qui miracula pro signo certo, & indubitato veræ Ecclesiæ proposuit *Matthæi* 11. *Cæci vident; claudi ambulant*, &c. & *Marci* 16. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur:: in nomine meo Dæmonia ejicient*, &c., & per hæc signa Judæos, &

Gentiles ad ſuam Eccleſiam adduxit. Si autem admittas donum Miraculorum eſſe certum ſignum veræ Eccleſiæ; jam clarum eſt Eccleſiam Romanam eſſe veram, in qua ſola, etiam hoc ævo, Miracula priſcis ſimilia reperiuntur. Decimùm, Quæro ex moderno Sectario; an agnoſcat antiquos hæreſiarcas, v. g. Arium eſſe verè hæreticum, & ritè condemnatum, an verò id neget. Si negat Arium verum eſſe hæreticum, jam condemnat primævam Eccleſiam, quæ Arium, ut hæreticum, proſcripſit. Si verò agnoſcat Arium verè eſſe hæreticum, idem de Luthero, & moderno quovis Sectario, admittere debes. Uterque enim eodem modo ab univerſa Eccleſia Romana damnatus, & ſeparatus fuit; & ideo toto Orbe pro hæreticis habiti. Nam ſicut hoc tempore dicit Lutherus, Eccleſiam Romanam errare, ita in primis ſæculis idem aſſeruit Arius, & tamen apud omnes eſt hæreticus. Sicut Lutherus citat pro ſe Scripturas, ita multò magis urgentes pro ſuo errore citavit Arius, ut probaret Filium in Divinis eſſe Patre minorem: *Pater major me eſt. Joann.* 14. Et ubi Scripturæ dicunt Patrem, & Filium unum eſſe; Arius explicat de metaphorica, & morali unitate voluntatis. Denique quidquid pro ſe prætendet Lutherus, eodem jure pro ſe dicet, uti olim dixit Arius. Ergo neceſſe eſt (Lutherane, &c.) ut vel Arium hæreticum eſſe neges, vel te hæreticum admittas. Hucuſque Arsdekin Theologiæ tripartitæ *tomo primo tractatu primo cap.* 10.

SANCTÆ TRIADI,

IMMACULATÆ, GLORIOSÆ, SEMPERQUE VIRGINI GENITRICI DEI MARIÆ,

Ac Sanctis omnibus, gloria laus, & honor.

IN-

INDEX

RERUM, ET VERBORUM,

Quæ in hoc Volumine notatu digna visa sunt.

Ubi sunt duo numeri, primus denotat Appendicem, secundus denotat paginam; Ubi tres, primus explicat Appendicem, secundus Dissertationem, tertius paginam; Ubi quatuor, primus designat Appendicem, secundus Dissertationem, tertius Articulum, quartus verò paginam.

A

Ad

Aqua

ci

C

D

lam

E

Essa-

F

Fa-

G

I

L.

M.

Malè

N

O

P

Pec-

Q

Quæ-

S

Sen-

T.

V

Vagi

F I N I S.

E R R A T A.

Fol.	lin.			
4.	18.	abbunde	*pro*	abunde
10.	13.	ustbus		usibus
127.	23.	*part. 1.*		*quæst. 1.*
131.	3.	decalogis		decalogalis
135.	34.	ignoretur		ignorarentur
235.	1.	*cofinci*		*confici*
303.	5.	si fecus		si secus

Et quæ sunt hujus generis alia per litterarum, sive additionem, sive detractionem, sive commutationem, benignè Lector ipse corrigat.

